Digitized by Google

XXVI
C
12

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
C
12
NAPOLI

Digitized by Google

~~SCIPIONIS~~
~~GENTILIS~~
IVRISCOS.

DE

Coniurationibus
Libri Duo.

Ad Chriſtianiſs.

HENRICVM IIII.

Francorum Regem.

Cum INDICE locupletiſſimo.

HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, apud Claudium
Marnium, & hæredes Joan. Aubrii.
M. DCII.

CHRISTIANISSIMO
HENRICO IIII.
FRANCORVM ET
NAVARRÆ REGI.

ET voluntate mea, REX, & præſtantium hominum, Maieſtati tuæ deditiſſimorum, cõſilio adductus, librum hũc meum de Coniurationibus, tuo inſcriptum nomini, ad te mitto. Argumentum ipſum palam vocabat ad Reges: nominatim ad te Regem, non ſolum maximum, ſed virtute & rebus geſtis omnium clariſſimum. Hæc, non alia, ratio inſtituti mei fuit. Nec veritus ſum, ſi hunc librum tibi dicarem, ne vel ſcholaſtici hominis atque ignoti deſpiceres literariũ munus, vel tractatione offendereris eius rei, quæ vna timenda ſummæ fortunæ. Nã illud non eſt clementiæ tuæ, qua nulla in te virtus admirabilior eſt aut gratior, neq; hoc roboris & fortitudinis, qua vincis omnes. Deorum immortalium ſimillimi eſſent Principes, ſi nullis eiuſmodi aut nõ maioribus, quam priuati, curis occupationibuſque attinerentur: vt ſapiẽti illi Liuiæ

ſuæ Auguſtus dicebat, Cinnæ appetitus inſidiis. Commode ſe hic atque vltro obtulit, de te loquenti, Auguſti mentio. Neq; enim vel maior quiſquam princeps ab hominibus natis, imperiiſque conditis fuit: nec cum quo dignius comparari in Republica cõſtituenda poſſis; ſic, inquam, comparari, vt vbique tamen clementia tua emineat, aut fortitudo. Adoleſcẽtiam eius ſtatim excepere bella ciuilia populi Rom. Tu in caſtris ciuilibus natus atque educatus es: nec vllum vnquam tempus à bellicis cogitationibus & laboribus vacuum tibi fuit, etiam puero. Illum paternę legiones contra audaciam, & furorem M. Antonii protexerunt. Te contra innumerabiles Antonios virtus tua inuictum pręſtitit, & bonorũ ſumma cõſenſio: commendatuſque ad homines non magis gloria rerum geſtarum eras, quam magnitudine periculorum. Sæpe ille victor, & maximis præliis fuit: quis negat? ſed victor tantum: quod eſt felicitatis. Prælio Mutinenſi, primo fugit, altero caſtra ſeruauit; Philippẽſi, caſtris amicorum monitu egreſſus, loco à Bruto pulſus eſt; Siculo maritimo nec aciem ipſam rectis oculis aſpicere hoſtium

auſus

auſus, cœlum ſuſpiciens iacuit in naui. Tu in agmine, in acie ſemper, optimi imperatoris pariter, ac ſtrenui militis munia exſecutus es: clariſſimaſque victorias tuas non copiarum numerus, vel hoſtilium, vel tuarum, ſed rei militaris ſcientia, atque animi tui magnitudo fecit. Intactum vtrique à vulneribus, inter tot domi foriſque pericula, corpus: ſed ille ne vulnerari poſſet, cauit: tu factis, & manu meruiſti. Vna in re nollem comparari poſſetis. Verumtamen vterque, & Auguſtus patris Dictatoris, & tu propinqui Regis ad imperium veniſtis, graui caſu. Et manum quidem ſalutarem Reipublicę vterque adtuliſtis, eamque labētem, tu quidem fere collapſam (Gallia, te appello) in ſua ſede iterum collocauiſtis, pace fouiſtis, legibus recreaſtis, atq; ornaſtis. Sed in his rebus efficiendis, quanta, Deus bone, inter te, illumque diſſimilitudo! Nullius tibi ciuis ſanguis, niſi in acie, fuſus. At ille quā crudelis in victoria! Neq; nunc proſcriptionem imputo; qua nihil vnquam in vlla barbaria crudelius eſt admiſſum: fuerit ſane illa Antonii ſolius, fuerit Lepidi, fuerit temporum. Tam multos, tam egregios ciues, bello victos ac ſuppli-

ces,ſeque partim excuſantes,partim miſericordiã eius implorantes, quibus verbis, imo quo verbo omnes repulit? Moriendũ eſt,inquit. Vt factis, ſic dictis tuis debetur æternitas. Quæ enim tam muta,tã ingrata poſteritas metuenda eſt, quæ etiam dicta reſponſaque tua, cum in omni genere argutiſſima & ſapiẽtiſſima,tum in hoc miſericordię,& pietatis præclariſſima,non cõmemoret, ac dignis laudibus proſequatur? Vere igitur tu parens,tu imperii Gallici nouus creator dicéris,aliquanto etiam iuſtius, quam vel idem ille Auguſtus Romani,vel Camillus. Vnicum modo votũ Gallis tuis ſupereſt, vt hæc dona propria ſint,ſaltem vt quam maxime diuturna. Ac prope eſt, vt ſe nũc eius voti compotes factos ſentiant,feliciſſimo Delphini tui exortu, publico Chriſtiani orbis gaudio,publicaque ſpe ſummum ad faſtigium geniti. Vel hac ſola re, vt cæteræ pares eſſent, decantatam illam, ac prouerbiis etiam & adclamationib. populi Romani nobilem Auguſti felicitatem omnẽ ſuperauiſti. Illę enim inimici ſui filio hęrede deceſſit;tu filio tuo, iam nunc ad inimicorum tuorum terrorem creſcenti, Galliarum omne regnum,

gnum, florentiſſimaſque opes (vtinam ſero! etenim communis ſalutis, atque adeo totius Europæ quietis intereſt) quandoq; relinques, ac trades. Vince, & vale, fortiſſime Principum. Altorphii, in prouincia Norici. Kal. Martiis 1602.

MAIEST. *Tuæ*

deuotiſſimus

SCIPIO GENTILIS.

Digitized by Google

ORATIO, SIVE PRECES, QVAS IMP. CONSTANTINVS AVG. milites ſuos docebat Romana lingua.

Ex Euſebio lib. IIII. Vita eius.

ΣΕ' μόνον οἴδαμεν θεὸν, σὲ βασιλέα γνωρίζομεν, σὲ βοηθὸν ἀνακαλούμεθα, παρὰ σοῦ τὰς νίκας ἠράμεθα, διὰ σοῦ κρείττους τῶν ἐχθρῶν κατέστημεν, σοὶ τὴν τῶν προϋπαρξάντων ἀγαθῶν χάριν γνωρίζομεν, σὲ καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίζομεν, σοῦ πάντες ἱκέται γινόμεθα, τὸν ἡμέτερον βασιλέα Κωνσταντῖνον, παῖδάς τε αὐτοῦ θεοφιλεῖς, ἐπὶ μήκιστον ἡμῖν βίου σῶον καὶ νικητὴν φυλάττεσθαι ποτνιώμεθα.

PSAL-

PSALMI XXVII.

PARAPHRASIS,

Scripta à Scip. Gentili.

NOx licet horrifico circum ſe velet amictu,
Atque die medio nimborum palla ſerenum
Subtrahat atra polum: tenebris mihi lumen in altis
Omnipotens præit ipſe pater, cunctiſque periclis
Offert ſe comitem, noſtræ cuſtodia vitæ.
Quemnã igitur demens pauea? aut cur degener vltrà
Terror, & infirmam quatiant fera prælia mentem?
Cum caput inſidiis, & opertis impia bellis
Turba meum peteret coniurataſque cohortes
Vndique contraheret, deuotaque pectora letho;
Concidit, atque ſuis deprenſa in caſſibus hæſit.
Huc adeant, & caſtra locent fulgentia ſignis,
Meque vnum properent ingenti claudere vallo,
Excuſſaque micent tormentis omnibus haſtæ:
Impauidus contra ſtabo, vultuſque feroces
Adſpiciam, & ſolido florentes ære cateruas.
Tanta fides cœli eſt. neque enim me lucidus enſis
Hæc audere meus, non lethifer impulit arcus.
Vnum ſemper ego optaui precibuſque petiui,
Vnum opto, liceat templi mihi limine ſancto
Verſari, liceat, vitæ dum perfruor aura,
Purpureos agitare dies, vbi numine præſens
Ipſe ſuo, ardentique implet Deus omnia luce.
Hic ego perpetuo, curâ ſemota, metuque,
Otia lætus agam: hic patris armipotentis amicum
Suſpiciam decus, & cœli ſuper ardua tollam.
Hic mihi parta ſalus. armis cum fœta procella
Ingruet, intendentque atro ſe turbine nubes:

Non ego vel ſiluas, vel denſis obſita dumis
Antra petam, nec me latebroſi in formice ſaxi
Includam, ſummíue erepam in montis acumen.
Ara Dei latebrasque mihi præſtabit, & arcem.
Iámque adeò, iam pulchra Dei mihi templa canenti
Cor micat, & diras iuuat inſultare phalanges,
Infeſta circum quæ me cinxere corona.
Iam niueis inuectus equis, & curribus aureis,
Armorum domino, læti pro luce triumphi,
Victor agam meritas æterno carmine grates:
Tympanáque rauciſque frement cum cornibus æra,
Magnificóque ſolum lauet hoſtia multa cruore.
Tu modo ſancte parens ne differ, néue ſuperbo
Hoſte premente meas durus contemne querelas:
Sed miſerere, precor, ſed vocem ſupplicis audi.
Si mens ægra tui ſolo tabeſcit amore
Luminis, ex imo ſi te mandante profundo,
Ad tua, noſtra ſalus, feſſi procurrimus ora:
Si tua iuſſa ſequor, vultus pater optime redde,
Redde tuum mihi dulce iubar; neu deſpice, qui ſe
Ipſe tibi famulum vouit, propriúmque dicauit.
Tu rebus ſpes vna meis, caſúsque per omnes
Præſidium tu ſemper eras. ne deſere, quæſo,
Nunc inopem, ne me irato pater abiice vultu.
Quid loquor? infeſtus quamuis me faucibus hoſtis
Vrgeat, & dulci genitor cum matre relinquat,
At pelagi terraꝗ opifex, rectórque liquentis
Ætheris, excipiet, gremióque fouebit amico.
Adſpiciat, frendátque furor, dum maxima ab ipſo
Ore Dei præcepta bibo, dum te duce ſanctas
Carpo vias, vacuásque dolis & ſentibus hirtis.
Vndique perfidiæ telis premor, vndique fictis
Criminibus pugnax, & felle excocta peruſto
Lingua

Lingua mea furit exitio, cadémque minatur.
Tu mihi perfidiam, tu ſæuas diſiice fraudes:
Nec permitte feri vitam me ducere nutu
Hoſtis, & ingenijs pœnarum horreſcere diris.
Sæpe metu, atque oneri potui ſuccumbere tanto;
Auxilij niſi certa tui fiducia mentem
Erigat, adfulgénſque boni color aureus æui
Dulcia compoſitis promittat gaudia bellis.
Ergo age, ſuſtentáque animum, rebúſque ſecundis
Te ſerua: veniet, veniet Deus, & feret alto
Aer opem; horrorémque tuis, irámque fugámque
Hoſtibus immittet: validis tu viribus auctus,
Præmia felicis capies florentia vitæ.

EPOS CVNRADI RITTERSHVSII IN COLLEGÆ ET Comp. ſui coniunctiſs. SCIPIONIS GENTILIS IC. libros de Coniurationibus.

NIL adeo ſanctum eſt, quod opum furioſa cupido
Inſinuans ſe animis nō conſpurcare ſit auſa.
Rebus in humanis nil tam inuiolabile, ſacrum
Sanctúmque eſt vſquam, quod non temerare cupîrit
Ambitio, ſubtile malum, occultiſsima peſtis,
Secretum virus, genitrix liuoris amari,
Mater hypocriſeos, vitii omnis fons & origo,
Conſultrixque doli, rectorum tinea morum,
Excæcans oculos animi: medicina cui ipſa
Languorem generat, dant pharmaca ſemina morbis.
Splendida maieſtas ſoliorum, qua nihil orbe
In toto auguſtum magis exſtat, nonne vides vt
Crebrò ſollicitata, euersáque peſtibus iſtis
Strata ſolo iacuit? dum coniuratio ſcæua
Regibus imminuit, telo iugulúmque petiuit,
Crudeléſque ſacro inceſtauit ſanguine dextras.
At mihi quis finem ſpectet, quem fecerit vſque
Coniurata cohors. num felix extitit ille?
Haud finit hoc, regum qui ſceptra verenda ſacrauit,
Et vetuit violare, ſacro quos vnguine tinxit,
Rectoréſque dedit populis ſolióque locauit.
Nonne Deus regum violatorum extitit vltor?
Non coniuratos viuos ad tartara truſit?
Exemplis pleni annales, ſacríque profaníque
Et quæuis ætas. Noſtrã hanc quoq;, ſi qua futura eſt,
Poſteritas olim non audiet abſque ſtupore,

Non

Non leget, ætatem, tam monſtrorum vſque feracem,
Tot ſicas regum ceruicibus intentatas
Audiat abſque horrore aliquis? nec vt inde pauorem
Viſceribus tremulum penitis trahat, atque medullis?
Nemo adeo lapis eſt, duróue ex robore factus,
Cui non percellant tam facta nefantia pectus.
Hæc meus illuſtri tractata volumine, luci
SCIPIO *dum donat, ſacratorum inclyta regum*
Sceptra facit debere ſibi, dum regia iura
Aſſerit, & nullo ſolium violabile pacto:
SCIPIO, *cuius amor tantus mihi pectore feruet,*
Occulto iuuenis quantum æſtuat igne puella.

Altorfii v. Martii. M.DCII.

NOBILISSIMO, ATQVE CLARISSIMO VIRO D. SCIPIONI GENTILI IC. eximio: amico meo, & collegæ chariſſimo S. D.

SI iurata fides conſtanti fœdera nexu
Firmat: quis magna ad rerum molimina reges
Coniurare vetet? Quæ tanta potentia tantam
Quæ vim ſubuertat? firmo ſine fœdere quiſnam
Hoc regum poſſit? Num hæc coniuratio non eſt?
Quæ coniuratos iurato robore vincit.
Hæc præclara boni eſt ſpecies. Conſtantia quid ſit:
Et quid ſit Leuitas, quis neſciat? illáne virtus
Eſt ob id: hæc quod ſit vitium? Fœdúſne, fidéſue
In vitio eſt? Fœdus vitiat mala cauſa, fidemque.
In Chriſtum fatui temerè, Chriſtique fideles
Conſpirant populi ac proceres: quos vindice dextrâ,
Ferrea virga Dei truculento conteret ictu.
At quæ cauſa mala eſt? anceps quo iudice tandem
Res decernetur? merito quæ pœna manebit
Supplicio victos, aut quæ virtute vel aſtu
Coniuratorum quis vim fraudéſue retundet?
Aut docta occultas quænam ſolertia mentis
Inſidias reteget? ſileam modo cætera quæ nec
Mens nobis ignara doli: nec lingua, manúſue
Suggerat, aut facili poſſit deſcribere verſu.
Hoc tibi tractandum clariſſime Scipio ſoli
Conueniebat opus: quo non vel acutior vllus
Ingenio viguit, linguáue diſertior alter.
Qui tantum reliquos caput exeris ante poetas:
Quantum inter ſalices effertur quercus, & alnos.

NICOLAVS TAVRELLVS Phyſices, & Medicinæ profeſſor.

Digitized by Google

In Tractatum
SCIPIONIS GENTILIS
IC. CLARISSIMI, & ANTECESſoris primarii in Acad. Norica.

NOn ego iam vlterius rebar pomœria IVRIS
Extendi vllius poſſe operâ artificis:
At quantò contracta magis ſpacia ante videntur,
Ingenio tantum jam arte patente tuo,
SCIPIO, *qui cauiſſe reo, ſecuiſſéue lites*
Vix dignum Conſo duxeris officium,
Publica conſilijs ni porro commoda firmet,
Pendeat à quo vno cuncta vbiquaque ſalus.
Hinc occulta quod Imperijs conſponſio peſtis
Iurata, haud rarò parturit exitium;
Inijcis huic Legum frenos, vinclisque coërces
Iuris, ne ſerpat libera grande malum.
Macte hoc in Themin officio! quo maxima maior
Nunc eius facies & veneranda mage eſt.

Michael Virdungus.

LIBRORVM DE CONIVRATIONIBVS ARGVMENTA.

Libro Primo continetur:

SCIPIONIS GENTILIS Commentarius ad leg. Quiſquis. C. ad leg. Iuliam Maieſtatis.

Libro Secundo, infrà ſcripta:

LIVIÆ AVGVSTI Oratio, ex Dione.
VOLCATII GALLICANI Caſſius.
IOH. CHRYSOSTOMI Concio in Eutropium.
NIC. MACCHIAVELLI Diſputatio, ad Liuium.
SCIP. AMMIRATI Diſputatio, ad Tacitum.
ANT. CONTII Index Coniurationum.

SCIP. GENTILIS

ORATIO pro C. Cæſare.
ORATIO De maledictis in Principem.
NOTÆ ad priora ſcripta.

Impp.

Impp. ARCADIVS & HONORIVS Augusti

EVTYCHIANO PRAEFECTO PRÆT.

I. QVISQVIS CVM MILITIBVS, VEL PRIVATIS, VEL BARBARIS SCELESTAM INIERIT FACTIONEM, AVT FACTIONIS IPSIVS SVSCEPERIT SACRAMENTVM, VEL DEDERIT;

II. DE NECE ETIAM VIRORVM ILLVSTRIVM, QVI CONSILIIS, ET CONSISTORIO NOSTRO INTERSVNT, SENATORVM ETIAM (NAM ET IPSI PARS CORPORIS NOSTRI SVNT) VEL CVIVSLIBET POSTREMO, QVI NOBIS MILITAT, COGITAVERIT: (EADEM ENIM SEVERITATE VOLVNTATEM SCELERIS, QVA EFFECTVM PVNIRI IVRA VOLVERVNT) IPSE QVIDEM, VTPOTE MAIESTATIS REVS, GLADIO FERIATVR, BONIS EIVS OMNIBVS FISCO NOSTRO ADDICTIS:

III. Filii vero eius, qvibvs vitam Imperatoria specialiter lenitate concedimvs (paterno enim deberent perire svpplicio, in qvibvs paterni, hoc est, hereditarii criminis exempla metvvntvr) a materna vel avita, omnivm etiam proximorvm hereditate ac svccessione habeantvr alieni, testamentis extraneorvm nihil capiant: sint perpetvo egentes et pavperes: infamia eos paterna semper comitetvr: ad nvllos prorsvs honores, ad nvlla sacramenta perveniant: sint postremo tales, vt his perpetva egestate sordentibvs, sit et mors solativm, et vita svpplicivm.

IIII. Deniqve ivbemvs etiam eos notabiles esse sine venia, qvi pro talibvs vnqvam apvd nos intervenire tentaverint.

V. Ad filias sane eorvm, qvotlibet nvmero fverint, Falcidiam tantvm ex bonis matris, sive testata, sive intestata decesserit, volvmvs pervenire, vt habe-

HABEANT MEDIOCREM POTIVS FILIÆ ALIMONIAM, QVAM INTEGRVM EMOLVMENTVM, AC NOMEN HEREDIS. MITIOR ENIM CIRCA EAS DEBET ESSE SENTENTIA, QVAS PRO INFIRMITATE SEXVS MINVS AVSVRAS ESSE CONFIDIMVS.

VI. EMANCIPATIONES QVOQVE, QVÆ A PRÆDICTIS SIVE IN FILIOS, POST LEGEM DVNTAXAT LATAM, SIVE IN FILIAS FVERINT COLLATÆ, NON VALEANT.

VII. DOTES, DONATIONES, QVARVMLIBET POSTREMO RERVM ALIENATIONES, QVAS EX EO TEMPORE QVALIBET FRAVDE, VEL IVRE FACTAS ESSE CONSTITERIT, QVO PRIMVM MEMORATI DE INEVNDA FACTIONE, AC SOCIETATE COGITAVERINT, NVLLIVS STATVIMVS ESSE MOMENTI.

VIII. VXORES SANE PRÆDICTORVM RECVPERATA DOTE, SI IN EA CONDITIONE FVERINT, VT QVÆ A VIRIS TITVLO DONATIONIS ACCEPERVNT, FILIIS DEBEANT RESERVARE: TEMPORE QVO VSVSFRVCTVS ABSVMITVR, OMNIA EA FISCO NOSTRO SE

RELICTVRAS ESSE COGNOSCANT, QVÆ IVXTA LEGEM FILIIS DEBEBANTVR: ET FALCIDIA EX HIS ETIAM REBVS FILIABVS TANTVM, NON ETIAM FILIIS DEPVTATA VIDEATVR.

IX. ID QVOD DE PRÆDICTIS, EORVMQVE FILIIS CAVIMVS, ETIAM DE SATELLITIBVS CONSCIIS, AC MINISTRIS, FILIISQVE EORVM SIMILI SENTENTIA CENSEMVS.

X. SANE SIQVIS EX HIS IN EXORDIO INITÆ FACTIONIS, STVDIO VERÆ LAVDIS ADCENSVS, INITAM PRODIDERIT FACTIONEM, ET PRÆMIO ET HONORE A NOBIS DONABITVR. IS VERO, QVI VSVS FVERIT FACTIONE, SI VEL SERO (INCOGNITA TAMEN ADHVC) CONSILIORVM ARCANA PATEFECERIT, ABSOLVTIONE TANTVM AC VENIA DIGNVS HABEBITVR.

Dat. Prid. Non. Septemb. Ancyræ, Cæſario, & Attico Coss. cccxcvii.

SCIP.

SCIP. GENTILIS IVRISCONS. Commentarius

Ad ſuperiorem Conſtitutionem.

ARGVMENTVM.

CRIMEN læſę Maieſtatis, ſiue, vt veteres loquebãtur, imminutæ ſummum & maximũ eſſe, inter omnes conuenit. Sed eius criminis cum varia ſint genera, omnium grauiſſimum atque atrociſſimum genus eſt Perduellio. Id Vlpianus ita definit, cum quis hoſtili animo aduerſus Rempublicam vel Principem animatus eſt l. vlt. D. ad Leg. Iul. maieſt. Ad hoc genus pertinet proprie hæc conſtitutio. Eſt enim de Cõiurationibus, vt omnia eius verba demonſtrant, quam rem ſummum ipſius Perduellionis caput, maximeq; horribile cõſtat eſſe: cum ad interitum Reipublicę rectâ feratur. Hoc igitur crimẽ hæc conſtitutio vindicat vel prima, vel adcuratiſſime omnium. neque enim vllam antea legem extitiſſe memini, quæ ita ſpecialiter de hoc ſolo genere, atque ita diligenter cauerit. Solam Principis vitam atq; incolumitatem hæc conſtitutio tuetur; tum eorum, quos membra ac partes ſui corporis Principes appellant, conſiliariorum

& Senatorum, poſtremo cuiuslibet, qui ipſis militat. In quo maxime noua & ſeuera mihi videtur. Pœnarum etiam magna acerbitas, præſertim quę filiis perduellium iniunguntur, imo & ſociorum & conſciorum. Quare nec inuidia olim hæc Cõſtitutio, nec reprehenſione nuper caruit. Nam, vt alios taceam, ita eam eſt Ant. Contius inſectatus libro primo Lectionum cap. v i i. vt non dubitarit ipſum Iuſtinianum, vel codicis eius compoſitores reprehendere, quod & ſanctiſſimas quaſdã cõſtitutiones in illa collectione prætermiſerint, & quaſdam contra in eam retulerint iniquiſſimas, atque harum poſteriorum exempla adfert L. ſi quis maior. C. de Tranſact. & hanc L. Quiſquis. C. ad Leg. Iul. maieſt. quæ ambæ ſunt eorumdem Principum conſtitutiones, Arcadii, inquã, & Honorii. Prætermiſſarum vnam profert Imp. Antonini (opinor) Pii, de adulterio & mariti moribus, quæ extat Diui Auguſtini libro ſecundo ad Pollentium. Sed meminiſſe debebat, eius conſtitutionis ſententiam, imo & ipſa verba, ea præſertim, ob quæ tantopere laudatur, referri ab Vlpiano in l. ſi vxor. 13. §. iudex. D. ad L. Iul. de adulter. Quod ad leges illas duas in Codicem relatas attinet, non video, cur ſeueritas legum reprehendi debeat, vbi maxime ſeueritate opus: neque ſolum vbi id apparet, vt in hoc grauiſſimo crimine, ſed etiam vbi ignoratur nec intelligitur. Recte enim illud ab eodem Vlpiano dicitur, Durum eſt: ſed ita lex ſcripta eſt l. proſpexit. D. Qui & à quibus manum. Subeſt enim ratio legibus, quamuis non appareat vel reddi à nobis poſſit, quomodo Thomas Aquinas interpretatur, quod Iulianus ſcribit in l. non

omnium.

Digitized by Google

omnium. D. de Legib. Nec minus recte & erudite D. Chryſoſtomus Homilia XVI. Antiochenarum: Lex eſt regia: qui tulit ipſam, & ipſius rationem nouit. Niſi fuiſſet vtile, non prohibuiſſet (Deus.) Reges ferunt leges, nec omnes ſemper vtiliter: homines enim ſunt, nec ſicut Deus, vtile poſſunt inuenire. verumtamen paremus: ſiue vxores ducamus, ſiue ſeruos emere debeamus, ſiue domos, ſiue agros, ſiue quodlibet aliud facere, nõ ex propria facimus hæc ſententia, ſed quomodocunque iuſſerint illi. nec vt res noſtræ pro noſtra ſententia diſponantur, penitus domini ſumus: ſed illorum vbique ſententiis ſeruimus, & ſi quid prçterquam quod illis videtur, facimus, inualidum & inutile redditur. quæ poſtrema verba ſapiunt ſententiam l. non dubium §. 1. C. de legib. Cæterum hac excuſatione in iis, quas Contius notat, legibus nihil opus. Nam legis, ſi quis maior, euidens ratio eſt: iura omnia humana & diuina violat qui tranſactionem à ſe iureiurando ſancitam reſcindere conatur, eo acrius & pluribus pœnis coercendus fuit; præſertim cum Reipub. interſit, lites tranſactione finitas non reſuſcitari. De hac L. Quiſquis, opponemus Contio popularẽ ſuum, Cuiacium Aurelianum, qui nihil in ea lege conſtitui dicit, quod non antea etiã obtinuerit: tametſi non plane id mihi perſuadeat. Vtut ſit, non eſt vlla huius legis acerbitas tanta, quam non & facinoris magnitudo ſuperet, & aliarum gentium de eadem re leges eleuent ac minuant, etiam inter Chriſtianos. Comprobata certe omnium conſenſu hæc conſtitutio eſt, in quibuſdam etiam, vt in perduellis pœna exaſperata. Denique in ius

Canonicum relata eſt ac velut conſecrata. cauſ. v i. quæſt. 1. & Diſtinct. de pœnit. 1. etiam nobiliſſimæ illi Caroli Quarti Imperatoris conſtitutioni, quam Auream bullam vocant, tota inſerta eſt. Cauſam vero eius ſcribendæ Arcadio & Honorio præbuerunt plurimæ atque graues coniurationes quę in ipſos eruperunt pueros, & parum, etiam cum viri eſſent ſapientes aut fortes: vnde contemptus ipſorum, & inuadendi imperii libido. Earum coniurationũ præcipui authores fuerunt primum illa duo mancipia, ac veriſſima portenta, Ruffinus & Eutropius, deinde nobiliſſimi & potentiſſimi homines & Gothici ſeu Vandalici fere ſanguinis, Heraclianus, Gaines, Gildo, Stilico. Qui omnes oppreſſi meritas facinorum ſuorum pœnas luerunt. extantque in Codice Theodoſiano de iis lata priuilegia poſt mortem atque pœnam, Tit. De Calumniatoribus, & Titulo de bonis proſcriptorum. De Eugenio qui Valentinianum occidit, tyrannidemq; occupauit, poſtea prælio ab Imp. Theodoſio magis precũ vi quam armis ſuperatus eſt, & ante pedes eius ſupplex obtruncatus ſeptimo Arcad. i i i. & Honor. i i. conſ. præter alios, Socrates lib. v. Hiſtor. Eccleſ. cap. x x v. commemorat.

Ait Lex, Quiſquis.

Hoc articulo ſatis admoneri interpretes noſtri poterant, ne quenquam exceptum vellent. De quibuſdam tamen non improbabiliter dubitatur, an hac conſtitutione teneantur, veluti de Vaſallo, de non ſubdito, de clerico, de legato. Qui plane peregrinus eſt nec vllo modo ſubditus Prin-

Principi, in cuius ditione verſatur, non committit vere crimẽ læſæ maieſtatis, ſi ipſe nihil in Principem moliatur, aut cum aliis coniuret, quanuis coniurare alios ſciat: neque enim tenetur coniurationem detegere, vt exiſtimo. Sic Allobroges Romæ, niſi coniuraſſent, non eos nouis rebus infideles Horatius dixiſſet, quanquã non plane peregrini illi, & extra ditionem populi Romani. Denique ſic ſentio in earum etiam ciuitatum ciues de perduellione quæri potuiſſe, quæ alias liberæ ea lege in ſocietatem venerãt, Vt maieſtatem populi Romani comiter conſeruarent, quibus verbis intelligebatur is populus ſuperior eſſe. l. non dubito. D. de captiu. & poſtlim. reu. vbi cum clientibus noſtris comparantur huiuſmodi ciuitates: imo & animaduerti in eos poſſe & ſolere damnatos, qui ex fœderatis ciuitatibus apud nos rei facti ſint, adijcit illic Proculus. Quanto magis ciuitates hodie quæ liberę nominatur, ſubiectæ tamen imperio ſunt, hoc iure cenſeri debent? Sed de his nec controuerſia quidem eſſe vlla poteſt. Redeo ad eos qui plane non ſunt ſubditi. Si ipſi coniurent, teneri hac cõſtitutione, & in eos animaduerti certum eſt poſſe, quantum quidem Princeps, in quem coniuratum eſt, vel in corpora eorum, vel in bona poteſt. nam extra fines ſuę ditionis quid poſſit? niſi impetret à principe, cui illi ſubditi. Poſtremo ſeruanda eſt nobis hac in re, quamuis imperioſa, Clementis V. Pontif. Max. conſtitutio. quæ ſic definire generaliter mihi videtur, Neminem teneri læſæ maieſtatis crimine, qui alij ſubditus ſit, neque in eius, in quem deliquit, imperio domicilium certum & continuum

habeat, aut originem inde trahat. c. Paſtoralis. Clement. de ſentent. & re iudic. Nunc de Vaſallo dicamus, de quo eadem Clementina ſcripta eſt in controuerſia Henrici VII. Imperatoris, & Roberti regis Siciliæ, quem Imperator crimine læſæ maieſtatis damnauerat, eamque damnationem Pontifex reſcindit cum ob alias plurimas cauſſas, quas allegat, tum ea, quam dixi, ratione, quod Rex committere non potuerit crimen lęſæ maieſtatis, quantumuis atrocia in Imperatorem deſignauiſſet, cum Imperatori ſubditus non eſſet, ſed Eccleſiæ ligius ac vaſallus, & in regno Siciliæ continuum domicilium haberet. Sane quod ad feuda, ſi quæ ab Imperatore habebat, veluti comitatum Prouinciæ, neque ego dubito, neque Clemens negat, quin priuari rex ab Imperatore potuerit, ſed (vt ego exiſtimo, diſſentiente licet Bartolo in extrau. Qui ſint rebelles in ver. Rebellādo) non tam ob crimen maieſtatis, quam ob crimen feloniæ. quam ſolam in feudis aſpicimus, multumque à maieſtatis crimine differre, quiuis intelligit. Sed de bonis feudalibus poſtea ſuo loco. Non prætereunda mihi videtur inſignis quæſtio, quæ noſtro ſæculo in coniuratione quadam aduerſus Carolum V. Imp. facta adcidit, & de qua excellentiſſimos Iuriſconſultos cum Romæ, tum Mediolani clam cōſultos fuiſſe Guicciardinus lib. XVI. ſcribit, à Clemente VII. Pontifice, & Duce Fr. Sfortia; An Marchio Piſcariæ qui erat homo & Baro regni Neapolitani, magis obligatus eſſet obedire, Cæſari ne, qui ob inueſtituram ab Eccleſia acceptam habebat vtile eius regni dominium, an Pontifici, qui vtpote ſupremus dominus eiuſdem re-

dem re-

dem regni directũ dominium habebat. Sed profecto (ſi verum amamus) Piſcarius ſubditus Cæſari erat non ſolum ob feudum, ſed etiam ratione originis, imo & feudi ipſius ratione, quod ipſe à Cæſare non à Põtifice in regno habebat, directũ dominium habuit ipſum Cæſarem. Veriſſimum enim puto, quod memini me alicubi legiſſe, Regem, qui feudi iure regnum habet, quod ad ſubditos ſuos vaſalloſque attinet directum dominium habere, quod ad regni vniuerſitatẽ vtile tantum. Vaſallum igitur, quatenus vaſallus tantum, id eſt, ſolius feudi ratione, non committere crimen læſæ maieſtatis verius eſt, vt Oldrad⁹ olim reſpondit Conſ. XLIII. Sed de vaſallo ſatis. De clerico ſic breuiter, non ſolum moribus omnium populorum defendi incidere in crimen læſæ maieſtatis, eoq; à Principe, in quem deliquit, puniri non obſtante vllo conditionis vel fori priuilegio, ſed etiam iure & rationib. quas videre quemuis malim apud interpretẽ iuris Canonici clariſſimum, Præpoſitum in c. inprimis, §. de perſona, ex. de Iudic. ubi late defendit hanc ſentẽtiam, licet eam de iure falſam pleriq; adfirmẽt, vt videre eſt cum apud alios criminalium rerum ſcriptores, tum apud Iul. Clarum lib. v. Sent. Recept. §. Maieſtatis, verſic. 23. & verſic. 27. vbi addit tamen, Principes & Iudices ſæculares id facientes excuſari forte poſſe per tex. in c. perpẽdimus. De ſentent. excommun. aliaque à ſe in dicto verſic. 23. tradita, de clerico, qui depoſito habitu & tonſura immiſcet ſe enormitatibus, vt loquuntur. Hæc ſane quæſtio ante tantas opes Eccleſiæ, ridicula viſa fuiſſet etiam ſub Chriſtianis & piiſſimis Impera-

toribus tam Græcis, quam Francis atque Germanis. Nam exempli cauſſa Imperator Ludouicus Pius in coniuratione, quam aduerſus eum Lotharius filius cum compluribus Epiſcopis aliiſq; fecerat, cum alios epiſcopos omnes puniuit, tum Theodulphum Aurelianenſem Præſulem vinctum in carcerem cuiuſdam turris compegit, vnde illum tandem liberauit non alia cauſſa, quam ob cantilenam vnius verſiculi: cum in ſolemni Paſchæ proceſſu illac Imperator prȩteriẽs Theodulphum audiuiſſet concinentem è carcere, Gloria, laus & honor tibi Chriſte redemptor. in quo verſiculo quid probes tamen præter pietatem? mirum, ni Imperator beneficio ſuo Sullæ illam legem adiecerit, Ne in poſterum verſus faceret. Sed & Imp. Otho Fridericum Archiepiſcopum Colonienſem & Rotardum epiſcopum Argentinenſem ob eãdem cauſſam depoſuit, & in clauſtra Fuldenſis monaſterii Corbeiæque coniecit. quod & multo minoribus de cauſſis factitatum illis, & aliis tempeſtatibus ſcio, & ſine controuerſia fuiſſe. Sane ſi aliquis in vtrumque & Imperatorem & Pontificem deliquiſſet & crimine ſimul eccleſiaſtico, ac ciuili aliquo præuentioni locum eſſe etiam in clerico video, aut ſimul ab vtroque ſtatui, vt in Arnoldo illo Brixienſi, de quo ſic eleganter Guntherius lib. III.

Ligurini — nil iuris in hac re
Pontifici ſummo, modicum concedere Regi
Suadebat populo. Sic læſa ſtultus vtraq;
Maieſtate reum geminæ ſe fecerat aulæ.
Vnde etiam tandem (neq; enim reor eſſe ſilendum)
Iudicio Cleri, noſtro ſub Principe victus,

Ad-

Adpenſusq; cruci, flammaq; cremante ſolutus
In cineres, Tyberine tuas eſt ſparſus in vndas.

Supereſt de Legato, ſi is in Principem, ad quem miſſus eſt, coniuret aut atrox aliquid moliatur, de quo altum ſilentium apud interpretes noſtros, ſatis linguatos in aliis, vt verbo Tertulliani vtar; quod ex immanibus eorum commentariis perſpicere promptum eſt, in quibus nec aurum Ennianum ſæpe quæſiueris. Sed hanc quæſtionem, cum de facto incidiſſet in Anglia, in perſona legati Hiſpanici, coram illuſtriſſimis regni proceribus cæteraque nobilitate diſſerens definiuit (niſi me amor fallit) optimis rationibus Albericus frater meus, eiuſque in ſententiam itum eſt in illo incolumi dimittendo. Quam diſputationem coniecit paullo poſtea in librum II. de Legationibus, vnde petere ius eſt.

Ait Lex, Cum militibus, vel priuatis.

MILITES priuatis hominibus opponi non infrequens eſt in iure noſtro: frequentius tamen paganis. Sed cur his opponantur, à multis expoſitum eſt, non item, cur priuatis. quam cauſſam ego profero ex eruditiſſimi ſcriptoris Artemidori Duldiani lib. II. Ονειροκριτῶν, ſiue de Inſomniis: Nam qui militat (inquit) ex priuato vitam ſuam tranſmutat, & ad alias cõuerſationes tranſit, priori relicta. & clarius Chryſoſtomus Antiochenarum LXVII. Nam ſi militarem hanc vitam degentes omnibus abrenunciant, & quo Mars vocauerit, eo proficiſcuntur, & omnia cum ſedulitate ferunt: multo magis nos Chriſti milites; & reliqua. In iure Canonico milites etiam, vt hic,

opponũtur priuatis. Sed priuati in nobiles atque ignobiles diſtinguuntur. c. quia contra. 24 quæſt. 1. Ex quo factum puto, vt in Aurea Bulla Carolina loco vocabuli, Barbaris, ſcriptum ſit, plebeiis etiam, in hac conſtitutione noſtra. Sed & milites poſtea ita diſtincti vt alii nobiles, alii plebeii vel vrbici nominarentur. Qua de re grauiter conqueritur non vno loco Albertus Krantzius, præcipue vero lib. III. Metropoleos cap. XI. vbi eos increpat atque irridet, qui Miniſteriales & Feudalmii tantum dici deberent, eo ambitionis & arrogantiæ veniſſe, vt ſoli, contemptis vrbicis, militares vel milites appellari, imo & Nobiles velint, cum primus gradus Nobilitatis ſit in Baronibus. Mirum eſt, quam ſæpe de hoc excandeſcat optimus & eruditiſſimus ſenex. quid faceret ſi hoc ſæculo noſtro viueret? In quo tamen, quod mireris ſeruatur recta illa nominum & dignitatũ adhuc ratio apud Angloſaxones. neque enim Nobilis apud illos quiſquam, niſi Baro vel Comes. Sicut nec Honoratos vel Honoris vocabulo alios vllos appellant. quem morem à Romanis manaſſe exiſtimo, apud quos, Honorati, certæ dignitatis nota. Vnde iidem inter Illuſtres referũtur, nec ſolum Honorati, ſed & Honorarii iure Romano, de quibus legendi ſunt Wolff. Latzius lib. XII. de Repub. Rom. cap. III. & Iacob. Cuiac. ad l. II. Vt dignit. ordo ſeruet. lib. XII. C. Ego illud moneo, in hac conſtitutione priuatos intelligendos eſſe omnes, qui milites non ſunt, quantauis dignitate præditi ſint, vel magiſtratu. quomodo Quirites olim oppoſiti militibus, vt ex illo nobiliſſimo C. Cæſaris, & Imp. Seueri facto cognoſcimus, qui ſedi-

ſeditiones grauiſſimas militum ſuorum compreſſerunt, Quirites appellando. Nec abſurdum cuiquam videatur, Magiſtratus etiam priuatorum appellatione comprehendi: reſpectu enim Principis, de cuius ſalute hic agitur, omnes priuati ſunt. Sicut priuati ludi eadem ratione dicuntur etiam à magiſtratibus maximis facti. quod noto lib. II. de Iuriſdict.

Ait Lex, vel Barbaris.

POST conſtitutionem Diui Antonini, barbari dici cœpere ii ſolũ, qui in orbe Romano nõ eſſent: qui enim erant, ii ciues Romani erant. l. in orbe, D. de ſtat. hominum. Vnde eum Rutilius orbem ex vrbe feciſſe. Nec minus præclare D. Hieronymus in Eſaiam cap. xx. Ante aduentũ Chriſti vnaquæq; gens ſuum habebat regem: & de alia ad aliam nullus ire poterat nationem. In Romano autem imperio vnũ facta ſunt omnia. quãuis nõ ad conſtitutionem illam forte reſpexit, ſed ad imperii vnius coniunctionem, quæ diuiſa collegit imperia, vt Plinius ait. Eadem igitur gens, quamuis moribus & ritibus & exiſtimatione Romanorum barbara, tamen quæ Romanis parebat, ab altera quę libera erat, ſic diſtingui cœpit. Claudianus in conſul. Mallii Theodori:

O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
Quod tę non geminis frueretur iudice ripis.

E contrario etiam excultæ gentes, etiamque Romano more & cultu viuẽtes, ob eandem cauſſam tamen barbaræ appellãtur. Agathias lib. III. Huius vero temporis Colchi nauigãt, & ex mercatura quæſtum faciunt: ſuntq; de reliquo nequaquã barbari, neque ita viuunt: ſed ad ciuile ac legale

viuēdi genus ex conſuetudine cum Romanis ſunt traducti. Vnde & Lazos Romanorum auxiliares eſſe; eorumque regi Tzathæ inſignia regni à Iuſtiniano Imp. tradita tanquam regi à ſe electo ſcribit, ex quo intelligere poſſis, velut Vaſallum eum fuiſſe Iuſtiniani, & tamen barbarum, quia nō ſubditus. Maxime autem de Tzanis populis imperio Romano adiectis eum gloriatum eſſe lib. v. ſcribit, teſtibus eius Nouellis allegatis, quæ ſunt Nouell. i. & Nou. xxviii. vbi & Lazium noſtrum appellat. Credo, quod non totam eam Colchorum regionem formulę Romanę fecerat, ſed partem duntaxat. Vixiſſe autem barbaros ſubiectos imperio Romano etiā legibus Romanis non dubito; quamuis quædam propter ſimplicitatem eis remitterentur, vt Iulianus Anteceſſor notat in illuſtrium barbarorum nuptiis, vt ſine dotalibus inſtrumentis eas facere poſſint. Nou. cxvii. Huiuſmodi prouincias populi Romani poſſumus imperii illius, ſiue Italiæ barbarias appellare, quomodo Tertullianus Græciæ barbarias dicit, Macedoniam, Illyricum Pontum, & vicinas alias regiones Græciæ deputatas intelligens, in libro de corona militis: quæ erant maxime barbaræ. Vnde factū, ne mores ciuium corrumperentur, vt vnus nomine omnium ab Epidamno mitteretur ad vicinos Illyrios barbaros negotiandi cauſſa, ex eo πωλήτης dictus, teſte Plutarcho in Quæſtionibus Græcis. Authores autem huius conſtitutionis non alios temere barbaros intelligere videntur, quam Gothos, Vandalos; aliaſque ſimiles nationes, quos Stilico in primis & Ruffinus, & Gaines, & quis non illo tempore coniuratorum? excitauerunt in impe-

imperii Rom. prouincias, Tyrannidis ſibi parandæ cauſſa. Claudianus eleganter lib. 1. in Ruffinum:

——— impius ille
Proditor imperii, coniuratusque Getarum.

Plurimos eorum ſummis dignitatibus ac magiſtratibus apud Romanos poſtremis temporibus ornatos & præpoſitos fuiſſe, conſtat. reperio & Bacurium quemdam Iberorum regem Domeſticorum comitatem fuiſſe, in lib. 1. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ à Ruffino ſcriptæ: vt in vita Hilarionis monachi, cuius D. Hieronymus, ſiue quis alius autor, Candidatum Conſtantii Imperatoris Frãcum fuiſſe. quæ gens inter Saxones & Alemannos (inquit) non tam lata quam valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur. Quod eo libentius noto, quia, *Nunc*, inquit. vnde refellitur puerilis error Paulli Æmilii, grauiſſimi alioquin hiſtorici, q initio ſtatim hiſtoriæ ſuæ Franciçę ſcribit, Ciceronẽ in epiſtolis ad Atticum meminiſſe Francorum. de quo errore Æmilii, eiuſque cauſſa alibi expono in libro de Antiquis Italiæ linguis, vbi receſeo, quæ nationes olim lingua Latina vulgo vſæ fuerint. eo enim ille locus Hieronymi facit, cum ait, Videres de ore barbaro, & qui Francam tantum & Latinam linguam nouerat, Syra ad purum verbum reſonare.

Ait Lex, Sceleſtam inierit factionem.

SCELESTAM dicunt Imperatores, non ſolum ad notandam magnitudinem facinoris: ſed et-

iam quia factio in bonam quoq; partem ſumi cõſueuit, ſæpius tamen in malam. Salluſtius Iugurtha: Metum à ſcelere ſuo ad ignauiã veſtram trãſtulere: quos omnes eadem cupere, eadem odiſſe, eadẽ metuere in vnum coegit. Sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio eſt. Idem alibi nõ diſtinxit, & amicitiam ſolam nominauit: ex quo, vt ſolet, D. Hieronymus ad Demetriadem capit. VIII. Sæcularis quoq; ſententia eſt, inquit, Eadem velle, & eadẽ nolle, ea demum firma amicitia eſt. Corrigẽdus nobis inſignis locus optimi oratoris Calui in Vatinium, in lib. Iulii Seueriani de Rhetoricis præceptis, vbi de Affectibus agit: *Hominem noſtræ ciuitatis audaciſſimum, de factione diuitem, ſordidum, maledicum, adcuſato* primum reponebam, adcuſabo: nunc malo, adcuſatorem. vt hoc quoq; inter probra Vatinii ponat, ſicut Cicero ſæpe in Bruti cuiuſdam, quem ob eam cauſſam dedecus familię Iunię vocat, quod adcuſationes factitaret, non Reipub. & gloriæ ſtudio, vt optimi & nobiliſſimi quique, ſed animi vitio: turpiſſimum autem eſſe, Adcuſatorem dici. Hæc autem verba ad cõiurationem aduerſus Principem, & hic & infra in hac conſtitutione ſæpius, referri manifeſtum eſt. Q. Curtius lib. III. ſuſpicionem initi ſceleſti conſilii præbuit.

Ait Lex, Aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum, vel dederit.

INTERPRETATIO hæc mihi videtur proxime poſitorum verborum: vt intelligeremus tã eſſe

eſſe in culpa & tam dici factionem ſceleſtam iniiſſe eum, qui alio authore coniurauit, quam qui author coniurationis fuit, ex quo etiam nomen mutuari cõiurationes ſolent, puta Catilinaria, Piſoniana, & quam Politianus deſcripſit, Pactiana. Sacramenti in re tam ſcelerata more multorum vſurpant, vt in re fœda Petronius amicitiæ ſacramentum dixit. Sed vt ſacramentum & religio rei honeſtæ, puta militiæ, vnde hoc nomen tractum, nullo ſcelere ſolui dicitur, Liuii lib. II. Sic ſacramẽto ſcelus nullum adſtringi certiſſimũ eſt, cum neque ſacramentum tale ſit. Claudianus in Ruffinum lib. I.

—Sociat perituro fœdere dextras.

Omnino legendum, periuro fœdere. Quapropter recte adoleſcens ille Nicomachus apud Q. Curtium lib. VI. negat ſe amatori Dymno fidem obligauiſſe de parricidio, hoc eſt, vt coniurationem in Alexandrum regem ab illo initam occultaret: ſimileque exemplum Samonæ ſpadonis commemorat Zonaras libro III. Annalium in Leone philoſopho Imperatore. Dignus vterque, & ille, qui pudicus eſſet; & hic, qui ſpado non eſſet, vtut alias malus atq; inteſtabilis fuerit. Quoniam iuriſiurando in tantis facinoribus nulla vis, nulla religio, ideo atrocioribus ſacramentis fidem vincire multi conati ſunt, vt Catilina, qui patriam humani ſanguinis plenam circumtulit Saluſtio, vel fama teſte, vt filii Bruti, & Aquilii. Plutarc. in Poplicol. ὅρκον ὀμόσαι μέγαν ἔδοξε πᾶσι καὶ δεινὸν, ἀνθρώπου σφαγέντος ἐπισπείσαντας αἷμα, καὶ τῶν σπλάγχνων θιγόντας. Idẽ in vita Ciceronis, mactati hominis guſtatã carnẽ in coniuratione Catilinæ, ſcribit: de patera tacet.

CAPVT II.

De nece etiam virorum illuſtrium, qui conſilio & conſiſtorio noſtro interſunt: Senatorum etiam (nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt, vel cuiuslibet poſtremo, qui nobis militat, cogitauerit, eadem enim ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri iura voluerunt) ipſe quidem, vtpote maieſtatis reus gladio feriatur bonis eius omnib. fiſco noſtro addictis.

HOc caput ideò à ſuperiori diſtinxi, quod nõ modo diuerſa, ſed & quædam valde noua in eo continerentur. Fuerit ſane olim etiã maieſtatis crimen magiſtratu pop.Ro. occiſo, etiam Senatore nec occiſo ſolum ſed violato, imò non exhibito ei honore, qui debebatur, vt Cicero in quadam Verrina de Mamertinis queritur: at certe id in cõſiliariis & adſeſſoribus, & aliis quibuslibet principi militantibus nunquam, quod ſciam, obtinuit. Deniq; arbitrarium eſt, quomodo iſta diſtinguas, nec ad rem quicquam, nonnihil ad lucem intereſt. Olim magnæ ſæpe fraudes in hac capitum confuſione admitti potuerunt, multis & diuerſis rebus ſimul coniunctis, & veluti per Satyram rogatis, quod ne fieret etiam legibus caueri oportebat. Quam callide Clodius in quodam capite legis multa popularia admiſcuerat, ne tolli poſſet quod in perniciem intenderat M. Tullii? qui eam ob cauſſam illud capi etiam tangi prohibuit, in epiſtolis ad Atticum.

Ait

Ait Lex, De nece etiam virorum illuſtrium, qui conſiliis & conſiſtorio noſtro interſunt.

ET particula iſta, Etiam, ſatis indicat, prius dicta ad Principis perſonam referēda eſſe, quod Adcurſius recte vidit; & ſequens illa ἀπολογία, Nā & ipſi pars corporis noſtri ſunt, mihi probat. Ideo autem ſeipſi non nominant, vel quia per excellētiam coniurationes intelliguntur in Principem factæ, vel ominis deteſtandi cauſſa, vt in l. 1 x. C. de bon. proſcr. iidem Impp. Si quis poſthac ſtilum (Quod abſit) proſcriptionis exceperit. Nunc de conſiliariis Principis videamus: hos enim ſolos virorum illuſtrium nomine hic intelligi, ſequentia verba declarant. Conſiliarios autem omnes non ſolum qui de Repub. vniuerſa in conſilium adhibentur, ſed etiam qui in cognitionibus & iudjciis Principi adſunt. Ad omnes æque pertinet & conſilii nomen, & conſiſtorii. Sicut hodie apud Turcas Diuanum locus publici concilii eſt & iuris dicundi, quod cum ex aliis, tum ex Busbequii eruditiſſimis illis epiſtolis diſcimus. Recētiores Græci apud Mart. Cruſium, Διβάνη βασιλικὸν βῆμα, exponunt: quomodo alii Conſiſtorium, vel ὑψηλὸν βῆμα, vt in l. vlt. C. qui mil. poſſ. vbi Comitem cōſiſtorianum interpretatur Cuiacius eum qui habere dicitur τὴν ἀξίαν τοῦ κόμητος τοῦ ὑψηλοῦ βήματος. Sūt autem huiuſmodi Comites nō perſonæ illuſtres, ſed poſt illuſtres, id eſt, ſpectabiles, neq; adſidēt, vt Conſiliarii, vel de rebus deliberāt vllis, aut cōſuluntur. de quibus eſt Tit. x. lib. x 1 1. Codic. vbi ſpectabilibus Proconſulibus æquantur: prope vt

mihi perſuadeam hos etiam verbis huius conſtitutionis comprehendi,cum conſiſtorio interſint. Aliorum, quorumcunque magiſtratuum conſiliarii & adſeſſores non ſunt in hoc numero habēdi. nec conſiſtorii nomen de iis vſurpatur, quamuis vice ſacra iudicent, & Tribunal Cæſaris appelletur,vt in actis Apoſtolorum. nec Præfectos prætorio excipio,vnde in l.lecta.D.de reb.cred.in auditorio Æmilii Papiniani pręf.præt.Quod nec de Conſule poſſis dicere,ſed ita vt Celſus,cum eſſet in concilio Duceni Veri conſulis.l pater meus. D.de Leg.2. Cæterum quod in Principis conſiliarios crimen læſæ maieſtatis committatur, eam rationem vulgo reddunt, quia per eorum latus tranquillitas Principis turbetur. Rectius diceret, quia cum pars corporis Principis ſint, etiam maieſtatis participes eſſe videantur. Diuus Chryſoſtomus in epiſtola vel parænesi ad Theodorum lapſum. Quando Regem (malo, Imperatorem) videmus frequēti ſatellitio palatium adequitantem,eos qui illi proximi cohærent ſermonis,conſiliique & maieſtatis eius participes, fœlices iudicamus, noſq; miſeros. quibus verbis Chryſoſtomi egregie cōfirmatur ſententia Salyceti,qui non committi crimen hoc læſæ maieſtatis dicit, niſi in iis conſiliariis & magiſtratibus,qui Principis lateri adſiſtunt,ſiue circa eius latus verſantur,non etiam in iis, qui magiſtratus à populo Ro. vel Principe in prouincias miſſi ſunt, cum illi non poſſint proprie dici intereſſe conſiliis & cōſiſtorio principis, & inepte Menochius intereſſe, exponit, id eſt, reſidere, eumque etiam reſidere apud principem dici, qui eius nomine in prouinciam cum impe-

imperio miſſus eſt, conſil. x c i x. vbi contra Rolandum à Valle acriter diſputat de coniuratione illa Ioh. Aloyſii Fliſci, qui Iannetinũ Doriam claſſis Caroli v. præfectũ interfecit, in patria Genuæ. Tametſi quod ad bona feudalia attinet, quæ Fliſcus ab imperio habebat, veriſſime reſpondeat, ea ob id delictum à Fliſco amiſſa, nec adgnatis eius ſed fiſco deberi. Plerique tamen contra Salycetũ ſentiunt, moti, cum aliis quibuſdam rationibus, tum inprimis verbis huius legis, qui nobis militat, de quibus illic dicam.

Ait Lex, Senatorum etiam (nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt.)

INTELLIGIT Senatores vtriuſque Romæ, & veteris, & nouæ. atque ita non modo ad Senatum Romanum miſſas eas conſtitutiones legimus, quæ Orationes Principum dicuntur, ſed & ad Conſtantinopolitanum, vt indicat l. vn. C. de cad. toll. in qua & Patrum conſcriptorum nomen iis tribuitur. Imo ſi Annæ Comnenæ Alexii Imperatoris filiæ eruditiſſimæ credas, tranſlata imperii ſede Byzantium, etiam omnis Senatus prærogatiua adeoque pontificatus ipſius dignitas veteri Romæ erepta, & illuc tranſlata exiſtimari deberet. Cuius verba non poſſum mihi temperare quin hic adſcribam ex iiſdem Turcogræciæ ſcriptoribus: Καὶ ταῦτα τῶ θρόνου ἀρχιερέως, καὶ αὐτὰ τὰ πρωτεῖα τῆς οἰκουμένης ἁπάσης· ὥσπερ οἱ Λατῖνοι λέγουσι τε καὶ ἴονται· ἔστι γὰρ καὶ τοῦτο τῆς ἀλαζονείας αὐτῶν, μεταπεπτωκότων γὰρ τῶν σκήπτρων ἐκεῖθεν ἐνταῦθα εἰς τὴν ἡμετέραν βασιλίδα πόλιν· καὶ δὴ καὶ τῆς συγκλήτου, καὶ τῆς ὅλης βασιλικῆς τάξεως· μεταπέπτωκε

καὶ ἡ τῶν θρόνων ἀρχιερατικὴ τάξις: καὶ δεδώκασιν οἱ αἰὲν ἐκεῖ τῷ βασιλεῖς τὰ πρεσβεῖα τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντίνου πόλεως, καὶ μάλιστα ἡ ἐν καρχηδόνι (al. χαλκηδόνι) σύνοδος εἰς τὸ ἴσον πλὴν προτίμησιν τῆς Κωνσταντίνου πόλεως ἀναβιβασμένη: τὰς αἰτίας τῆς οἰκουμένης διοικήσεις ἁπάσας ὑπὸ τοῦτον ἐποίησεν, inuehitur in Hiltebrandum Papam, Henrici Imperatoris inimicum, Quod autem Senatores pars corporis Principis appellantur, verum eſt, ſi Principem nō vt caput Reipubl. ſed vt Rempublicam ipſam, ſiue perſonam, quæ eius loco eſt, accipias, quo ſenſu C. Cæſar, qui primus Rempublicā occupauit atq; immutauit, aliquando dixiſſe fertur, Nihil eſſe amplius Rempublicam, vmbram modo corporis non corpus eſſe, quod & verū eſt, cum vnius formæ inductio alteram perimat, præſertim cum adeo ſunt contrariæ, vt iſtæ duæ, popularis, inquam, ſtatus, & regius. Qua de re præclare in cōtrouerſia Ducum Florentiæ & Ferrariæ diſputat in quodam ſuo reſponſo Tiber. Decianus. Alio adſpectu vel blandiendi cauſſa ipſi ſe Principes Senatus partem adpellant, cum in eo ſe ordine numerant, vt Iulianus in l. ius ſenatorum. C. de dignit. quod ibi ſic explicant Græci Iuriſconſulti: καλῶς εἶπεν βασιλέος συναριθμεῖσθαι τοῖς συγκλητικοῖς, ἐπειδὴ καὶ ὑπατεύειν ἀνέχεται. nam ſi conſules ſunt, etiam Senatores ſint neceſſe eſt. Quid ni? cum & ciues ſint, & appellētur: vt Panegyrico Plinii. Quare & illa appellatione Patres conſcripti, Cæſarem quoque comprehendi verius eſt: neque aliter Hortalus ille locutus eſſet præſente Tiberio. tametſi honoris cauſſa & vt princeps ac caput Senatus indicetur, vna expreſſum nomen Cæſaris reperiam, & interdum quidem poſt Patres conſcriptos. Vetus Iuuenalis in-

interpres in Satyram IIII. Criſpus, inquit, municeps Viſellenſis tirocinio ſuo in Senatū ita cœpit, P.C. & tu Cæſar: propter quod ſimul oratione pleniſſime à Tiberio collaudatus, plurimas ſponte cauſſas apud C.V. egit pro qua re in Baſilica Iulia eius ſtatua poſita eſt. vbi eruditiſſ. Pithœus recte reponit, ſimulatione: niſi malimus, ſimulata oratione. Ita eſt, diſſimulauit ſuo more offenſam Tiberius, quod ſecundo loco nominatus eſſet, quamuis forte nec abſurdum id, nec inuſitatum videatur, vt ex inſcriptione Brixienſi, in cuius extremo eſt, EX S. C. ET EX AVCTORITATE CÆSARIS. tametſi auctoritas præcedere ſoleat, non ſequi. Plinius lib. IIII. epiſt. XII. Cæſarem, deinde Cæſare authore, Senatum conſuluit. Sed hæc libertatis & ciuilitatis ſimulachra ſunt, vſurpata olim Principibus, de quo dico lib. I. De Imperio Principis.

Ait Lex, Vel cuius ibet poſtremo qui nobis militat.

APAGE Harmenopuli interpretationē, quæ nobis etiam gregariū militē ſacroſanctum facit. Nam ita vertit ὁ συγκλητικὸν, ἢ στρατιώτην τινὰ φονεύσας, κρίνεσθω καθωσιώσεος. Quoſnam igitur hic militantes accipimus? Si verba & contextus huius cōſtitutionis ferrent, de eo acciperem, qui militem quemuis hoſti prodit, quem perduellionis teneri leges Duodecim Tabularū voluerunt, teſte Martiano, in l. lex XII. D. ad L. Iul. maieſt. Sed non ferunt, vt apparet. Ergo militantes Imperatori capiamus cum Adcurſio, circa latus eius. In contra-

rium multi pugnant,& de omni pæne magiſtratu maiori, licet in prouincia ſit, hæc verba intelligũt, his præcipue argumentis, quantum perſpicio. I. quia id in l. 1. D. ad L. Iul. maieſt. expreſſum ſit ibi, cuiuſue opera dolo malo conſilium initum erit,quo quis magiſtratus populi Rom. quiue imperium poteſtatemue habet, occidatur. II. Quia maxime aduerſus ſecuritatem Reipub. vel Principis cõmittitur coniuratione in talem magiſtratum,vel rei bellicæ ducem. ergo maieſtatis crimẽ erit d. l. 1. §. 1. III. Quia ſi tantum eos qui Principi adſunt,contineri his verbis intelligamus, abſurda multa ſequentur: veluti, quod prodens ciuitatem aliquam vel caſtrum imperii non teneatur maieſtatis; quod abſente Principe ne ipſius quidem conſiliarii vel Senatores hac lege muniti erunt. Quod nõ aliter, quam ſi in aula verſentur, in eos crimen hoc admittatur. IIII. Quod nimis hęc verba, Cuiuslibet qui nobis militat,hac ratione reſtringentur, cum tamen ſint generalia, & omnes officiales magiſtratuſque Principis cõplectantur, omnem denique militiam Palatinam, ſiue cingulis donati ſint,ſiue ἄζωσοι ſint, atq; incincti, quales Honorarii dicuntur, de quibus ſupra monuimus. V. Quibus & illud argumentum addatur, quod Senatores etiam nec Conſtantinopolis ſolum,ſed etiã Romæ nominatim hac conſtitutio comprehendat: eſt autem perridiculum in vno Senatore præſertim abſente & Romano plus ſecuritatis publicæ poni, quam in ſummo aliquo & præcipuo magiſtratu; cui totius forte Reipub. cura delegata eſt, atq; incumbit. Sed me hæc de ſententia mea non demouent: omnino enim

nim exiſtimo, illa verba non de omnibus aulicis quamuis in dignitate conſtitutis, & circa latus Principis verſantibus, vt Adcurſius, Cynus, & Salycetus ſentire videntur, intelligenda eſſe; ſed de cuſtodibus corporis, & cohorte prætoria, quæ proprie Cæſari militare dicitur, & cuius virtuti ac fidei vita & ſalus Principis innititur, præſertim eo tempore quo excubias agunt, & quando periculũ aliquod metui poſſit, nam & Imp. Conſtantino Niceæ, vbi ſynodus habebatur, milites armatos excubaſſe nudatis gladiis ante veſtibula palatii, tradit Euſebius de vita eius lib. III. Præcipua charitatè hi milites ſemper fuerunt Imperatoribus Romanis. hinc illa Cæſaris vox lib. I. de bell. Gall. decimam legionem, cui ſemper maxime indulſiſſet, in cohortis Prætoriæ loco habiturum: hinc Alexandri, vno Cęſare minoris, cohors amicorum, in quam fratrem Darii recepit omni vetuſtæ charitatis honore ſeruato, ait Q. Curtius lib. VI. & hinc apud Socratem lib. III. Eccleſ. hiſtor. c. XXI. Calliſtus quidam memoratur, qui inter neceſſarios Iuliani Imperatoris militabat. Hinc milites iidem à Nerone nouo Auguſtanorũ nomine ornati apud Corn. Tacitum. Hinc Carolus Magnus vna cum filiis, optimatibus, & amicis etiam Satellitum & cuſtodũ corporis turbam inuitare ſolitus ad balneas vt ſimul cum eo lauarentur, teſte Eglinarto: conuenienter liberalitati & ciuilitati veterum Imperatorum Romanorum. Mitto præmia & prærogatiuas eorum. Quæ omnia ſingularem Impp. erga tales milites prætorianos charitatem, atque fiduciam demonſtrant. Quod autem ad ſuperiora argumenta pertinet,

omnibus vno verbo reſpondeo, hanc legem non ita ſcriptam eſſe, vt omnia maieſtatis vel perduellionis capita complecteretur, aut ſi quæ ad maieſtatis olim crimen perduellioniſque pertinebant, ea abrogaret: ſed illis omnibus in ſuo vigore manentibus, de hac perduellionis potiſſimum ſpecie cauiſſe, quę coniuratio dicitur & factio inita contra vitam Principis, vel eorum, quorum ſalute incolumitas & ſalus Principis continetur. Qua in conſtitutione, ſi quis diligentius eam conſideret, multa reperiet noua, vel diligentius, quam antea ſancita, inprimis quod ad conſiliarios & Senatores adtinet cuſtodeſque, vt dixi, corporis. Nam nec in Senatorem Romanum hoc crimen maieſtatis olim admiſſum exiſtimo ob ſolam cogitationem conſiliumue de cæde eius; vt hæc lex cauet; ſed ita ſi cædes ſecuta fuiſſet ob alium, quam Rom. Senatorem etiam ſecuta cæde, non hoc crimen maieſtatis admittebatur, ſed homicidii tantum. Seneca lib. v. cõtrouerſ. x. Non ages mecum Reipubl. læſæ, ſi Athenienſem Senatorem occidero, ſed cædis. Illa vero diſtinctio, qua interpretes vulgo vti video, vt aliæ ſint pœnæ coniurantis contra ipſam perſonam Principis, alię contra perſonam conſiliariorum vel Senatorum, ineptiſſima mihi ſemper eſt viſa; nam hæc lex plane nihil diſtinguit, imo apertiſſime eaſdem omnibus irrogat pœnas. Quare & ſiqui de nece Conſiliarii cõiurauit, non ſolum capitis pœna bonorumq; publicatio, vt illi volunt, locum habebit, ſed & illæ aliæ pœnæ, quæ maxime in §. ſequenti, ſanciũtur aduerſus filios, item memoriæ poſt mortem rei damnatio. Fateor ob crimina maieſtatis, quæ non

ſint

ſint perduellionis, memoriam defuncti non damnari. l. vlt. D. ad L. Iul. maieſt. Sed nego in hac lege, quam interpretamur de vlla ſpecie maieſtatis, quæ perduellio non ſit, quicquam caueri. Etiam illud concedo ſpectandum maxime eſſe non ſolum animum delinquentis, quod illi dicunt, id eſt, vtrum priuato odio magiſtratum ſit perſecutus, an Principis odio in eum coniurauerit: ſed etiam an cædes eius aliquod præcipuum detrimentum Principi attulerit. Hinc Agrippæ regis illa ratio valere debet, cui cum concionanti Iudæi obſtreperent, clamantes non ſe aduerſus Romanos, ſed aduerſus Florum, ob ea quæ pertuliſſent, bellum gerere; ad ea Rex, Sed opera veſtra, inquit, talia ſunt, qualia aduerſus Romanos pugnantium. Neque enim Cæſari vectigal dediſtis, & Antonianas porticus incędiſtis, vt eſt apud Fl. Ioſephum lib. I I. de Bello Iud. Et eadem plane ratione ac moderatione cõuentus Cordubenſis apud Hirtium lib. I. de Bello Alexandrino: Legiones deprecatur, ne hoſtili aduentu Cordubam diriperent: nam ſe cõtra Caſſium ſentire cum omnibus: contra Cæſarem ne facere cogerentur, orare. Legatus enim Cæſaris Caſſius erat, & pro prætore exercitũ ab eo obtinuerat. Hic igitur parum proderit dicere, non ſe Principis odio, ſed priuatis inimicitiis eſſe ad facinus faciendũ impulſum. Poſtremo quæri poteſt, vtrum ne aliquid hac in parte immutatum ſit, vel aurea bulla Caroli IV. Imperatoris, vel conſtitutione extrauaganti, vt nominant, Henrici VII. Qui ſint rebelles. De bulla Carolina prius reſpondebo. eſt quidem in ea initium huius legis quod ad perſonas attinet, totum

immutatum. nihil enim illic de conſiliariis, vel Senatoribus, nedum aliis ſcriptum eſt, ſed de Electoribus tantum, non etiam Principibus aliis: verum hoc nihil huic conſtitutioni derogat; ſuo enim inſtituto & rei, de qua tum agebatur, adcōmodarunt Carolus Imperiique ordines hanc legem: quemadmodū & Pontifices Romani eam ad ſuam perſonam ſuorumque inflexerunt, nec propterea quiſquam dixerit in illis ſolis perſonis committi crimen perduellionis: quod ſi dixeris, nec in Cæſarem committi dixeris. Conſtitutio autem illa Imp. Henrici ita definit, Omnes illos eſſe rebelles & infideles noſtri imperii, inquit, qui quomodocunque publice vel occulte contra noſtrum honorem & fidelitatem rebellionis opera faciunt, & contra noſtri imperii ſecuritatem aliquid machinantur: contra nos, ſeu officiales noſtros in iis, quæ ad commiſſum eis officium pertinent, rebellando. Hæc Imperator. Quæ tantum pertinent ad infidelitatis & rebellionis, ſiue contumaciæ grauioris quædam facta, non ad ſummum crimen perduellionis, vel coniurationis in Principem conſiliarioſue eius. quod ex ſanctione ſubiecta euidentiſſime apparet, in qua pœnam huiuſmodi rebellibus pecuniariā duntaxat multam irrogat, & illam ſolemnem atq; vſitatam, indignationis ſcilicet ſuæ, quæ ad capitis pœnam nihil pertinet, aliaſque grauiſſimas quas perduellibus hæc Arcadii & Honorii conſtitutio iniungit. Quod miror, interpretes noſtros non animaduertiſſe, qui ineptiſſime ex illa Henrici VII. conſtitutione hanc, ſi Diis placet, interpretandam putant.

Ait Lex, Cogitauerit.

HOc eſt, vt pluribus verbis in §. emancipationes dicitur, de ineunda factione ac ſocietate cogitauerit: neque nuda vel vnius cogitatio hic punitur, ſed coniuratio, & participatio conſiliorum; quomodo in hac ipſa re verbo eſt cogitandi vſus Q. Curtius lib. VI. extremo: Qui vt præfectos regis circumſtantes ſe vidit, Demetriū, & ſemetipſum id facinus cogitaſſe confeſſus eſt. Suetonius in Cæſare: ſi qua cogitarētur grauius aduerſus ſe, aut dicerentur. Nunc quod dixi, iterum dicendum eſt (neque enim ſatis hoc Interpretes noſtri animaduertere,) de factionibus & coniurationibus tantū ſcriptam eſſe hanc conſtitutionem. neque igitur ad alias ſpecies temere extendendum eſſe; veluti ſi quis ſolus cum nemine communicato conſilio cogitauerit tale facinus aut etiam pronunciauerit: non erit, vt puto, huic leg. locus. quod & Andreas Iſernia ſenſiſſe videtur in c. quæ ſint regalia, §. & bona amittentium, in vſibus feudor. melius, quam Matthæus de Afflictis, qui huic legi locum eſſe ſcribit etiamſi quis iurauerit vel certo adfirmauerit ſe Principi mortem vel inſigne damnum aliquod allaturū: ſtulta hæc verba, & ſi lenius accipias, miſericordia digna, quā pœna, tanta præſertim & tam multiplici. Auguſtus quidem Caſſium quemdam Patauinū, qui in conuiuio palam dixerat, ſibi neque voluntatem neque animum confodiendi Auguſti deeſſe, exilio tantum puniuit, vt refert Tranquillus: quam pœnam Theſſalorum leges ob ciconiam

immutatum. nihil enim illic de conſiliariis, vel Senatoribus,nedum aliis ſcriptum eſt,ſed de Electoribus tantum,non etiam Principibus aliis: verum hoc nihil huic conſtitutioni derogat; ſuo enim inſtituto & rei, de qua tum agebatur, adcōmodarunt Carolus Imperiique ordines hanc legem:quemadmodū & Pontifices Romani eam ad ſuam perſonam ſuorumque inflexerunt, nec propterea quiſquam dixerit in illis ſolis perſonis committi crimen perduellionis: quod ſi dixeris, nec in Cæſarem committi dixeris. Conſtitutio autem illa Imp. Henrici ita definit, Omnes illos eſſe rebelles & infideles noſtri imperii,inquit,qui quomodocunque publice vel occulte contra noſtrum honorem & fidelitatem rebellionis opera faciunt, & contra noſtri imperii ſecuritatem aliquid machinantur: contra nos,ſeu officiales noſtros in iis,quæ ad commiſſum eis officium pertinent,rebellando.Hæc Imperator. Quæ tantum pertinent ad infidelitatis & rebellionis,ſiue contumaciæ grauioris quædam facta, non ad ſummum crimen perduellionis, vel coniurationis in Principem conſiliarioſue eius.quod ex ſanctione ſubiecta euidentiſſime apparet, in qua pœnam huiuſmodi rebellibus pecuniariā duntaxat multam irrogat, & illam ſolemnem atq; vſitatam,indignationis ſcilicet ſuæ,quæ ad capitis pœnam nihil pertinet,aliaſque grauiſſimas quas perduellibus hæc Arcadii & Honorii conſtitutio iniungit. Quod miror, interpretes noſtros non animaduertiſſe,qui ineptiſſime ex illa Henrici VII.conſtitutione hanc, ſi Diis placet, interpretandam putant.

Ait

Ait Lex, Cogitauerit.

HOc eſt, vt pluribus verbis in §. emancipationes dicitur, de ineunda factione ac ſocietate cogitauerit: neque nuda vel vnius cogitatio hic punitur, ſed coniuratio, & participatio conſiliorum, quomodo in hac ipſa re verbo eſt cogitandi vſus Q. Curtius lib. vi. extremo: Qui vt præfectos regis circumſtantes ſe vidit, Demetriũ, & ſemetipſum id facinus cogitaſſe confeſſus eſt. Suetonius in Cæſare: ſi qua cogitarẽtur grauius aduerſus ſe, aut dicerentur. Nunc quod dixi, iterum dicendum eſt (neque enim ſatis hoc Interpretes noſtri animaduertere,) de factionibus & coniurationibus tantũ ſcriptam eſſe hanc conſtitutionem. neque igitur ad alias ſpecies temere extendendum eſſe, veluti ſi quis ſolus cum nemine communicato conſilio cogitauerit tale facinus aut etiam pronunciauerit: non erit, vt puto, huic legi locus. quod & Andreas Iſernia ſenſiſſe videtur in c. quæ ſint regalia, §. & bona amittentium, in vſibus feudor. melius, quam Matthæus de Afflictis, qui huic legi locum eſſe ſcribit etiam ſi quis iurauerit vel certo adfirmauerit ſe Principi mortem vel inſigne damnum aliquod allaturũ: ſtulta hæc verba, & ſi lenius accipias, miſericordia digna, quã pœna, tanta præſertim & tam multiplici. Auguſtus quidem Caſſium quemdam Patauinũ, qui in conuiuio palam dixerat, ſibi neque voluntatem neque animum confodiendi Auguſti deeſſe, exilio tantum puniuit, vt refert Tranquillus: quam pœnam Theſſalorum leges ob ciconiam

necatam irrogabant. ſed ſine ioco: eadem verba, quæ Caſſius dixit, ſed alio animo atque euẽtu reperio prolata fuiſſe à Magno quodam, Suediæ (ſi bene memini) Duce, qui aduerſus regẽ ſuum atque cognatum coniurationem fecerat, cum enim ei Rex veniam dediſſet, ſed idẽtidem tamen quæreret, Tune me inſidiis obtruncare voluiſti? quid inquit ille, rogitas? Nec animus, nec manus, nec gladius defuit, ſed fortuna: quæ etiam te ſola ab alto miſerata ſeruauit, vt ſcribit Alb. Krantzius lib. vi. Daniæ c. xxxix. Eum Rex, meo iudicio, tanquam ſi iterum coniuraſſet, punire debuiſſet. Non prætermittã ex hoc verbo huius legis ſumpſiſſe fratrem meum argumentum, quo probaret non poſſe in legatum regis de quo ſupra diximus, animaduerti: quia ius gentium, quo legati ſolo cẽſentur, nõ punit cogitata præſertim pœna corporali, quod infra demonſtrabo. Illud ridiculum eſſet, admonere, quod hæc lex ait, De nece cõſiliariorum cogitare, ad eam inferendam vel per te, vel per alios, pertinere. Sed in Principe eſt, quod hic obſeruemus; etiam de vita Principis inquirere præſertim per aſtrologos & mathematicos capitale eſſe: neque hoc ſolum, ſed etiã de ea dubitare vel deſperare, ꝓ crimine maieſtatis habitum eſſe, ſi ea deſperatio indiciis eſſet aliquibus patefacta, veluti, ſi carmen in Principis mortem compoſitum, imo & filii Principis. vt apud Tacitum lib. iii. Annal. C. Lutorii Priſci memorabile exemplum qui in carcere necatus Senat⁹ iudicio, ob carmẽ in morte Germanici publicatum, ſed quod ægro Druſo compoſuerat, vt ſi is extinctus eſſet maiore præmio

mio vulgaretur. Aſperum nimis hoc, ſcio, & magis à Tiberio quam à legibus videri poſſit: verumtamen & Alexander Magnus id ipſum pro maximo crimine maieſtatis habuit, non ex ira vel ebrietate, ſed tanquã recepto iure. Sic enim Q. Curtius lib. x. ait: Rex cognita cauſſa, pronũciauit, ab accuſatoribus vnum & id maximum crimen eſſe præteritum, Deſperationẽ ſalutis ſuæ. nunquam enim talia auſuros, qui ipſum ex India ſoſpitẽ aut optaſſent reuerti, aut credidiſſent reuerſurũ. Nũquam hoc ita Alexander in iudicio pronunciaſſet & cauſſa cognita, niſi lex Macedoniæ fuiſſet, in qua caput de hac ſpecie maieſtatis, vt alia plena ſeueritatis ac prope immanitatis, quale erat illud de occidendis parentibus & propinquis omnibus eius, qui Regi inſidias ſtruxiſſet. quod caput ſuſtulit Alexander, eodem Curtio & Arriano teſtibus: non item alia.

Ait Lex, Eadem enim ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectũ puniri iura voluerunt.

IVRA intelligo & Ciuilia, & Romana. Ciuilia ideo, quia ius gentium nunquam punit voluntatem, imo nec conſilium quidem atq; conatum pro facto. Sed neque delicta pecuniaria vnquam, niſi pecunia. Quare Theophilus Inſtitutionum paraphraſtes doctiſſimus, cõtra ius gentium eſſe, quod fures morte aut alia quam pecuniaria pœna multentur, ſignificat illis verbis tit. 2. lib. 1. τὸ κλέπτην εἰς χρήματα τιμωρεῖσθαι, ἐπειδήπερ ἔβλαψεν ἡμᾶς περὶ χρήματα, quaſi par pari referre, & eadẽ menſura redhoſtire, id maxime iuri gentium con-

ueniat. Nec alia ratione poſſis Ambroſium interpretari aut tueri aduerſus Iudæorũ querelam, qui incenſam ſibi à Chriſtianis baſilicã reſtitui petebãt meritiſſimo vt videtur, ait.n. Ambroſius epiſtola x x i x. At certe ſi iure gentium agerem, dicerem quantas Baſilicas Iudæi tẽpore imperii Iuliani incenderint. Romana vero ideo adieci: quia id Romanorum proprium inſtitutũ ac ritum eſſe aiunt, voluntatem pro ſcelere ducere ac punire: vt teſtatur Seruius in illum Virgilii locum lib. vi.

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.

Et Rhodiorum legati in ipſo ſenatu Romano id eis velut exprobrarunt, cum dicerent teſte Liuio, Neque moribus, neque legibus vllius ciuitatis ita comparatum eſſe, vt ſi quis vellet inimicum ſuum perire, ſi nihil fecit, quo id fiat, capitis damnetur. Quam rem pluribus verbis eorum patronus executus eſt in eodem Senatu Cato in ea oratione, quæ inſcripta erat pro Rhodienſibus. Plura ad hanc rem pertinẽtia ex ea refert & elegantiſſima A. Gellius lib. vii. Noct. Attic. cap. iii. eaque ab adcuſatione Tyronis, Ciceronis liberti, vindicat. Cæterum ſuperior illa ſententia duobus modis temperanda eſt: quantum quidem hæc comprehendi regula poſſunt: nam minutiſſimas ſapientiæque inaniſſimas noſtrorum diſtinctiones quis probet? in quibus ſæpe neſcias diſcernere, quæ ſit regula, quæ exceptio. Videatur Salycetus ad l. is qui cum telo. C. ad L. Cornel. de ſicar. & vulgo omnes ad l. ſi quis non dicam rapere. C. de epiſc. & cler. Primum igitur temperamentum eſt, vt locum non habeat ea ſententia in nuda voluntate ſimpliciq; cogitatione, cuius merito dicitur nulla eſſe

eſſe pœna iure ciuili: l. cogitationis. D. de pœn. Neq; enim Iuriſconſulti probāt illud Poetarum:

Et ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum
Facti crimen habet. Item:
——— *Prima eſt hæc vltio quod ſe*
Iudice nemo nocens abſoluitur ———.

Nec Philoſophorū tenues illas, & enucleatas voluntatum in rebus illicitis reprehenſiones, & diſputationes, vt Gellii verbis vtar: nec Theologorum etiam ſententias de peccato, & iure diuino, quo puniri aiūt etiam tacita & occulta cogitationum, ex quo ſunt, exempli gratia, illa Diui Hilarii Pictauenſium Epiſcopi in Pſalm. LVIII. Viros autem ſanguinum non ſolum admiſſa cædes, ſed etiam cogitata conſumat. & in Pſalm. LV. Nec ſufficit non egiſſe aliquid impium, ſi mēte cogitatur impietas. Sed neque ipſi Theologi, vt exiſtimo, hoc ita ſimpliciter intelligunt, vt quæuis cogitatio ſceleris ſit peccatum, quæuis etiam concupiſcentia, ſed adſenſus ad eam, & labefactatio animi: nam quis, oro, tam caudex, qui formoſiſſima viſa virgine non cōmoueatur? Qua de re memini me aliquid legere apud eruditiſſimū Valeſium Philippi Hiſpan. regis medicum in libro de ſacra Philoſophia. & nunc in excerptis meis ex operibus D. Hieronymi illud reperio lib. VI. c. XVIII. comment. in Ezechielem: Deus igitur, inquit, primos & ſecundos ſtimulos cogitationum, quas Gręci προπαθείας vocant, ſine quibus nullus hominum eſſe poteſt, nequaquam punit: ſed ſi cogitata quis facere decreuerit, aut ipſa quæ fecerit, noluerit corrigere pœnitētia. Hæc ille diuinitus. Ad Iuriſcōſultos noſtros redeo, veros harum rerum,

quæ in hac vita punienda ſunt, æſtimatores ac iudices. Igitur ſi cogitatio & voluntas actū aliquem externum adſumpſerit, ita vt conatus ad facinus potius dici debeat, quam voluntas, id etiam iura ciuilia puniunt, quamuis non ſemper ordinaria pœna „quæ ſceleri conſtituta eſt, ſed plerumque mitiori aliqua, vt recte & magno conſenſu docet iuris ciuilis interpretes, teſte Iulio Claro libr. v. Recept. ſentent. §. vlt. quæſt. xc i i. & Iac. Menochio lib. i i. de Arbitrar. Iudic. Quæſt. caſu 360. Idque in poteſtate iudicis ſemper eſſe, non in neceſſitate dicebat Baldus, quod dictum perpetuo cordi tenendum Salycetus eodem loco ait, allegata l. aut facta. §. euentus. D. de pœn. Atque ita ad æquitatem illam iuris gentium, de qua ſupra demonſtraui, quodammodo reditum eſt, quam etiam Cicero indicat in Verrin. i i i. vbi de Verre legato Dolabellæ, magnum ſcelus Lampſaci auſo ſcribit: Cæterum, inquit, quoniam non perfeciſſet, quod conatus eſſet: & cætera. Alterum temperamentum eſt, quod hæc iuris ciuilis & huius legis, quam exponimus, ſententia fere locum habet in grauioribus delictis, & quæ naturali & ciuili iure damnantur, vt iidem Doctores magno conſenſu, & Cuiacius in Obſeruationibus docet, non in leuioribus. Vtrumque temperamentum mihi videtur Paullus in illa nobili ſententia eſſe complexus, de SC. Liboniano agens; Si ei ſeruo, qui bona fide ſeruit, aliquid adſcripſit; quod ad cogitationem animi nocens eſt, quia ei adſcribit, quem ſuum putat: ſed quoniam neque legatum neque hæreditas bonæ fidei poſſeſſori acquiritur, dicamus eum pœnæ eximendū eſſe.

eſſe. l. impuberem. §. 4. D. ad L. Cornel. de falſ. vbi primum vides cogitationem animi dici, quę nuda non eſt, nec intra fines animi ſtetit, ſed ad conatum factumque progreſſa eſt, ad legati, inquam, adſcriptionem; licet effectus, id eſt, lucrum nō ſit ſecutum, vetante iure legatum bonæ fidei poſſeſſori quæri, quod ille tamē quæri ſibi putabat. Nocens igitur eſſe merito ob id dicitur, nec tamē puniendus, quia & fruſtratus ſuo voto eſt, & deliquit in re leuiori & iure tantū ciuili, hoc eſt, SCto Liboniano interdicta, neque interdicta propter ſe, quod aliqua turpitudo eſſet ſibi legatum à teſtatore relictum adſcribere, ſed ad euitandas fraudes, ne quis etiam non relictum ſibi adſcriberet. Culpa igitur adeſt, in adſcribente ei, quem ſuum putat: ſed pœna non adeſt. & ita prudēter Romanus Stoicus, quales fuiſſe Iuriſconſultos veteres pleroſque accepimus. Seneca lib. II. de Trāquill. animi cap. VII. Omnia ſcelera, inquit, & ante effectum operis, quantum culpæ ſatis eſt, perfecta ſunt. culpæ dixit, non pœnæ: quia ſciebat non puniri iure ciuili. His ita explicatis intelligere debemus, neutrum horum temperamētorum in propoſito noſtro locum habere, ideoque recte Imperatores ea ſententia, quam ſupra poſuimus, vſos eſſe. Primum, quia facinus, de quo agimus, non ſolum eſt ex grauioribus aliquod, ſed omniū grauiſſimum & atrociſſimum: deinde quia non nuda cogitatio hic punitur, ſed ea quæ ad decretum animi exceſſit, & ad externa quædam. Coniuratio enim per rerum naturam ſtare intra fines cogitationis non poteſt, cum requirat ad minimum duos. neque enim ſecum quiſquam dici poteſt

coniurare. niſi vt in fabulis ille apud Plautum, qui ſuum cor, ſuum animum ſibi conſiliarium & Senatum eſſe dicit. Illud propter grauitatem ſceleris, propterque reipub. periculum ac peſtẽ in hoc crimine præcipuum eſt fortaſſe, quod etiam prima tentamenta, ac colloquia pro crimine ipſo & habenda ſint, & punienda. Eſt enim hic, quod in nullo alio delicto, quantumuis maximo, facile reperias: præſertim ſi in Principis vitam, in qua ſalus omnium periclitatur, vel patriæ exitium, inita ſit coniuratio. Id quale ſit, ex Catonis malo, quam meis verbis intelligi. Sic enim ille ſummus vir in oratione, quam aduerſus coniuratos Catilinarios in Senatu habuit, apud Saluſtium loquitur: Nam cætera maleficia tum perſequare, vbi facta ſunt. Hoc niſi prouideris, ne adcidat, vbi euenerit, iudicia fruſtra implores. Capta vrbe nihil fit reliqui victis. Quam pulcherrimam ſententiam vel Catonem vel Saluſtium mutuatum eſſe, primi obſeruauimus, ex oratione Lycurgi oratoris aduerſus Leocratem quemdam proditionis reum. Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἀδικημάτων, inquit, ὑστέρας δεῖ τετάχθαι τὰς τιμωρίας. Προδοσίας δὲ καὶ δήμου καταλύσεως προτέρας. εἰ γὰρ ποιήσεται τοῦτον, τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ μέλλουσιν ἐκεῖνοι κατὰ τῆς πατρίδος φαῦλον τι περιέλθειν, οὐκ ἔστιν ὑμῖν κατὰ ταῦτα δίκην παρ' αὐτῶν ἀδικούντων λαβεῖν. Credo hunc illum Lycurgum eſſe, de quo Cicero in Bruto ſcribit, Adcuſationem factitauit, vt Athenis Lycurgus. Multas eiuſdem ſed latine redditas ſententias reperias in libris veterum Rhetorum, inter quas & vnam obſeruaui, quam itidem mihi Saluſtius imitatus videtur. eam ſic Rutilius Lupus lib. 1. de Figuris ſenten. refert: Cuius omnes corporis partes ad nequitiam ſunt appo-

appoſitiſſimæ: oculi ad petulantem laſciuiã, manus ad rapinam, venter ad auiditatẽ, virilis naturæ membra, quæ non poſſumus honeſte appellare, ad omne genus corruptelæ, pes ad fugam: prorſus vt aut ex hoc vitia, aut ipſe ex vitiis ortus videatur. Quæ ſic Saluſtius in Declamatione in Ciceronẽ: Cuius nulla pars corporis à turpitudine vacat: lingua vana, manus rapaciſſimę, gula immẽſa, pedes fugaces: quæ honeſte nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima. Sed vt ad ſententiam illam priorem Catonis redeam, hoc perduellionis crimen excipere A. Gellius debebat in illa ſua diſputatione aduerſus Tyronem, qua Catonem Cenſorium huius Prætorii auum defendit, vitæq; humanæ negotia non eſſe ſimilia pugnæ gladiatoriæ dicit, in qua hęc propoſita ſors eſt, aut occidere ſi occupauerit, aut occũbere, ſi ceſſauerit. Hic enim, vt diximus, præoccupandum ſemper eſt, ne poſtea nõ ſit vlciſcendi facultas. Quæ ratio ſi cõſiderata fuiſſet à nonnullis huius Conſtitutionis obtrectatoribus, non ita temere in eam inuecti eſſent.

Ait Lex, Ipſe quidem, vtpote maieſtatis reus gladio feriatur.

SÆPE miratus ſum tam ſimplex & nobile mortis genus hac cõſtitutione parricidis iſtis irrogari, cum cætera videantur pleriſque ad acerbitatem conquiſita. Nam (vt externa inſtituta, atque exempla taceam) Romæ iam ab initio vrbis pœnę atrociores iniunctæ fuerunt. Metius quadrigis diſtractus, Manlius Capitolinus de ſaxo Tarpeio deiectus, Lentulus aliique ſceleris Catilinarii co-

mites laqueo in carcere ſtrangulati, Seianus in Gemonias ſcalas præcipitatus; alii aliter, & quidem crudeliſſime (ſi quid tamen in hos poteſt crudele) perierunt. Conſtitutionibus etiam Imperii recentibus, magnã partem à Carolo v. promulgatis, atrociſſimæ ſunt ſancitæ huic facinori pœnæ, præſertim ſi Princeps vel Reſpub. in præſens aliquod ſalutis diſcrimen adducta ſit. Sed omnes ſuperat memorabile ſupplicium in eos ſtatutum, qui de Alba Græca Turcis prodenda coiuerant, quod Ant. Bonfinius commemorat Decad. v. lib. III. rerum Hungaricarum; ſimillimum ac geminum ei, quod de ſeruo Ciceronis domini ſui proditore ſumpſit, opinor, Attica, ſiue quæ alia mulier. Sed retinuere Impp. Arcadius, & Honorius legitimam, & vſitatam pœnam, eoq; illa verba videtur adieciſſe, vtpote maieſtatis reus. Quid ergo eſt, quod Imp. Conſtantinus Ducas apud Zonaram lib. III. Annalium ait, ſe τοὺς ἐπιβούλους αὐτοῦ μὴ ἄλλως κακῶς διαθέσθαι, εἰ μόνον ὡς ὠνητοῖς κεχρῆσθαι αὐτοῖς, ὡς τῶν νόμων αὐτοῖς τὴν ἐλευθερίαν ἀφελομένων. id eſt, ſe non aliter eos male tractaturum, quam vt pro mancipiis vteretur, quod iis leges libertatem adimerent. quod noſtri Iuriſcõſulti vno verbo dicunt, ſeruos pœnæ fieri. Hoc igitur Ducas volebat, remiſſa capitis pœna, quam eſſent promeriti, ita vt ex ſeruis pœnæ, Cæſaris, hoc eſt, ſuos, ſeruos efficeret. nam ſeruus pœnæ qui eſt, is Cæſaris ſeu fiſci ſeruus eſſe nõ poteſt. l. ſi in metallum in princ. D. de his quæ pro non ſcript. Quoniam Zonaræ mẽtio facta eſt, videre apud eum paſſim licet ſub Imperatoribus Græcis, excæcationem in vſu fuiſſe in hoc maxime crimine. Quam pœnam

&in

& in Annalibus Gallorum à Ludouici regis quodã domeſtico ſcriptis, duobus locis notaui. Idem author de coniuratione quadã in Carolum Magnum ita ſcribit: Authores vero coniurationis, vt rei læſæ maieſtatis, partim gladio cæſi, partim patibulis ſuſpẽſi ob meditatũ ſcelus tali morte multati ſunt. In quibus verbis agnoſcis verba ipſa huius conſtitutionis, ſimul & æquitatem; nam & illi ob meditatũ ſcelus, vt hic ſancitur, puniti ſunt. De gladio lib. III. de Iuriſdictione. In aliis omnibus læſæ maieſtatis leuioribus non mors, ſed relegatio vel deportatio pœna eſt arg. l. eorum. D. de pœn. & l. Metrodorum, D. eo. iuncta l. cuius. D. ad L. Iul. maieſt.

Ait Lex, Bonis eius omnibus fiſco noſtro addictis.

ETIAMSI filii adſint, vt mox ſequitur. Abrogari igitur hac cõſtitutione videtur l. eorum. D. ad L. Iul. maieſt. in qua diſerte ſcriptum eſt, bona liberis damnatorum conſeruari ex decreto D. Seueri; & tum demum fiſco vindicari, ſi nemo damnati liberorum exiſtat. Nec refert, quod de liberto patre maieſtatis damnato loquatur. nam ſi id in liberto valet, quanto magis valere debet in libero atque ingenuo? Imo ab his ad libertos ius productum illo Seueri decreto puto, cum de libertis dubitaretur. Argumentum habeo, quod Tacitus libro quarto Annalium de liberis C. Silii ſcribit, omnia bona paterna iis relicta, excepta quarta parte, quæ indici ex lege deberetur. niſi ad clemẽtiam Principis & Senatus id referre malis, & ad M. Lepidi, qui id pro liberis cẽſuerat, autho-

ritatem : vel quia repetundarum verum crimen Silii erat, quamuis quæſtione maieſtatis exercitum fuerit, vt ſupra Tacitus dixerat. eoque pertinet, quod de indicis quarta dicitur. Male cum alii, tum Alciatus in l. indicare. D. de Verb. ſig. ad legem maieſtatis refert. Sed quicquid ſit, liberis damnatorũ omni & tempore & iure in aliis criminibus relictas ſaltem partes, varie tamen, certum eſt, l. vlt. D. de bon. damnat. l. vlt. C. eod. Dio lib. LIX. & diligentiſſime exponit Cuiacius lib. VI. obſeruat. XXIII. donec Nouella Iuſtiniani liberis & cognatis vſque ad tertiũ gradum omnia relinqui iuſſit, nec publicari, nimirũ vbi pœnam olim publicatio tacite, & à lege ſequebatur ſine iudicis ſpeciali pronũciatione de iis facta, vt in deportatione, cuius ipſum per ſe nomen rerum omnium ſpoliatio eſt, vt eleganter ait l. vn. C. Th. De ſentent. paſſ. Sed & Iuſtiniani illa Nouella excepit tamen nominatim crimen læſæ maieſtatis. ex quo nihil nec liberis damnati relinquitur, nedum aliis. Dico nihil: licet libertorum iura beneficio conſtitutionũ concedi Cuiacius dicat. quod non puto verum, ſaltem poſt hãc cõſtitutionem. Nam l. iura. IV. D. de iur. patron. quam in mente habuit, benigniſſime id reſcriptũ eſſe à Diuis Seuero & Antonino ait. Quare cum hæc conſtitutio filiis perduellium adimat alia etiã, antea conceſſa, veluti partem aliquam bonorum, aut (ſi id in hoc crimine nunquam obtinuit) alia iura, puta, vt extraneis ſuccedere poſſent, & ne eſſent plane infames atque inteſtabiles: multo magis iura patronatus eis adempta voluit, per quæ ad ſucceſſionem aliquam filii damnatorum admitterẽtur,

tur, quod planiſſime vetat hæc conſtitutio. Benigniſſime autẽ quod ait d. l. IV. id apparet ex l. III. D. de interd. & releg. vbi Alfenus, qui ſæculis ante Seuerum vixit, nec in minoribus criminibus, ex quibus ſcilicet ciuitas amitteretur, ſalua libertorum iura eſſe liberis punitorum ait. nec repugnat d. l. I V. quia poſt Auguſti tempora, cum Alfenus vixit, potuit id mutari, ſic, vt Gordianus Imper. nec in dubium venire dicat, conſuetũ obſequium liberis damnatorũ debere libertos paternos præſtare. l. etiam. C. de obſeq. patr. præſt. In crimine igitur perduellionis, ſaltem poſt hanc l. quiſquis. nec ius vllum libertorum reliἐtum eſſe perduellis liberis exiſtimare debemus, in eoq; & Cuiacium falli, & Contium dicendum eſt. Illa maior quęſtio eſt, an bonorum publicatio in omni crimine maieſtatis irrogetur, an in ſolo perduellionis genere. Et multi putant in hoc ſolo, id enim diſerte propemodum tradit Vlpianus ad l. vlt. D. ad Leg. Iul. Maieſt. & Iuſtinianus in §. interdum Inſtit. de hęred. quæ ab inteſt. defert. Sed contra Ant. Cõrius in d. Nouella Iuſtiniani καϑοσίωσιν, non perduellionem, vt Haloander, ſed maieſtatis crimen verti debuiſſe cum vetere interprete contendit, contra quem & Robertus Aurelianus ſtat, lib. II. Recept. XXII. & Cuiacius, qui ſic itidem vt Haloander interpretatur id verbi, vt apparet ex fine interpret. eius Nouel. CXXXIV. Vt nul. Iudic. lic. Græcum verbum Impietatem ſonat, quo modo olim id crimen in Principes vocabatur omne: non ſolum, quod in perduellionis cauſſam caderet. Dio in Tiberio lib. LVII. Iniurias aliorum impietatéque in ſe (iam enim Impietatis nomen id generis

peccatis tribuebatur, multiſque ob eam dies dicebatur) penitus diſſimulabat. Suetonius in Domitiano: Impie locutus Palmularius. E contrario, Pietas dicta, ſi quis bene animatus eſſet in Principem, eiuſq; iniurias vlciſceretur, vel quaſuis verborum contumelias: nam & impietatis crimine tenebantur. Tacitus lib. III. Annal. Id Tiberius ſolitis ſibi ambagibus apud Senatum incuſauit, cum extolleret pietatem etiam modicas Principis iniurias acriter vlciſcētium, deprecaretur, tam præcipites verborum pœnas. Suetonius in Auguſto. Laudauit quidē pietatē tantopere pro ſe indignantium. Nolim itaque Robertum, καθοσιώσεως nomine crimē ſolum ſignificari dicere, quod aduerſus Rempublicam perpetratū ſit, ex eo, quod ὅσιον, vt ait, publicum ſignificet. Nam & priuatis, præſertim patribus communicantur hæc nomina Impietatis, & Maieſtatis. Perduellionis autē nomen non facile quis reperiat alibi vſurpari quam in crimine in Rempubl. vel Principem Rom. admiſſo, cum quis hoſtili animo aduerſus eos animatus eſt, vt loquitur Vlpianus in d. l. vlt. & ex eo, opinor, veterum gloſſæ, in quibus, Perduelliones, οἱ κατὰ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων βουλευόμενοι, ἢ κατὰ βασιλέων. De Horatio, qui perduellionis iudicatus ob interfectam ſororem, alibi copioſe expoſui, in libro ad L. Portiam de ſuppliciis ſiue de libertate Romana. Eleganter D. Hieronymus in patre hoc verbum vſurpat, cum ait Abſolonem contra patrem perduellionem præparauiſſe, in lib. 2. Reg. cap. 15. Sed id nō qua pater, ſed qua Rex erat. Sed ad rem: argumentum Contii infirmiſſimum eſt ex Græco vocabulo ductum. præſertim cum non

habeant

habeant Græci nomen, quo Perduellionem exprimant, ſicuti nec quo ſimile Talionis, aliaque multa: vt docet in quadam epiſtola Iul. Scaliger, Ciceronem defendens. Sed neque contrariæ ſententiæ authorum firmum eſt, quod ex d. §. Interdum. & d. l. vlt. ducunt. Nam Iuſtinianus & Vlpianus illic publicari bona dicũt in perduellionis cauſſa non quia non & in aliis maieſtatis criminibus publicentur: Sed quia in ſolo perduellione memoria damnetur & bona publicetur mortuo reo, quamuis nulla adcuſatione inſtituta deceſſerit, de hoc enim illi agunt. Deinde refellitur hæc ſententia ex eo, quod in aliis cauſſis maieſtatis deportationis pœna irrogetur, quam ſequitur tacite bonorũ publicatio. l. eorum. D. de pœn. Quid igitur dicendũ? Vulgo duo capita legis Iuliæ maieſtatis faciunt, Vnum ſummum, quod Perduellio dicitur, atque in eo omnes conſentiunt. In altero ponendo & explicãdo mire variant. Sed forte rectius ſit, tria capita vel potius tres gradus facere. Vnum, in quo contineantur ea, quæ pertinẽt ad cauſſam perduellionis, in quo ſolo memoria poſt mortem damnatur. d. l. vlt. D. ad L. Iul. maieſt. Alterum, in quo leuiora crimina ſiue facta collocari debent, quibus non Principis vel Reipub. ſalus ac tranquillitas petitur nec hoſtilitas vlla verſatur, ſed dignitas eius violatur, aut aliquid ei detrahitur, ſed non hoſtili tamen animo. Quale eſt, ſi Principis ſtatuæ iam conſecratæ violentur, puta deiiciendo, vel conflando eas. l. 4. cum tribus ſeqq. D. eod. tit. niſi rebellionis vel ſeditionis cauſſa id factum ſit: vt Antiochiæ deiectis Imp. Theodoſii imaginibus; id enim iure pro

ſummo maieſtatis crimine habitum, & vindicatum in authores præcipuos fuit. Qua de re multę extant D. Chryſoſtomi in ea vrbe conciones habitæ. Tertium gradum horum criminum facio, cum quid ſit vel dicitur, quod maieſtatem Principis nullo modo imminuat, contemnique à ſapientibus & bonis Principibus debet, vindicatũ ſæpe à malis, veluti quod quis prope ſtatuam Imperatoris ſeruũ ceciderit, veſtem poſuerit, vrinam fecerit, & ſimilia plurima, apud Tacitum, Suetonium, Dionem, alios; præſertim ſi non animo cõtumeliæ inferendæ, ſed vel errore fecerit, vel petulantia, vel ſtultitia. In his rebus diiudicãdis maxime ante oculos haberi debet, quod eſt in cõſtitutione Theodoſii & filiorũ Arcadii & Honorii, in l.vn. C. ſi quis imper. maledix. & apud Modeſtinum in l.famoſi §. 3. D. ad L. Iul. maieſt. Hoc crimen à iudicibus non in occaſionem ob principalis maieſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate, & perſonam ſpectandam eſſe; & quæ ſequuntur. In ſecundo illo gradu læſæ maieſtatis locum habere bonorum publicationem verius eſt, d.l. nec eorum cum ſimil. D. de pœn. adeoque & ipſum cõtineri verbo καθοσιώσεως in dicta Auth. bona. C. de bon. proſcript.

Ait Lex, Omnibus bonis.

Non ſolum quæ habet, cum damnatur, ſupplicioque adficitur, ſed etiam quæ habuit & alienauit, poſtquam hoc ſcelus cogitaſſet, imo & quæ habiturus fuiſſet, niſi deliquiſſet. De primo genere clara res: niſi quod incidit quæſtio de bonis feudalibus, & eccleſiaſticis, & ſi quæ ſimilia habuit, de quibus commodius poſtea dicã ad verba

ba illa, Fiſco noſtro. De ſecũdo genere etiam ſuo loco exponam, id eſt, ad §. emancipationes. infra h.l. De tertio hic dicendum. Ac primum de ſpe vel iure ſucceſſionis, quod habebat. Et amittere omne ius eum, certum eſt, nam ſi bona acquiſita & ſua perdit, multo magis acquirenda. arg. l. patre. D. de his qui ſunt ſu. vel al. iur. & præterea ſi filii eius innocẽtes ſunt plane incapaces, multo magis ipſe. Sed de illo dubitatur, an hæc quoque bona, quæ ſpe & iure ad eum pertinuiſſent, fiſcus vindicare poſſit, tanquam qui in locũ rei ſucceſſerit. Et verum eſt non poſſe, quia in fiſcum non tranſeunt iura acquirendi, ſed iura iam adquiſita. l. 1. §. an bona. D. de iur. fiſc. l. 111. C. ad l. Iul. de vi. Sicut nec in patrem vel in dominũ l. is qui heres. D. de adquir. hered. l. cum proponas. C. de hered. inſtit. Deinde bona confiſcantur hac lege, ſed ius illud & ſpes adquirendi eſt extra bona. l. pretia rerum. D. ad L. Falcid. Ergo verum eſt, ab aliis fiſcum excludi. primum à ſubſtituto rei, ſi quem habuit teſtamento datum. l. vn. §. in ſecundo. C. de cad. toll. l. ex facto. §. ex facto. D. ad SC. Trebell. vbi filii poſt deportationem patris ſuſcepti non faciunt deficere conditionem illam, ſi ſine liberis, nec proſunt patri: ſed bona vindicantur fiſco cum ſua tamẽ cauſſa, id eſt, cum onere fideicommiſſi relicti ſub ea conditione. ex quo apparet ſubſtitutum ſiue fideicommiſſarium fiſco potiorem eſſe. Si ſubſtitutum non habet, ſed cohæredem vel collegatarium, etiam hi præferũtur fiſco d. l. vn. de cad. toll. Neque refert, quod ad fiſcum præſertim adtinet, vtrum delata ſit hæreditas iam incapaci, an vero capaci: & ſi incapaci, v-

trum ab initio teſtamenti incapax fuerit, an poſtea. Priori enim caſu pro non ſcripto habetur, & vel ſubſtituto, vel cohęredi vindicabitur, vel neutro extante, hęreditas ab inteſtato ſuccedētibus: aut ſi de legato agatur, penes eam remanebit, à quo id teſtator reliquit d.l.vn.§. in primo. Quod ſi poſt teſtamentum capax eſſe deſiit, id quod relictum ei eſt, in cauſſa caduci eſſe dicitur; & idem ius quod in priori caſu, ſeruabitur ex eadem Iuſtiniani conſtitutione, niſi quod in priori caſu onus, ſi quod adiectum hereditati vel legato erat, non tranſit ad eos, ad quos tranſire hæreditatem & legatum diximus; ſed vt illa, pro non ſcripto habetur: in poſteriori caſu tranſit omne onus cum ipſa re. Sin autem poſt mortem teſtatoris cæperit eſſe incapax, hic, quod relictum eſt, proprie caducum adpellatur: ſed neque hic quicquam fiſco adquiritur ex dicta ſæpe conſtitutione. Nam fiſcus ſuccedit indignis: eripit, inquam, hæreditatem indignis: at is qui capere non poteſt, multum ab indigno diſtat. Indignus enim poteſt capere, & reuera capit, ſed retinere non poteſt, quod cepit, extorquente fiſco. Incapax autem qui eſt, is ſtatim repellitur, & antequam capiat, quod & ipſum nomen incapacis ſatis indicat. Quare hereditas indigno delata non recte & proprie dici poteſt caduca, ſed potius ereptitia, vt Vlpianus adpellat in Titulis Regularum. Ad hoc qui indignus eſt, is etiam hæres eſt, manetque hæres etiam poſt hæreditatem ſibi à fiſco ereptam, ſaltem nomine. Cuius nominis ratione conſequi quædā poteſt, quæ illius nominis ſequela ſunt. l.ex facto.§. Iulius & ibi Baldus. D. de vulgar. & pupill. ſubſtit. In iis,

quæ

quæ de indignis conſtituta ſunt, nihil ſe immutaſſe Iuſtinianus profitetur; in §. quæ autem antiquis. d. l. vn. de cad. toll. Sed videamus, quid ſi hęreditatis delatæ tempore incapax primum eſt, an hoc ſaltem caſu hæreditas fiſco deferatur? quod nequaquam dicendum eſt: defertur enim iiſdem perſonis, quibus ante demonſtrauimus. Nam ſi incapax cœpit eſſe viuo teſtatore, quaſi caduca hæreditas eſt, nec dum etiam deferri ei potuit: ſi mortuo teſtatore, caduca. Sed dices, quomodo poſt mortem teſtatoris incapaci facto potuit deferri hæreditas: cum hæreditas deferatur ſtatim à morte teſtatoris, ſi pure relicta ſit? Nam ſi ſub cõditione vel in diem certum relicta ſit, ne defertur quidem antequam conditio, vel dies extiterit. d. l. vn. §. ſin autem aliquid ſub condit. & l. delata. l. cedere. D. de verb. ſig. cum ſimil. Igitur nec adiri, nec repudiari antea poteſt, adimus enim & repudiamus duntaxat delata l. is qui hæres. D. de acq. vel amit. hær. Sed ponendum eſt, hæreditatem ei delatam eſſe, cum capax eſſet, ſed priuſquã eam adiret, vel repudiaret, deſiiſſe capere poſſe. Sed hoc caſu proprie caduca hæreditas dicitur, cũ id contigerit mortuo teſtatore; vbi quid iuris ſit, ſupra docui. Quod ſi iam adiuerat hæreditatem, tunc quia ei adquiſita eſt aditione, & eius propriũ patrimonium facta eſt. l. ſi plures. §. cohæredi. D. de vulgar. & pupil. ſubſtit. idem ſeruabitur, quod in cæteris eius bonis, quæ fiſco vindicantur. Quid ſi pendẽte adcuſatione hæreditatem repudiauit? poteſt enim & adire interim & repudiare, cum integri ſit ſtatus, vt & poſt ſententiam poſſet pendente appellatione. l. filio. §. irritum. D. de

D

iniuſt.rup.irr. an ſi poſtea ſequatur condemnatio, vel confirmatur ſententia, poterit hæreditatem reuocare, tanquam in fraudem ſuam facta repudiatione?& verius puto,non reuocaturum: neq; enim tenetur reus fiſco acquirere, ſed non diminuere in fraudem fiſci, argu. Edicti fraudatorii.l. quod autem in pr. D. quæ in fraud. credit. Hoc edictum,inquit ibi Vlpianus,pertinet ad diminuentes patrimonium ſuum; non ad eos, qui id agunt,ne locupletentur. Niſi quis aliter ſtatuendũ putet in hoc crimine perduellionis, in quo initiũ inſpicimus meditati ſceleris h. l. §. emancipationes.& pen. & vlt. C. eod. Sed hoc tamen ad bona acquiſita pertinet & ſua: nec vſpiam reperio idem ſtatui in bonis,quæ quis omiſit acquirere, cũ poſſet. Hæreditas etiamſi repudiata non ſit,tamẽ non eſt hæredis,niſi eam adeat,neque inter bona eius numerari poteſt: nec perſonam hæredis ante aditionem ſed defuncti repræſentat. l.hæreditas. D.de adquir.rer.domin.nec publicatio bonorum trahitur ad futura. l. ſi tibi mandauero. §. is cui. D.Mand.multo minus ad ea, quæ amiſſa iam ſunt, puta repudiatione. Amplius dicendum eſt, ne fideicommiſſum quidem purum adquiri fiſco, ſi reo,cui relictum eſt,non ſit facta ab hærede reſtitutio: quia ſicut ante aditionem non adquiritur hæreditas, ita nec fideicommiſſum ante reſtitutionem §. reſtituta. Inſt. de fideic. hæred. l. facta. in pr. D. ad S C. Trebell. Imo etiam in iis caſibus,in quibus receptum eſt,vt fideicommiſſi reſtitutio ſiue adquiſitio fiat ipſo iure,tamen ab hęrede debet fideicõmiſſarius poſſeſſionem rerum petere, vt notat Adcurſius in l. 1. §. ſed quotiens.

in verb.

in verb. actiones. D. ad Trebell. gloſſ. in c. 2. de conſuetud. Quare etiam fiſcus, ſi ea bona per ſe occupaſſet, reſtituere teneretur, vt præclare docet Philippus Decius conſil. 438. 445. 462. Quæ de hereditatibus, fideicommiſſis, ſubſtitutionibusq; diximus, eadem de omni iure conditionali, quod reus habet, dicẽda ſunt; ſed in vltimis tantum volũtatibus, non in cõtractibus. nam eo qui contraxit, damnato, fiſcus etiam in illud ius conditionale ſuccedit, quia ſtipulationis ius ac ſpes ad heredes trãſmittitur. §. ex conditionali Inſt. de verb. obl. ergo & fiſco idem tribuendum, qui loco heredis eſt. atque hanc differẽtiam inter vltimas voluntates, & contractus communiter à Doctoribus adprobari, teſtatur Menochius conſ. c1. quamuis contrarium ſentire Thomam Grammaticum cõſ. VII. criminali dicat, id eſt, idem ius eſſe in vltimis voluntatibus, quod diximus in cõtractibus. Ego nec in contractibus facile hoc ius recipiam: neq; moueor ſupra ſcripta ratione; quia fiſcus licet in multis ſimilis ſit hæredi, tamen non iure hæredis ſuccedit, ſed quodam proprio, vel regalium, vt pulchre ait Zaſius conſ. XIX. lib. II. vel præeminentiæ cuiuſdam, vt alii loquuntur. Qua de re alibi copioſius diſſeruimus. Huc facit, quod ius conditionale eſt ius futurum. at publicatio bonorum non trahitur ad iura futura, imo nec ad bona futura, vel poſtea adquiſita, vt ſupra dictum. atque ita putarem etiam in contractibus talibus nihil tranſire ad fiſcum. licet non ſit in iis hoc expeditum, vt in vltimis voluntatibus, vt notat Car. Molineus in conſil. Decii CCXXXV. num. III. ſeque de eo dixiſſe in conſuetud. Pariſ. ait, quæſt. CXCVIII.

Nunc de filiofamilias perduellionis reo, videamus. Et primum incidit quæſtio de legitima, quæ filio debetur, an ea fiſco cedat? De iure ciuili loquor. nam extare quorundam Principum præſertim in Italia leges ſcio, quibus non ſolum legitima, ſed etiam omnis ſucceſſio nec patris ſolũ, ſed auiarum etiam maternarum, item omnia fideicõmiſſa, quæ ad aliquem ſi crimen non admiſiſſet, venire debuiſſent, fiſco ſuo addicunt, non ſecus, ac ſi fiſcus illa eſſet ipſa perſona, ad quam hæc pertinebant, niſi coniuraſſet. Iure ciuili autem ne legitima quidem debetur fiſco: quia nullum ius in eam habet filius viuo patre, vt Bartolus docet recte in l. 1. §. ſi impuberi, per illum textum. D. de collation. & in l. fin. D. de lib. agnoſc. l. fin. C. de pact. ideo ſi viuo patre filius damnatus ſit, & poſt mortem patris adhuc viueret, non fiſco, ſed hæredibus legitimis ab inteſtato venientibus ea legitima deberetur, vt reſpondit Paulus Caſtrenſis conſil. 212. vol. 2. Nec obſtat quod legitima iſta dicatur natura ipſa, nedũ iure ciuili filiis deberi. vt l. cum ratio. D. de bon. damnat. cum ſimil. quia intelligendum eſt, mortuo tandem patre, nõ viuo. Deinceps de peculio cognoſcamus. In quo duplex diſtinctio tenenda eſt, vna inter genera peculiorum: altera inter damnationem patris, & filii Igitur ſi pater damnatus ſit, bonis eius publicatis, non venit peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe: cum id totum ſit filii & vſufructu & dominio, in eoque paterfamilias habeatur. l. 11. in fine. D. de Senatuſconſult. Macedon. imo nec damnato filio publicatur, ſed patri conſeruatur, vt poſtea docebo. De peculio profectitio dubitatur:

eſt enim id totum patris, vt caſtrenſe filii.l. fin. in pr. C. de bon. quæ lib. Idemque nominatim traditum eſt in l. 11. §. vtrum. D. de minorib. vbi peculium profectitium filio ſeparari ex quadam cõſtitutione Claudii dicitur: quod ſingulare eſt, neque alibi reperitur, vt Bartolus & Cuiacius monent. Scio illum §. loqui de bonis patris non ob delictum publicatis, ſed ob debitum à fiſco occupatis, puta ſi ex contractu pater, vel ex adminiſtratione debuit. Sed recte Guilelmus de Cuneo, multo magis in publicatione id valere debere dicit, cum eo caſu fiſcus certet de lucro, & ideo minus ei fauendum ſit: in contractus autem & adminiſtrationis cauſſa de damno vitando ſatagat arg. l. vlt. C. de codicill. & l. vlt. § licẽtia. C. de iur. deliber. Vnde & creditores conſtitutum eſt fiſco in pœnis præferri. l. 1. C. pœn. fiſc. cred. lib. x. l. quod placuit. D. de iur. fiſcal. multo minus obſtat l. 1. §. alienatio. D. Quando act. de pecul. ann. eſt, vbi fiſcus ſuccedens patri deportato dicitur teneri actione de peculio, vt quiuis alius hæres patris tenetur. Nam nihil impedit quo minus peculium ſit penes filium, qui morte patris vel deportatione eſt ſui iuris effect⁹, vt ibi dicitur: actione autẽ de peculio ſucceſſor patris teneatur. l. 11. C. ad L. Iul. de vi. l. ſi quis poſthac. §. ſed in his. C. de bon. proſcript. Quamuis filius hoc caſu teneatur petẽti fiſco cauere de indemnitate, aut fiſcus de peculio retinebit, vt in d. l. 1. ſubiicitur. Atq; hoc quidem expeditum eſt in aliis criminibus: In hoc vero perduellionis cõtra puto, omnino publicãdum peculium profectitium. eſt enim vt dixi, patris: cuius omnia plane bona hæc con-

ſtitutio publicat. Deinde prohibet filios etiam ex materna hęreditate & aliorum capere quicquam, iubet eſſe eos perpetuo pauperes, egentes, in ſordibus, in ſolitudine tabeſcere, vitã eis pro ſupplicio eſſe. Nec refragatur illa ratio, quod patris pœna filius ſit effectus ſui iuris, liberatuſq; patria poteſtate etiamſi pater viuat puta deportatus. d. §. alienatio. & l. ſi. C. de ſententiã paſſ. l. deportatus. C. de bon. proſcript. peculium autem quod filio à poteſtate liberato non eſt ademptũ, conceſſum eſſe dicatur. l. ſiue. C. de donat. l. fin. C. de emancip. Reſpõdeo, ſatis ipſam legem ademiſſe, in hoc crimine vt iam dictum. Et plus valet ademptio legis, quam ademptio patris. nam patre perduellionis damnato poſt mortem eius filius deſinit ſuus hæres eſſe adeo vt nec iura ſepulchrorum habeat. l. 1. §. interdum D. de ſu. & legit. quæ tamen iura non adimit ei exhæredatio, etiam ſepulchri hęreditarii. l. vi. §. 1. D. de relig. & ſumpt. fun. imo nec ius ſui plane, vt alibi docuimus. Maior quęſtio eſt de peculio aduentitio, in quo pater vſumfructum, filius dominium habet. Maior, inquam, nõ in aliis criminibus, ſed in hoc de quo agimus, maieſtatis. nam in aliis ſi peculium profectitium filio ſeparatur, vt ſupra docui, quanto magis hoc ſeparandum erit, vel potius non adimendum filio, cuius eſt? Sed de vſufructu quęritur, an in eo ſuccedat fiſcus, patri damnato? & ſiquidem pater ſupplicio eſt vltimo adfectus, morte eius ſine dubio vſusfructus cum proprietate eſt cõſolidatus. neque in hoc à vulgari vſufructu differt. Quod ſi pater adhuc viuat, puta deportatus, quidam vſumfructum ſiue cõmodum eius fiſco adiudicant, donec

nec pater naturali morte extinguatur, in qua ſententia fuit Bartolus, per l. ſi poſtulauerit, in §. iubet, vbi notat. D. ad L. Iul. de adulter. Vbi vſusfructus alieni ſerui, quem reus lege Iulia de adulteriis habuit, publicatur, ſiue, vt lex ait, perceptio vſusfructus ad publicũ incipit pertinere. Sed reſponſio patet ex d. §. Ideo enim vſusfructus publicatur, vel proprietas, ſi hanc reus habuit, vt ſeruus ſine vllo metu verum dicat in quæſtione, neque in ea obduret, ſi timeat aliqua ratione ſe aliquando in rei poteſtatem regreſſurum. Qui metus, & quæ ratio ſingularis eſt, neque vllo modo adcommodari huic noſtræ quæſtioni poteſt. Citatur ab eo & l. Statius. §. fin. D. de iure fiſci. vbi matre, quæ Felici rogata erat fideicõmiſſum poſt mortem ſuam reſtituere, damnata, boniſque eius publicatis, fiſcus in fideicommiſſo illo præfertur Felici interim, dum dies fideicõmiſſi veniat: quia, inquit lex, poſſet Felix ipſe prius mori, vel etiam mater alias res acquirere. cum qua l. conſentit & l. cum pater. §. hæreditatem filius. D. de Legat. 2. Sed neque hoc argumentum vllius momenti eſt. Nam non vt fideicommiſſum pendet & in incerto eſt, propter diem eius, propter quem incertũ, vtrum mater prius an Felix moriatur; ſic etiam vſusfructus pendet damnato patre: imo ſtatim cũ proprietate conſolidatur, vtpote extincta & finita patria poteſtate per deportationẽ, aliamue pœnam. Quapropter dicendum eſt, ad filium redire vſumfructum, penes quem eſt proprietas, non fiſco adplicari. idque eo incunctantius in aduentitio dicẽdum eſt, quod & profectitium ipſum peculium, in quo filius nihil iuris habet, tamen filio

ſeparatur publicatis patris bonis, vt ſupra demonſtrauimus. Illa differẽtia eſt, quod in crimine perduellionis profectitium peculium ad fiſcum pertinere docui: aduentitium neque in hoc crimine puto: quia nihil vſpiam de eo videam cautum, vt ſi quid filius habeat, id ei eripiatur, ſed ne quid ex paternis bonis conſequatur, in quibus certe non eſt peculium aduentitium, ſed nec vſusfructus eius, cum ad filiũ ipſo iure redierit, & dominio coniungatur, ſoluta patria poteſtate pœna patris. Nunc de filiofamilias capitis dãnato cognoſcendum eſt. An igitur peculium eius publicabitur? Et ſemel dicẽdum eſt, nullum publicari. Primum de peculio profectitio certa res: cum enim ſit patris. l. fin. in princ. C. de bonis quæ liber. l. certum. C. famil erciſc., iniquiſſime ei ob delictum filii adimeretur, cum filio ob delictum patris non adimatur, excepto crimine perduellionis, vt ſupra docui. quid igitur an etiam hic excipiemus hoc crimen, vt publicetur hoc peculium damnato perduellionis filio? Nequaquam: neque enim eſt par ratio, nam ob delictum patris ideo publicatur, quia lex vetat quicquam conſequi filium ex bonis paternis, in quibus ſine dubio eſt hoc peculium. & vetandi ratio eſt multiplex ad puniendos filios, ob patris crimen, quæ nulla eſt ad patres puniendos ob delictum filii, vt infra explanabimus. Huc facit l. ſi filius. C. de bon. proſcript. vbi nec caſtrenſe peculium publicari dicitur, quod tamen totum eſt filii, quanto minus igitur profectitium, quod totum eſt patris? Obſeruaui tamen antiquiſſimis temporibus exemplum contrarium huic ſententiæ noſtræ, quod ita Plinius commemorat,

morat, in lib. XXXIV. Natur. hiſtor. cap. IV. Romæ ſimulachrum ex ære factum Cereri primum reperio ex peculio Sp. Caſſii, quem regnum adfectantem pater ipſius interemit. Sed hoc moueri non debemus, cum exempla non faciant ius, multiſque de cauſſis, illa præſertim Repub. veteri ſanctiſſimaque, vel Senatus populuſque id iuſſerit, vel pater voluerit, facile ferens ſe peculio filii ſpoliari, quem vita ipſe ſpoliaſſet; imprimis vt monumentum extaret in illo ſimulachro & notati ſceleris, & publicæ libertatis conſeruatæ; quæ ratio cum in aliis multis, tum in Ciceronis (quamuis innocentis) domo euertenda, Libertatiſque in eius area, ſimulachro collocando valuit. Peculium etiam caſtrenſe, vt dixi, non publicatur, ſed conſeruatur patri, neq; id ſolum quod pater in militiam eunti donauit, ſed & id, quod filius ipſe in caſtris adquiſiuit d. l. ſi filius. Sed duo hic conſideranda ſunt. Vnum eſt, an hodie locus ſit d. l. ſi filius. Alterum, an ſi ſit, excipi tamen ab ea debeat hoc crimen perduellionis? Quod ad prius attinet, ratio, cur ita Imp. Alexander reſcripſerit, patri non eſſe peculium illud auferendum, non eſt tam miſeratio patris, quæ forte Claudium mouerat, vt patris bonis publicatis filio peculium profectitium ſeparari iuberet, quam quia, licet filiifamilias plane ſit peculium caſtrenſe: tamen vel ipſum nomẽ peculii ſatis indicat, aliquid in eo iuris patri eſſe, ſaltem filio mortuo. nam eo mortuo inteſtato pater non iure hæreditatis id peculium capit, ſed occupat iure peculii. l. 11. D. de caſtrenſ. pecul. Et ratio eſt, quia filius non eſt vſus priuilegio & iure ſuo, quod ex conſtitutionibus Principum habet, atq;

Google

ideo pater iure veteri in eo peculio vtitur ſimilitudine cuiuſdã poſtliminii, vt ait l.pen.D.de caſtr. pecul.& eleganter Adcurſius; cum filius non teſtatur, retro intelligitur peculium fuiſſe profectitium, non caſtrenſe ad d.l.penult. Sed hæc ratio hodie immutata eſt, cum filiusfam. in eo peculio etiam legitimum hæredem habeat patrem vel filium ſuũ, ſi quem habeat, vt not.in d.l.11. & l.pater qui caſtrenſe.eod.tit. conſentaneum videatur etiam ius illud immutari, vt ſcilicet hodie peculiũ caſtrenſe filii ob eius capitale delictum publicari debeat. Sed contrarium verius eſt, propter expreſſa verba d.l.ſi filius.nec obſtat argumentum de ratione immutata. Cui reſpõderi multis modis poteſt. Primum nego eam ſolam rationem Alexandro fuiſſe ſic reſpondendi, quod pater iure peculii occuparet bona caſtrenſia filii ab inteſtato mortui. Sed & patris, vt dixi, miſeratio aliqua & patria maieſtas, & iuris veteris ac communis ratio, quo iure, omnia filiorum pertinent ad patrem, nec priuilegio militari, quo bona caſtrenſia propria filiorum ſunt facta, debet eſſe locus in filio capitis ob ſcelera tanta damnato. Deinde etiam ſi illa ſola ratio fuiſſe crederetur, negare poſſem, quod & Cuiacius verbo tantum negat lib.11.Definit. Papiniani, illam hodie immutatam eſſe, id eſt, filium ab inteſtato habere legitimum hæredem: cum Nouellæ Iuſtiniani quæ ad hoc allegantur, in primis Nou. cxviii. de hæred. qui ab int. dif. vt & lex vlt.C.eorũ de ſucceſſ.non ſatis plane id affirment. in caſtrenſibus certe nihil video immutatum: in quibus teſtamentarium hæredem, nõ legitimum habent. Non diſplicet tamen mihi diſtinctio illa Saly-

Salyceti inter ſucceſſores filiifamilias, quamuis perplexe admodũ & obſcure loquatur; ſed clare à me dicetur. Nam ſi pater filio deportato ab inteſtato erat; vt tunc remaneat d. l. ſi filius. incorrecta. Ratio: quia poteſt pater recuſare filio ſuccedere vt hæres, (licet ab eo inſtitutus ſit) & occupare bona eius iure peculii; ſic tamen vt peculii fini legata præſtare teneatur, exemplo legitimi hæredis. l. pater qui caſtrenſe. §. 1. D. de caſtr. pecul. ergo & hodie hæc ei electio permittenda eſt, nam conſtitutum eſt, vt hæres ab inteſtato poſſit eſſe filio, vt videlicet quod in d. §. 1. non impedit delatio ex teſtamento, non impediat hodie delatio ab inteſtato. Hoc poſito, ſequitur, vt fiſcus non poſſit bona filii deportati occupare, & præferri patri, qui alio iure quam hæredis ad ea bona venire poſſit: fiſcus autem hæredi ſolum damnati præfertur, non aliis, qui alio iure nitantur. l. deportati. C. eod. tit. cum ſimil. Quod ſi filius iſtius damnati filiifam. ſuperſit, quia filius excludit in ſucceſſione patrẽ, eundemque auum ſuum; filiorum enim ſemper prima eſt cauſſa. Auth. de hæred. ab inteſt. l. 1. & paſſ. D. de ſu. & leg. hæred. idcirco patri nullus eſt locus, neque vt hæredi, neque vt patri, id eſt, vt peculii iure ac nomine bona filii occupare poſſit. Solus igitur filius eſt, cui hæreditas paterna deferatur. Sed quia pater deportatus eſt, ideo filium excludit fiſcus, cum deportatus non habeat hæredẽ d. l. deportati. & l. deportatorum. C. de pœn. Sed hoc non obſtante pater fiſco filioque præferẽdus eſt illa ratione: quia hæreditas non poteſt dici filio delata eſſe, priuſquam pater eius naturaliter moriatur d. l. deportati, & ratio eſt, quia viuentis nul-

la eſt hæreditas, nullus hæres. l. 1. D. de hæred. vel act. vend. Ergo pater etiam non poteſt dici prius eſſe excluſus à nepote. vnde ſequitur, vt nepote nihil ei obſtante, ipſe occupet bona filii iure peculii, vtpote cum d. l. ſi filius. patri tanquam debitũ deferat hoc peculium ante mortem filii: mortuo autem eo pater vt ſuum retinebit, quoniam iam ante in bonis filii eſſe deſiit; atque ita etiam hodie locus erit d. l. ſi filius, quamuis concedamus filiumfam. habere hodie ab inteſtato hæredem. Poſtremo vt & hoc concedatur non ſolum habere hodie filiumfam. in bonis caſtrenſibus legitimũ hæredem, ſed etiam iuris quo Imp. Alexander in d. l. 111. motus ſit, rationem immutatã eſſe: non propterea & ſtatim dicendum eſt, & ius ipſum abrogatum eſſe, vt bene Iacobus Butrigarius dicebat in Auth. quas actiones, & ibi latiſſime Iaſon. C. de ſacroſan. Eccleſ. Poſito igitur quod veriſſimum iudico, etiam hodie d. l. ſi filius. 111. locũ eſſe: an ab eius regula excipiendum eſt crimen perduellionis, & ſi quod ſimile, puta conſcitæ ob conſcientiam ſceleris mortis? Nam d. l. loquitur de filio deportato: ex leuioribus igitur criminibus, quam iſto, de quo agimus. Et omnino dicendum eſt, in perduellionis crimine non eſſe dictæ conſtitutioni locum: tum quia de aliis loquitur, tum quia hoc crimen excipi ab omnium regula ſolet. l. ex iudiciorum. cum ſimil. D. de accuſat. tum quia nõ eſt ea ratio hic conſeruandi patri peculii caſtrenſis, quæ fuit peculii profectitii, quod pleno iure eſt patris: cum illud pleno iure ſit filii delinquentis: ideoque nulla fiat patri iniuria, ſi fiſco vindicetur. De Aduentitio peculio videamus, & in aliis quidẽ

cri-

criminibus, cum nec caſtrenſe peculium publicetur, quanto minus publicabitur aduentitium, in quo tantum ius habet, nimirum vſumfructum, & pleniſſimam adminiſtrationem? quæ ratio ſatis indicatur ab Imperatore in d. l. ſi filius. cum ait, Nec quod in caſtris acquiſiuit, auferri patri debere: quaſi dicat nedum alia peculia, vt Adcurſius, Azo, & alii notarunt. Sed viuo patre nulla eſt quæſtio propter vſumfructum eius & adminiſtrationem, quæ ipſi indignum ſit propter delictum filii eripi, cum nec proprietatem, cuius eſt filius dominus, poſſit viuo patre alienare vllo modo l. cum non ſolum. §. filius autem. D. de bonis quæ liber. De proprietate, & ipſo viuo patre quęritur, & de pleno iure proprietatis, patre mortuo. Videntur enim fiſco vindicanda eſſe, cum & proprietas ſit filii non patris, & vſusfructus patre mortuo ad proprietatem redire ſoleat. Sed contrarium verius eſt. omnino quidem in proprietate viuo patre, cum eam filius alienare non poſſit, vt iam docui. ergo nec delinquendo poteſt ea patrem priuare, arg. Auth. econtra ſi filii. C. de repud. & iudic. de mor. ſubl. vbi filiifam. non poſſunt matrimonium diſtrahere inuito patre addita ratione, ne id vertat in læſionem parētum, qui dotem aut donationem ante nuptias obtulerint, aut ſuſceperint ſoli. Sic igitur nec in ꝓpoſito præiudicium debet vllum inferri patri, vt alienatione filii, ita & delicto. imo nec facto filii vllo, quantūuis pio, puta ingreſſu religionis. neque enim priuilegium etiam filiorum ad alienam iniuriam extendi debet, nedum patris. l. impuberi. D. de adm. tut. Sed in contrarium facere videtur, quod con-

ſtitutum eſt, Minorem xxv. annis non poſſe alienare prædia, aliaſque res immobiles: idem tamen delinquēdo ea amittit. l. clarum. C. de auth. præſ. Sed facilis reſpōſio eſt. de patrefamilias ea lex lōquitur, in quo non poteſt cōſiderari iudicium vllum patris, ſed ipſius tantum, cuius cauſſa alienatione ei interdictum eſt Oratione Seueri, quod beneficium & quem fauorem Orationis amittit delinquendo, neque enim in delictis ſed in contractibus ei ſuccurri voluit, vt & Edictum Prętoris. l. auxilium. D. de minor. Patre autem poſtea mortuo, cum eius vſusfructus atque omne ius ſit extinctum, videtur dicendum, peculium aduentitium pleno iure ad fiſcum pertinere; pręſertim ſi filius damnatus adhuc viuat. Sed contrarium verius eſt, quia nec caſtrēſe peculium ad fiſcum pertineret patre mortuo, vtpote patri legibus adiudicatum d. l. ſi filius. Et hæc quidem in aliis criminibus. Cæterum in crimine perduellionis etiam aduētitium peculium publicari verius eſt, ſaltem mortuo patre, quod ex ſupra dictis quiuis intelligit, & verbis huius legis illis, omnibus eius bonis. quæ verba raro in filiosfamilias cōuenire poſſent, niſi hoc peculium quod eius eſt, publicari diceremus.

Ait Lex, fiſco noſtro.

NON igitur ærario, vt Antoninus iubebat. Sed quid ſi bona Eccleſiaſtica reus habuit? proculdubio nihil inde fiſcus accipit. de quibus nec iudicare vllo modo quiſquam poteſt, niſi Eccleſiaſticus iudex. c. tuam. ext. de ordin. cognit. De Clerici bonis temporalibus quæritur? Et verum

rum eſt ea fiſco Principis adiudicari, nō Eccleſiæ: quam etiam conſuetudinem Galliæ, rebus iudicatis in ciuitate Aquenſi confirmatam ſcribit Oldradus, conſil. I V. & conſil. X V I I. mobilia tamen excipiuntur, quæ vindicet Eccleſia. Iura autem inter immobilia connumerantur. Sed tamen ius patronatus eccleſię alicuius dānato Laico, qui id habebat, verius eſt in fiſcum non tranſire. quāuis in hæredem extraneum tranſeat, c. ſi plures, vbi not. Clement. de iure patronat. eſt enim ius ſpirituale, & Eccleſiæ, non vt iura patronatus libertorum l. 1. & ibi Bald. C. de bon. libert. Maior quæſtio eſt de bonis feudalibus. Amitti quidem ea Vaſallo conſtat: ſed cui adiudicentur, Principine, in quem cōiurauit, an domino feudi, an agnatis Vaſalli, mirifice interpretes noſtri controuerſantur. Et ſiquidem de bonis feudalibus agatur, quæ perduellis poſſidet ab ipſo Principe, in quem coniurauit, dubitari non debet, quin illis recte à Principe priuetur, non ſolum ſi feudum nouum ſit, ſed etiam ſi paternum atque antiquum. Sed an cogatur Princeps alios de illa familia inueſtire? ne hoc quidem, ſi ipſi Principi delatum atque apertū feudum eſt. Quod verius eſt, licet multi reclament, qui adgnatis deferri dicunt, qui quarto gradu à Vaſallo delinquente diſtant: nam intra illum gradum certum eſt, adgnatis non deferri c. 1. §. ſi vaſallus. Si de feud. defunct. fuer. controu. & c. 1. Si vaſall. feud. priu. idque propter rationem, quia vſque ad illum gradum cenſetur ſimilitudo naturæ & ſanguinis eſſe, propter quam domino feudi metuendi ſint, vt in h. l. dicitur, de filiis. Sed dicti loci, etſi non aliam interpretationem aut re-

ponſionem reciperent, tamen intelligendi ſunt de omni alia culpa, quam illa, quæ in perſonam & caput domini committitur: in hac enim verius omnino eſt & communius receptum, teſte Zaſio in epit. Feud. par. x. de amiſſ. feud. numer. 101. & probat plurimis aliis adlegatis Menochius d. conſil. 99. num. 144. à domino retineri. Quanto magis in crimine iſto grauiſſimo perduellionis dicendum eſt; cum de quauis culpa, qua domini perſona offenditur, id receptum ſit, & docet gl. in c. 1. §. denique. per illum tex. tit. quæ fuer. pri. in feud. amitt. c. 1. de eo, qui int. fratr. dom. c. imperialem. §. illud. de prohib. alien. feu. Et ratio eſt optima, quia in feudi datione & inueſtitura prima ineſt tacite illa conditio, donec ipſe, vel ab eo deſcendentes in fide permanſerint, nec ingrati fuerint. Tit. in quib. cauſ. feud. amitt. verſic. beneficium. Quare non obſtat regula l. ſancimus. C. de pœn. Pœnas debere authores ſuos tenere. atque ita etiam notat Baldus, aliique verum eſſe & receptum; in d. §. denique. & in d. c. 1. ſi vaſall. pri u. probatque nouiſſime Paul. Pariſius conſil. XXI. num. 11. & ſeqq. vol. 1. Quod ſi delinquens alia habet feuda non à Principe, in quem deliquit, ſed ab alio: de illis certum eſt nihil ad Principem offenſum pertinere, nec ab eo priuari vaſallum poſſe, vt rite viſus eſt Clemens V. iudicauiſſe aduerſus Henricum VII. Imp. in cauſſa Roberti regis Siciliæ, quem Imper. non ſolũ comitatu Prouinciæ, imperii feudo, ſed etiam aliis priuare conatus erat, puta regno Siciliæ, quod ab Eccleſia tenebat, vt ſupra docui, & conſentiunt omnes. Quid ſi Vaſallus non ſolum ratione feudi, ſed etiam ratione domici-

domicilii vel originis ſit Principi, in quem deliquit, ſubditus, & feuda etiam ab alio habeat: an hæc quoq; ob perduellionem amittet, & offenſo Principi adiudicabuntur? nequaquam: cum offenſus Princeps nihil in ea iuris habeat, ſed Dominus, à quo illa habentur, arg. d. Clement. paſtoralis. de re iudic. Imo nec alia bona, licet nõ feudalia, quæ perduellis in alterius Principis ditione habet, occupare Princeps offenſus poteſt d. Clement. in illis verbis quæ ſub eo nullatenus aut ab eo ſunt: niſi à Principe, in cuius territorio ſita ſunt, impetret. Imo plus dico, etiamſi dominus feudi ſit ſubditus Principis, in quem coniuratum eſt, tamen feudum ad dominum redire, vel adgnatos vaſalli potius, quam Principis fiſco vindicari. cur enim dominus ſuo iure, id eſt, dominio feudi priuetur, nulla ratio eſt. Poſtremò ſciendum eſt etiam illa bona perduellis publicari, quæ poſſedit cum eſſent forte aliena. nemo enim vllo prætextu ſibi debet ea vindicare, ſed intra cõſtitutum tempus de iis fiſcum cõuenire, vt authores huius legis, in cauſſa Ruffini perduellionis damnati, ſanxerunt. l. ſerenitas. xiv. C. Th. de bon. proſcript. multo magis quæ perduellis fuerunt, ab aliis poſſeſſa vel ſubtracta reſtitui fiſco debent, vt iidem Principes de bonis Stiliconis alia conſtitutione præceperunt. l. xxi. qui. C. Th. eod. tit. De bonis pupilli quos tutor perduellis poſſedit, dubium non eſt, quin à fiſco reſtitui pupillo debeant, vt ex quouis crimine confiſcatis bonis. Exemplum egregium in Plutarchi libro de Amore fraterno, vbi refert Xenone quodam ob raptum mulieris damnato, boniſque eius in fiſcum Cæ-

ſaris redactis, Athenodoro fratri cui is tutor fuêrat, ſuam partem reſtitutam fuiſſe: eumque tam inſigni pietate fuiſſe, vt eam iterũ cum fratre Xenone partiretur. Illa doctorum & morũ noſtrorum diſciplina ac ratio de bonis rebelliũ vel proſcriptorum prędæ cuiuis exponẽdis, in hoſte fortaſſis magis probari debet, quam in ſubditis, qui magiſtratuum vi atque imperio coërceri poſſunt: niſi tantæ eorum ſint opes, quam vt Ciceronis illud in amicos Catilinarios ſufficiat. Quibus ego non modo ſi aciem exercitus noſtri, ſed Prætoris edictum oſtẽdero, concidẽt. Orat. Catilinaria II.

Ait Lex, Addictis.

ATQVE ita quidem, vt nec petere ea cuiquã liceat impune, & ſi forte petentes ea impetrauerint, non valere impetrationem reſcindiq; reſcriptum, quo ea conceſſa ſunt, quaſi extorta per impudentiã & importunitatem, ſancit in hoc ipſo crimine maieſtatis, l. quiſquis. C. de bon. petit. ſubl. ſed quid eſt, quod ait, Qui contra legem id auſus fuerit ſperare, quod non licet, reus violatæ legis habeatur? Adcurſius pœnam extraordinariam intelligit, allegatque l. ſanctio. D. de pœn. Cuiacius pœnã ſacrilegii l. I. C vt dign. ord. ſeru. l. XIII. C. de erog. mil. ann. quibus addo Nouellam Theodoſii Tit. XXXVIII. de ſucceſſione curial. in fine vbi violatorem eius legis ſtatuit, vt ſacrilegii reatus inuoluat, XX. librarum auri multa percellat, vt d. l. XIII. Exiſtimare quis poſſet nullã talem pœnam ea l. quiſquis. irrogari, ſed pudorem tantum ſugillari eius qui petiit, propter ademptionem impetratorum bonorum. nam vltra eos onerare in re prę ſertim olim legibus licita, vt teſta-

tur

tur Zonaras, non æquum videatur. Et ſatis magna pœna iſta apud bonos, vt olim Lex Valeria de prouocatione, nihil vltra, quam Improbe factum adiecit. Quod ſatis validum vinculum legis appellat Liuius; ſed addit, qui tum pudor hominum erat: lib. x. Imo & D. Marcus eamdem pœnam cōſtituit, multis poſt ſæculis, quam lex Valeria, licet in re non, vt illa, graui. Sic enim Vlpianus refert: D. Marcus reſcripſit, eum hæredem, qui prohibet funerari ab eo, quē teſtator elegit, NON RECTE FACERE: pœnam tamen in eum nō eſſe ſtatutam l. ſi quis. §. diuus. D. de relig. & ſumpt. fun. Adde huc, quæ Scipio Ammiratus lib. xx. Diſp. v. in Tacitum de quibuſdam Senatus Rom. decretis grauitatis & moderationis eximiæ, obſeruauit. Quibus merito adnumero Spartanorum illud, Qui, legatis neſcio quibus inuerecundius ſe gerētibus, publice per Præconem edixerunt, Licere illis immodeſte agere. Sane poſt biennium, ex quo bona vacantia vel damnatorum fiſco nuntiata vel addicta ſunt, peti poſſe, Arcadius & Honorius reſcripſerunt in l. nequis. xxiii. lib. x. C. TH. Tit. de petit. & vlt. dat. Quaſi tum nō amplius aliena, ſed iam plane fiſcalia. Aliena enim videbatur peti quę nondum nuntiata fiſco eſſent, vel non incorporata. de cuiuſmodi bonis damnatorum intelligēdum Zonaræ locum quo Flau. Claudium prohibuiſſe ait ne aliena bona peterentur, oſtendit erudiciſſimus P. Faber lib. 1. Semeſtr. Quo loco pluta ad hanc rem pertinentia ex bonis authoribus, & iure noſtro adtulit. Vellem & illum inſignem locum, quem apud Zoſimum lib. v. legi, vbi de eodem Imp. Arcadio loquitur. Prout quiſque opu-

lentus, inquit, moriebatur, eius facultates calumniantes nuntiabant, quaſi nulli liberi vel cognati extarēt. Hinc reſcripta Principis adferebantur, quibus Titii patrimoniū Sempronio dari iubebatur. Simul hæreditates iis dabantur, qui eas oblatis precibus à Principe obtinuerant, adſtantibus interim liberis, & parētes cum gemitu complorantibus. Siue hæc exacerbat nimis Zoſimus, vt ſolet, religionis Chriſtianæ odio: ſiue ita ſunt; neq; abhorrent ab iis quæ de Arcadio ſcriptores alii tradunt, certum eſt tandem id emendaſſe, admonitionibus vel ſororis Placidiæ, vt alia ſimilia plena ſtuporis & inertiæ, vel bonorum conſiliariorum: quod lex illa ab eo lata, quam ſupra commemorauimus, apertiſſime declarat. eſt ſub Honorii quoque fratris nomine edita: quamuis enim imperium regionibus diuiſiſſent, leges tamen atq; edicta, velut communia promulgabant.

CAPVT III.

Filii vero eius, quibus vitam Imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarii criminis exempla metuūtur) à materna, vel auita, omniū etiam proximorū hæreditate ac ſucceſſione habeantur alieni: Teſtamentis etiam extraneorum nihil capiant: Sint perpetuo egentes & pauperes: Infamia eos paterna ſemper comitetur: Ad nullos prſus honores, ad nulla ſacramēta perueniāt:

Sint

Sint poſtremo tales, vt his perpetua egeſtate ſordentibus ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium.

IN hoc maxime capite acerbitas verſari videtur & nouitas huius conſtitutionis. Vulgo irrationabile odium vocant. Sed de acerbitate ſupra in initio dixi, & minuetur infra expoſitis rationibus. Nouum etiam nihil in tota hac cõſtitutione ſe videre, doctiſſimi interpretes adfirmant, Cuiacius & alii quidam; quod durum eſt. nam illa certe in hoc vno capite, & exaggerata de infamia indelebili filiorum, de mendicitate, quam ſubire coguntur, ſubmoti ab omni prorſus ſucceſſione, etiam extraneorum ſic, vt nec alimenta ſibi legata capere poſſint, quæ tamen poſſunt deportati, poſſunt etiam ſerui. l. in metallum. D. de his, quæ pro nõ ſcript. Et quod omnium maxime nouum atque acerbum mihi videtur, fama multari eos, qui pro iis deprecari vel hiſcere audeãt. Nunc ſingula expendamus.

Ait Lex, Filii.

SINE vllo diſcrimine, vt videtur, vel naturæ, vel gradus, vel ſexus, vel iuris, vel dignitatis. Naturæ vocabulo intelligo natiuitatem, vt non ſolum ſuſcepti poſt crimen filii comprehendantur, ſed & ante crimen. De illis dubitat nemo, niſi quod excipiendi tamen videantur poſtumi, qui etiam excipiuntur ex conſtitutione Iuſtiniani de exhæredatione liberorũ, cum poſtumi in parentes eſſe ingrati non potuerint: item quia poſtumi

pro natis eſſe habendi dicuntur, quoties de commodis eorum agitur.l.qui in vtero.D. de ſtat.homin. At hoc ipſis in perniciẽ potius verſurum ſit, ſi hac lege tenerentur. & ita Doctores noſtri argumentãtur ineptiſſime quidam, quos ratio huius legis refutat, vt Conanus etiam docet libro x. Comm. cap. 1. in fine. Nam quæ ratio pœnæ valet in iam natos, eadem valet etiam in poſtumos, vt ſpoliati ſcilicet bonis atq; fama minus in Principem audeant. Atque hæc ſententia manifeſte comprobatur l. ad beneficium. C. Th. Tit. xlii. de bon. proſcript. vbi quod alia lege de ſeruanda liberis parentum damnatorum ſucceſſione conſtitutum fuerat, ad poſtumos ducitur, excepto tamen maieſtatis reatu, ſi quis in vtero fuerit, quo tempore pater reus eſt maieſtatis. De iis qui ante concepti ſunt, maior eſt dubitatio. putãt enim multi, nõ teneri eos hac lege, ea potiſſimum ratione, quod ex ſanguine adhuc puro concepti ſint. Quod futile eſt, neq; ita ſanguinem hæc lex conſiderat paternum, ſed exemplum atq; imitationem. eaque ratio plus in ante natis valet, quam in poſtumis, qui patrem nunquã viderunt: quos tamen teneri hac lege manifeſtum eſt. Illud videtur amplius eſſe in poſt reatũ cõceptis, quod non faciant deficere conditionem fideicommiſſi, ſi ſine liberis, vt copioſe Socinus diſputat conſil. 275. Vol. 1. De gradu videamus, an omnes liberi in infinitum teneantur? & vulgaris ſentẽtia eſt, nepotes teneri, non pronepotes: opinor, quia non vltra tertiam generationem parentum mores propagentur. Sed cum dixi exemplũ & imitationem hic ſpectari, & vlciſcẽdi parẽtes ſuos cupiditatem,

tum

tum nomen ipſum familiæ ſæpe homines excitat ad talia. Notum eſt quid de Caſſio, quid de Bruto Cicero, aliique authores ſcribant. Refelluntur etiam vulgares interpretes. l. quando x. C. de bon. proſcript. Quæ in hoc crimine læſæ maieſtatis, iuſte, inquit, pœnam ad ſuos, etiam poſteros tranſmitti. & ſimiliter in l. ſubſtantiam. C. Th. eod. tit. eadem plane verba licet diuerſis autoribus ponũtur. Poſteros autem nemo filios tantũ primi gradus accepit, niſi improbiſſimus Caligula; cuius impudentem calumniam etiam Suetonius notauit. Filiorum autem nomẽ, quo vtitur hæc conſtitutio, valde etiam pro nepotibus facit ne teneantur: tametſi non inſolens ſit, & de nepotibus aliiſque vlterioribus in iure noſtro accipi, ſicut liberorum appellatio. Quã dicũt in hac ipſa quæſtione vti conſtitutionem quandam Imperatoris Friderici, ab eccleſia adprobatã, cuius argumentum à Cyno refertur. cum ea non appareat, vt ait Decianus, qui ſe putare ait nepotes nõ teneri hac lege: quod ſit odioſa, & quod filiorum appellatio etiam in iis in quibus minus odium verſatur, non comprehendat nepotes. De ſexu quid dicimus? & conſtat filias à maſculis ſeparari, vt in §. ad filias. plenius dicetur, nõ vt plane immunes ſint, ſed ne tot pœnis ſubiiciantur. Iuris vocabulo multa intelliguntur. Primum itane adoptiui teneantur, vt naturales filii; deinde ſpurii vel nothi, vt legitimi: poſtremo exhæredati vel emancipati, vt ſui & in familia retenti? De adoptiuis video conſtare inter omnes, eos non puniri hac lege: cum neq; in his parentes puniantur, vtpote ſanguine diſiunctis, quam rationem infra pluribus explicabo, neque

exempla hæreditarii, vt hæc lex ait, criminis ita in iis metui poſſint. Spurios vero teneri verius eſt, ſi certum patrem habeat, puta ex concubina certa nati, qui proprie nothi & naturales. contra ſi non habent, qui proprie ſpurii appellantur. Sed licet habeant certum patrem nõnulli vulgo concepti ſiue ex meretrice, tamen non putem contineri, cũ nulla ſit in iis adfectio erga patres, nulluſq; honoris aut vindictæ paternæ ſtimulus eos excitet, denique ſua infamia timidi ſint, nihilq; audeant: & ſatis alioquin legibus per ſe puniantur, cum infama, vt dixi, tum in ſuccedendi iure. De emancipatis ita ſtatuunt, non teneri eos pœnis huius conſtitutionis, tum quia nõ ſint de familia patris, tum quia etiam ipſum nomen filiorum amittant. l. Senatoris. 11. D. de ſenator. l. quin etiam. §. fin. D. de rit. nupt. Aliis forte aliud iudicium eſt, cum omnes rationes præſertim à natura ductæ, quæ maxime & fere ſolæ hic conſiderantur, ęque in emancipatis locum habeant, atq; in retentis in familia liberis. Quare & à Prætore vocãtur ad ſucceſſionem vt ſui, ne quid dicam de Anaſtaſii & Iuſtiniani nouis conſtitutionibus; & iure feudali nulla prorſus emãcipationis ratio habetur, vtpote quod naturam & ſanguinẽ ſolum ſpectet, non iſtos imaginarios iuris ciuilis actus. Vnde & adoptiui in feudis non ſuccedunt, cum tamen ſint de familia & nomine. c. 1. §. adoptiuus. tit. xxvi. lib. 11. feud. Sed huic ſentẽtiæ obſtat §. emancipationes. infra h. l. vbi emãcipationes poſt reatum factæ tanquã in fraudem legis irritæ eſſe iubentur: ergo ante reatum vel crimen factę confirmantur. Quo argumento Decianus vtitur. Sed facilis mihi vi-

hi videtur reſponſio: nam non ideo ratæ habentur emancipationes antea factæ, vt pœnis huius legis emancipati filii eximantur, ſed ne ſiquid antea acquiſiuerunt, id eis eripiatur, tanquam patri acquiſiuiſſent: Sed neq; peculium profectitium, quod ante habuerunt, neque ſi quid iis in emancipatione pater donauit, auferendum eſt. Alias pœnas huius legis puto & in eos locum habere, cum rationes, vt dixi, omnes locum habeant, & emancipatorum pariter ac ſuorum rationem haberi videam damnatis paretibus, l. deportato. C. Th. de bon. proſcript. Neque id, quod de nomine filiorum & familia diximus, cum ſit mere ciuilis fictio, tantum ponderis habere debet, vt rationes naturæ deleat. Qua ratione multo magis exhæredati liberi eſſent ab hac lege excipiendi, quibus etiā nota exhæredationis eſt iniuncta, vt non vlturos necem patris veriſimile ſit, cum emancipatio pro beneficio habeatur. Eleganter Lactantius lib. v. Inſtit. Et ſi filius eodem modo perditus atq; impius exiſtimatur, qui patrem ſuum derelinquit, ne illi obſequatur, ob eamq; cauſſam dignus putatur, qui ſit exhæres, & cuius nomen in perpetuum de familia deleatur: quanto magis, qui Deum deſerit? Exhæredatos autem huius legis pœnis eximi, nemo, opinor, dixerit: tum quia exhæredatio non tollat ius patriæ poteſtatis, imo nec ius ſui, vt alibi diſputauimus: tum quia dānato patre ex hac præſertim maieſtatis cauſſa nulla eſſe exhæredatio poteſt, cum teſtamentū ſi quod pater fecit etiam ante reatum, eius damnatione irritum fiat. l. ſi quis filio. §. irritum. D. de iniuſt. rupt. irr. & per conſequens nec exhæredatio va-

lere poſſit, quantũuis rite & recte, id eſt, ex cauſſa legitima facta, & vera. Quod autem ſupra dixi, emancipatione amitti filii & familiæ nomen, ad iura patriæ poteſtatis, & ſucceſſionum, & tutelarum referendum eſt, propter quæ emancipatus extranei loco habetur. Nam ſi paternæ familiæ & nominis nõ ſit emancipatus, cuius tandem erit? an nouum ſibi adſciſcet? Hinc eſt, quod ſi teſtator vetuerit fundum extra familiam ſuam alienari, familiæ appellatione emancipatos quoq; demõſtratos intelligi, Papinianus ſcribit in l. peto. §. vlt. D. de legat. II. l. filiusfam. §. ſed etſi cum duos. de legat. I. Poſtremo nulla habetur in hac lege ratio dignitatis filiorum, quin & infamia notentur, & aliis pœnis hîc expreſſis, quæq; infamiã tacite comitari ſolent, ſubiiciantur. Excipiunt tamen clericos ante reatum patris ordinatos: nam poſtea vt infames repellerentur. atque ita ſentire cum alios notant, tum Archidiaconũ in c. ſi quis. VI. quæſt. I. Matthæũ de Afflict. in c. I. §. & bona committentium. nu. CXVIII. Tit. quæ ſint regal.

Ait Lex, quibus vitam imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus.

ORATORIE agunt, priuſquam pœnas exponant, indulgentiam promentes. & ſcite, Imperatoria lenitate, quaſi dicant non regio more. & tacite perſtringere mihi videntur notiſſimã & vetuſtiſſimam legem regiã apud Macedonas, de qua Q. Curtius lib. VII. & alii. Sic Tacitus de Tiberio Imperatore, pubem eum ingenuam regio more polluiſſe, ait. & Saluſtius, de vita atq; tergo regio

regio more cõſulere. Et infinita ſunt, quibus imperatoria dignitas à regia diſtinguitur, ſaltẽ ſpecie. Hinc Iuſtinianus, noſtrum eſſe propriũ, ſubiectorum commodum imperialiter exiſtimãtes. l.vn.§.pen.C.de cad.toll. quam ſententiam multis philoſophorum ſentẽtiis illuſtrat P. Faber lib. de iuſtit. & iur. Illud autem quod Impp. Arcadius & Honorius hîc adiiciunt, SPECIALITER, eo videtur pertinere: quia pauci & ii optimi tali lenitate vſi fuerunt in liberos perduellium. Quare pro ſingulari id in Antonino Pio notant, Volcatius Gallicanus & Iul. Capitolinus, cum aiũt, eum non ſæuiiſſe in liberos & adfectus Caſſii. Vel vnum exemplum Imp. Veſpaſiani, optimi alioquin Principis, in Peponilani liberoſque Sabini, qui ſe Cæſarem in Gallia dixerat, quam crudele ac pene impium? non illa voce flexum ad miſericordiam, Ego, Cæſar, hos in monumento peperi, aluique vt plures tibi ſupplices eſſemus, vt refert Dio libro LXIV. Poteſt hoc verbũ & eo pertinere, quia hæc vitę condonatio abſolutionis cuiuſdam inſtar habet, cum promeriti mortem forent, vt ſtatim ſignificant, cum aiunt debuiſſe eos perire paterno ſupplicio. Porro in rebus capitalibus, maximeque tanto crimine ſpeciali & nominatim expreſſa indulgentia opus eſt, ac venia. Quare in ſaluo conductu, vt vocant, quanuis generalibus verbis ſcripto, & clauſulis ſpecialibus & fortiſſimis (vt loquuntur) nunquam cauſſa læſæ maieſtatis intelligitur, niſi ſpecialiter ipſa exprimatur, vtiq; hæc, quæ ad perduellionem, & conſpirationem in caput Principis factam pertinet. Qua ratione vſus eſt Clemens VII. aduerſus Cardinalem Piſanũ,

qui Romam ſub ſaluo conducto Pontificis ampliſſimo, fideq; Hiſpanici legati venerat, vt eſt apud Fr. Guicciardinum lib. x i i. hiſtoriarum relatum.

Ait Lex, Paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarii criminis exempla metuuntur.

NON dicunt quia nocētes, & iam meriti: ſed quia futuri, & iam metuēdi; & idcirco præoccupandum. Qui autem ſibi non timet, aut Deo fidit, is non punit, neque pro nocentibus habet: vt M. Antoninus, cui illud Horatii reperio pro ſymbolo fuiſſe vſurpatum, Dii me tuentur, Diis pietas mea curæ eſt, à qua fiducia & virtute animi illa Senatui ſcripſit: Quare filiis Auidii Caſſii, & genero & vxori veniam dabitis. Et quid dico veniam? cum illi nihil fecerint. Tametſi ipſi puniri videntur in pœna filiorum, vt præclare & ex ipſius naturę cauſſis ac generationis principiis diſputat quidam in libro Plutarchi de ſera numinis vindicta: neque iniquum eſſe ait, ſi filii cum ſint parentum, etiam habeant ea, quæ ſunt illorum. addit tamen temperamentum, vt non pœna, ſed medicina & cuſtodia ſceleratorum liberis adhiberi debeat. Quod de crimine iſto perduellionis & proditionis apud Græcos receptum, memini apud Æmylium Probum legere in vita Cimonis, Miltiadis filii; carceris ſcilicet pœnam & multam atque æſtimationem pecuniarum irrogatam. Sed nulla ratio potentior eſt, quam metus ille, ne parentum exemplum imitentur, vt hæc lex iudicat;

&

& Ammianus Marcellinus libro XXVIII. Intercepti, inquit, imperiali motu interiere omnes ad vnum, eorumque ſoboles parua etiam tum, ne ad parentum exempla ſubcreſceret, pari ſorte deleta eſt. Tertullianus libro IV. Poetico:

Authores ſcelerum (facinus ne creſceret vltra)
Extinxit, ſobolemq́; patrum peccata ſequentem.

Quod ſi non hæc vis naturę eſſet in filiis inſita, tamen cupiditas vltionis eos excitare ad facinus ſolet, vt præcipit ſanguinātis verſiculi ſententia:

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας ἀπολείποι.

Et Ori reſponſum pleriſq; generoſis animis neſcio quomodo hæret, qui ab Oſiride interrogatus, quidnam pulcherrimum putaret, τῷ πατρὶ, inquit, καὶ τῇ μητρὶ τιμωρεῖν κακῶς παθοῦσιν. vt eſt in libello eiuſdē Philoſophi de Iſide & Oſiride. Alia ratio liberos puniendi eſt ciuilis, ſed & ipſa tamen à natura tracta, quam Cicero ſic elegantiſſime expreſſit libro I. ad Brutum epiſt. XII. vbi de filiis Lepidi hoſtis iudicati agit, contra deprecationes Bruti eorum auunculi: Nec vero me fugit, quam ſit acerbum, parentum ſcelera filiorum pœnis lui. ſed hoc præclare legibus comparatum eſt, vt caritas liberorum amiciores parentes reipubl. redderet. Aliaque in hanc ſententiam & illa epiſtola, & alibi diſſerit veriſſime. prętertim ſi nō pœna corporis aliqua filiis irrogetur, ſed paupertatis tātum & ſordium, ac ſolitudinis. Quæ pœna non poteſt in hoc atrociſſimo crimine grauis videri, cum eadem ſequatur liberos dānatis parentibus ex multo leuioribus delictis, veluti repetundarum. Atq; hæc ita ſunt, ſi pater ob crimen damnatus fuerit. Quid dicendum ſi mater dānata ſit? Hæc res nul-

lam filiis etiam maſculis labem adfert, nullamq́; pœnam: cum illa ratio hæreditarii ſceleris, qua mouentur Impp. ceſſet, quod hæreditarium interpretantur paternum. Cæterum publicatis bonis matris, nihil ex iis filii filiæq; cõſequi poſſunt, l. de bonis. C. de bon. proſcript. vbi id iuris abſolutiſſimi eſſe dicitur.

Ait Lex, A materna, vel auita omnium etiam proximorum hæreditate ac ſucceßione habeantur alieni.

De paterna ſuperuacuum erat dicere, cum ex antecedẽtibus ſatis conſtet, nihil eos ex bonis paternis, quæ omnia fiſco addicuntur, conſequi poſſe. At de matris & aui materni, vel auiæ, & aliorum bonis & ſucceſſione niſi hæc lex expreſſiſſet, & filios perduellis ab iis remouiſſet, contra exiſtimaremus ea regula quam ponit in aliis criminib. Alfenus in l. 1 1. D. de interd. & releg. Eũ qui ciuitatem amittit, nihil aliud iuris adimere liberis, niſi quod ab ipſo peruenturũ eſſet ad eos, ſi inteſtatus in ciuitate moreretur: hoc eſt, hæreditatem eius, & libertos, & ſi quid aliud in hoc genere reperiri poteſt. Quæ vero non à patre, ſed à genere, à ciuitate, à rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia. itaque & fratres fratribus fore legitimos hæredes, & adgnatorum tutelas & hæreditates habituros: non enim hæc patrem, ſed maiores eis dediſſe. hæc Alfenus. Quibus conſequens eſt, vt multo magis capere & acquirere poſſint, quæ ex teſtamẽtis extraneorum eis delata eſſent, vel ipſi ſua induſtria, vel aliunde parauiſſent. Excipiendum eſt hoc, vt dixi, crimen perduel-

perduellionis ex hac lege: quæ in hac parte valde eſt ſeuera, &, vt arbitror, ſingularis ac noua, nec poſſum viris doctiſſimis adſentiri, qui & nihil noui, ex hac lege cōſtitui dicunt, & per d.l. II. quam modo recitaui, reſtringendam eſſe h.l. quiſquis, adnotauerunt, in eo quod de libertis ſcriptum eſt in l. IV. D. de iur. patron. non adimi liberis damnatorum iura libertorum, de quo ſupra expoſui. Illud potius videamus, cum hic prohibeantur filii omnino ex hæreditate & ſucceſſione materna capere, vtrumne ad fiſcum, an ad legitimos eorum hæredes ea bona deferātur. nam ſi hæc tanquam de incapacibus accipiamus, hæredes legitimi & ab inteſtato venientes ea vindicabūt; ſi tanquam de indignis, fiſcus. nam & his cōuenit verbum, non capiendi: quia licet capiant, retinere non poſſunt, ac proinde nec capere videntur. l. aliud. D. de verb. ſignif. Et hanc poſteriorem ſententiam Cynus probat, ſed inanibus argumentis ex hac lege ſumptis. Vnum eſt ex §. filias. vbi permittitur filiæ ſuccedere matri ex teſtamēto in legitimam: quare ſi in reſiduo, inquit Cynus, ſuccederent venientes ab inteſtato, iam decederet mater pro parte teſtata, & pro parte inteſtata, cōtra regulam l. ius noſtrum. D. de regul. iur. Alterum eſt ex §. vxores; in quo ſcriptum eſt, ea quæ maritus vxori ſuę donauerat, quæque liberis matre ad ſecundas nuptias tranſeunte conſeruari debuerunt, poſt mortem matris fiſcum auferre. Tertium eſt ex d.l. aliud. vt iam expoſui. Sed verius eſt, filios iſtos plane pro incapacibus habendos, quod & verbum illud, non capiāt, bis hic inculcatum ſatis demonſtrat, quod non poteſt pro-

prietate ſeruata ſermonis latini capiētib. adcommodari, quamuis effectu iuris & interpretatione qui cepit & non retinet, nec cepiſſe videatur. Verba autem legū, vbi nulla ratio impedit. iuxta proprietatem interpretari debemus. Deinde mater & propinqui hac ratione punirentur, quod minime huic legi conuenit. Poſtremo non omnia quę indignis eripiuntur, adiudicantur fiſco vt in Nouel. 1. Cuiac. notat. Atque hic legenda ſunt, quæ ſupr. ad initium huius legis docui, in verbis omnibus bonis, maxime ex l. vn. C. de caduc. toll. Neque obſtant Cyni rationes. Nam ad primam reſpondeo, nihil abſurdi eſſe, aliquem, etiam qui miles non ſit, ex poſtfacto pro parte teſtatū, pro parte inteſtatum eſſe l. circa. D. de inoffic. teſt. Item, cum quis lege prohibetur plus parte relinquere, vt hic, d. §. & l. 1. & ibi Bartol. C. de ſec. nupt. Deinde non tam ex teſtamento matris filia capit, quam beneficio huius legis. nam & ab inteſtato tantundem ei concedit. Multo minus obſtat argumentum ſecundum ductum ex §. vxores. nam bona mariti illa ſunt, & ad liberos eius pertinere debuiſſent, ſi is crimē non commiſiſſet. nihil mirum igitur ea fiſco vindicari, vt reliqua omnia. Quę hic Salicetus diſtinguit, & de verbis, Capiat, & Habeātur alieni, philoſophatur, nugæ ſunt. Nō potuerūt Imperatores clarioribus verbis demonſtrare, eos nullo modo capere, quam iſtis, quibus vſi ſunt. Quod ſi fiſco ſuo adplicari ea bona voluiſſent, quāuis durum & iniquū erat fortaſſe, vtiq; hoc expreſſiſſent, ſicut de bonis paternis expreſſerunt, & de rebus vxori donatis. Atque hæc ita ſunt in ſucceſſionibus. Quod ſi mater, vel auia inter vi-

Digitized by Google

tet viuos aliquid his donauiſſet coniuratorum liberis, id eis adimi nullo modo debet, neque exacerbandæ pœnæ ſunt. Sin mortis cauſſa donauerit, quia ad vltimæ voluntatis inſtar redactæ ſunt hæ donationes, irritas eas eſſe non dubito. atque ita rectiſſime Paul. Pariſium reſpōdiſſe & alii notarunt, & ipſe vidi.

Ait Lex, Teſtamentis extraneorum nihil capiant.

CVM toties & teſtamenti & ſucceſſionis hæreditatiſque vocabula hic repetuntur, nunquam autem vel donationibus vel de contractibus vel aliis rationibus, vnde homines parare aliquid conſueuerunt, ſatis argumenti eſt, filios perduellium non priuari iure & facultate acquirendi, & acquiſitis fruendi. Nec impedimento ſunt verba huius legis, quæ ſequūtur, & filios iſtos iubent perpetuo pauperes atque egentes eſſe, item in perpetuis ſordibus, ac ſolitudine verſari miſeros. Nam recte idem Pariſius reſpondit, non ad finalem ea cauſſam, ſed ad impulſiuam pertinere. & ad eos acquirendi modos reſtringenda eſſe, de quibus lex ſpecialiter cauit, id eſt vltimas voluntates, & ſucceſſiones mortuorum. Vt taceam nō facile talibus tanta calamitate adflictis eſſe, erigere ſeſe, atque emergere, cum quibus nemo ſe tuto verſari putet aut colloqui, ne dum vt cum iis contrahat, aut aliquid eis benefaciat. potius tanquam ſacris, & piacularibus hominibus de via quiſque decedat, ne contaminetur, aut ſaltem aliqua tangatur incommoda ſuſpicione.

Ait Lex, Sint perpetuo egentes, & pauperes.

AT M. Antoninus in Oratione ad Senatum miſſa de Caſſii liberis, ita: Sint diuites, ſint ſecuri, ſint vagi & liberi, & per omnium vbique populorum circumferant meæ, circumferant veſtræ pietatis exemplum. Scilicet illam clementiā & lenitatem imperialem initio prætexuerunt, vt ad hæc acerbiſſima deſcenderent mollius. Vnde recte definitum eſt (verba ipſa ſunt Ameriani lib. xxix.) Nullam eſſe crudeliorem ſententiam ea quæ eſt, quum parcere videtur, aſperior. Sed id imputent ſibi parricidæ. Nobis legislatio non diſplicet: in ſcriptura eſt, quod Grammaticus aliquis requirat, aut Rhetor. nam, pauperes, prius poni debuit, quam egẽtes, cum hic ſit ordo, Pauper, Egenus, Mendicus. Cicero Paradoxo ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος: Itaque iſtam paupertatem, vel egeſtatem, & mendicitatem tuam nunquam obſcure tuliſti. Ratio autem cur liberos perduelliũ egeſtate laborare velint, non ea ſola eſt, vt puniantur cum ipſi, tum parentes eorum: ſed illa inprimis ne vires habeant cõtra Principem aliquid machinandi, vt velle eos veriſimile eſt ob parentum ſupplicium. Et ſine hoc etiam ſubeſt illa Taciti ratio veriſſima, qua Soſibium dicit ſuaſiſſe Claudio vt Valerium Aſiaticum tolleret, Caueri vim atque opes Principibus infenſas lib. xi.

Ait Lex, Infamia eos paterna ſemper comitetur.

OPERÆ pretium eſt, hoc loco cognoſcere, quam

quàm multis generibus ea infamia inuri perduellibus conſueuerit, iam mortuis. Primum eſt, quod hæredem nullum habeant, nec teſtamentarium, nec legitimũ. quæ ſane in aliis grauis nota exiſtimatur. Vnde origo ſeruos hæredes inſtituendi. Inſtit. de hær. qualit. & diff. Alterum genus eſt (quod primò loco commemorari debuit, ſed hic ordinem cur ſeruemus?) in ſepulturâ, qua prohibentur, vel inhoneſtâ adficiuntur, puta in loco infami & noxiorum, vel extra fines patriæ proiiciuntur, vt apud Athenienſes mos fuit. In iure Canonico illa pœna eſt iis qui ſe interfecerunt monachis, vt in ſterquilinio ſepeliantur: ea vero Regũ ſepultura fuit apud Arabes, teſte Strabone lib. XVI. Tertium eſt Domus euerſio, cuius rei crebra & vulgata apud Romanos exempla, vt putidum ſit referre, vel adnotare authorum loca. Quartũ, quod ita cum ſuperiori genere Quintilian⁹ memorat lib. III. c. VIII. Et poſt mortẽ adiecta quibuſdam ignominia eſt, vt Melio, cuius domus ſolo æquata, Marcoq; Manlio, cuius prænomen è familia exemptum eſt. Manlii ignominiæ etiam illud additum, ne quis patricius in arce vel Capitolio deinceps habitaret, teſte Val. Max. lib. VIII. c. XV. Quintum ſimile huic, eraſum è faſtis nomen, aliiſue publicis monumentis. Quam pœnam authores huius legis irrogauerunt priuilegio lato Eutropio. l. omnes res. C. TH. de bon. proſcript. quam ſi conferas cum Claudiani libris in eundem, multa verba & dicendi genera poetica ſimilia inuenies. Inde factum, quod & in aliis hanc pœnam paſſis notandũ, vt annus vnius conſulis, id eſt collegæ, nomen habuerit Theodori,

vt ſcribit Suidas. Sextum eodem pertinet, id eſt titulorum & ſtatuarum, & ſi quæ alia in hoc genere reperiuntur, abolitio atque euerſio. d. l. omnes. & res vbiq; obuia in Romana hiſtoria. Singulare eſt illud, quo Lampridius in Heliogabalo, Tyrannorũ ſtatuas luto oppleri conſueuiſſe, ſcribit. ſed & recte tractas atq; in Gemonias proiectas nonnullorum conſtat, vt Piſonis apud Tacitum III. Annal. vel ſolo adflictas, vt Domitiani, apud Suetonium. Eumdem morem nominũ & imaginum & omnium deniq; honorum alicuius abolendorum fuiſſe olim apud Athenienſes, apparet ex rogatione ab iis de Philippo rege lata, quam recitat Liuius lib. XLI. Pœna etiam fuit, ſi quis imagines tales damnatorum vel tyrannorũ haberet, vt de Caſſii imagine refert Tacitus, de Saturnini Cicero: de omnibus in genere ſic Ambroſ. in Pſal. XXXVIII. Si quis tyranni imagines habeat qui iam victus interiit, iure damnatur. Ex quibus intelligimus, quid ſit, Memoriam alicuius damnari, quod ſæpe in iure noſtro de hoc crimine perduellionis legitur, item de iis qui ſibi mortem conſciuerũt, in quorum etiam cadauera pariter ſæuiri conſueuit. Quanquam, etiamſi nihil eorum, quæ ſupra commemoraui, mortuo adciderit, tamen memoria eo ipſo damnata intelligitur, ſi perduellionis damnatus ſit, id quod & poſt mortẽ fieri poteſt, licet viuus ne poſtulatus quidem fuerit. l. pen. C. hoc tit. l. ex iudiciorum. D. de adcuſat. Sic memoria Origenis poſt ducẽtos demum annos damnata fuit, opera Theophili Epiſcopi Alex. cum excommunicaretur, teſte Socrate lib. VII. Eccl. hiſtor. c. XLV. & contra Io. Chry-

ſoſtomi

ſoſtomi poſt xxx. annos reſtituta, Proclo Epiſc. authore: corpore eius, quod Comanis ſepultum eſſe dicebatur, Conſtantinopolim cum ſummis honoribus relato. Nam & reſtitui vel conſeruari memoriam, ac bonam famam poſt mortem, vſitatum olim fuit. Conſeruata eſt Lucano poetæ à Nerone, qui eum ſupplicio adfecerat coniurationis reum; quod indicat vetus inſcriptio Romæ: M. ANNÆO LVCANO CORDVBENSI, POETÆ BENEFICIO NERONIS CÆS. FAMA SERVATA. Pœnitentia & dolore ſine dubio Nero id fecit, plane vt antea Darius Candemum Athenienſem hoſpitem & ſupplicem, quia libere de exercitu eius locutus erat, cum iugulari iuſſiſſet, ſtatim pœnitentia correptus ac vera dixiſſe confeſſus, ſepelire iuſſit, vt ſcribit Q. Curtius lib. III. Reſtituta SC. fuit M. Antonio Antio Pr. &c. CVIVS MEMORIA PER VIM OPPRESSI IN INTEGRVM SECVNDVM AMPLISSIMI ORDINIS CONSVLTVM RESTITVTA EST. vt ſunt verba inſcripta ſepulchro eius. Huc etiam pertinet illa Senatus adclamatio apud Lampridiũ in Commodo, Memoriæ innocentium ſeruentur, Honores innocentium reſtituas. Memoriæ damnatorum eiuſque rei cauſſam ſiue vtilitatem ſic deſcribit Corippus Afer, lib. IV. de Rebus Iuſtini minoris:

Paucorum multis proſunt exempla malorum,
Quorum poſt mortẽ noſtra monumẽta perhorrent
Et damnant leges. Erit vnius vtile multis
Supplicium: ceſſantq; doli, dum pœna timetur.

Atque hæc quidem de memoria hominis mortui publice dãnata, vel conſeruata, & reſtituta. Pri-

natim etiã ſolet memoria mortui coli. interdum etiam niſi quis eam colat, publice punitur: veluti hæres, niſi iuſta mortuo faciat, & lugeat per nouẽ dies, vnde olim Nouendialia dicta. quem morem probat etiam Imp. Iuſtinianus Nou. 115. & Nou. 133. Item niſi ea exequatur, quæ teſtator honoris & memoriæ ſuæ cauſſa fieri iuſſit, vt in l. libertis. §. vlt. D. de alim. leg. cum ſimil. Quale eſt etiam, ſi pecuniam ciuitati legauit, vt ex eius reditu atque vſuris ludi ſiue ſpectacula quotannis celebrarentur. l. legatum XVI. D. de vſufr. leg. in qua lege Modeſtinus reſpõdit, ſi genus illud ſpectaculi non liceret in ea ciuitate agi, non tamen eam pecuniam hæredum lucro cedere debere: ſed aduocatis primoribus ciuitatis atque hæredibus diſpiciendum eſſe, in quam rem conuerti debeat fideicommiſſum, vt memoria teſtatoris alio & licito genere celebretur. Quæ ideo libẽtius recito, quod ea lege ſummus ille vir & doctiſſimus Phil. Melanthon vſus fuerit, eamque adcommodauerit rectiſſime (vt eum citans Cuiacius loquitur; tanta eſt vis virtutis & doctrinæ, vt etiam ab inimicis laudetur) ad mores ſuæ patriæ, cum illa certum genus celebrandæ memoriæ defunctorũ abrogaſſet eam pecuniã in aliam iuſtam cauſſam conuertendam, veluti in inſtitutionem iuuenum, quo ſic alio genere conſeruetur memoria defuncti. Hæc Cuiacius noſter in libro XI. Quæſtionum Papiniani poſtumo, ad l. vlt. D. de his qui notant. infam. vbi plurima eruditiſſime, & ex veteribus ſcriptoribus, vt ſolet, de tota hac re celebrãdæ defunctorum memoriæ docet. Sed quod ad inſtitutum noſtrũ magis pertinet, interdum proditorum

ditorum & perduellium imagines conſeruantur ad infamiam. Sicuti tradit Alfonſus à Carthagena de Iuliano Comite & Oppa Archiepiſcopo, quorum conſpiratione cum Arabibus Rodericus Hiſpaniæ rex, vltimus Gothorum appellatus, cecidit. Decet enim, inquit, ſicut proborum virorum depinguntur imagines, vt ad memoriam noſtram veniant laudandi, ſic & ſceleratorum, vt veniant execrandi. Sicut & Iudas in cœna Domini ſolet depingi.

Ait Lex, Ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacramenta perueniant.

NON ſolum id ad pœnam ſancitur, ſed ne aliquid moliri poſſint, & ne Rempubl. perturbent. Quæ ratio M. Tullium mouit, vt proſcriptorum liberos, quorũ cauſſam non improbabat, à Republ. ſummouendos cenſeret, atq; idem oratione defenderit. Quos poſtea Rep. in vnius dominationem redacta, ideoq; tali periculo ſublato. Cæſar & Auguſtus reſtituerũt, & ad honores admiſerũt. Quintilianus libro xi. cap. 1. Mollienda eſt, inquit, in pleriſque alio colore aſperitas orationis, vt Cicero de proſcriptorum liberis fecit: Quid enim crudelius, quam homines honeſtis parentibus ac maioribus natos, à Repub. ſummoueri? Itaq; durum id eſſe ſummus ille tractandorum animorum artifex cõfitetur. Sed ita legibus Sullæ cohærere ſtatum ciuitatis adfirmat, vt his ſolutis ſtare ipſa non poſſit. Adſecutus itaque eſt, vt aliquid eorum quoque cauſſa videretur facere, contra quos diceret. & vulgatũ olim in Ti-

berium, qui Rhodi per ſpeciem ſeceſſus exulaue-
rat, carmen:

——— regnabit ſanguine multo,
Ad regnum quiſquis venit ab exilio.

Honorum nomine magiſtratus aliaſque curationes publicas & dignitates hic intelligi, manifeſtũ eſt. Sacramenta pertinent ad rem militarem. Vetantur ergo milites eſſe, vtpote infames. Theophilus §. vlt. Inſtit. de except. οὐδὲ στρατεύεται ὁ ἀτιμωθείς. l. 1 v. §. ad tempus. D. de re milit. Sed tanquam ſerui pœnæ & ſupplicio addicti, dum viuunt, vt mox ſubiicitur. Notiſſimum autem eſt, ſeruos à militia repelli, ideoque Virgilius,

—— quem ſerua Lycinnia furtim
Extulerat, vetitiſq; ad Troiam miſerat armis.

de cuiuſmodi ſeruis, qui nomẽ militiæ dederant, cõſuluit Imperatorem Traianum Plinius, vt lib. x. epiſtolarum videre eſt. Chryſoſtomus Homil. xxi. Antiochenâ: Exteriora militum, & corporis menſuram, & bonam carnis habitudinem exquirunt, ipſos in exercitum deligere debentes. Non autem hæc ſola militaturum oportet habere, ſed & libertatẽ: ſi quis enim ſit ſeruus, reiicitur. Cœlorum autem rex nihil tale requirit. Plurium autem numero Impp. hîc vtũtur, quia vnum ſacramenti militaris genus, etiam quod à gregariis exigeretur, puta aliud in delectu dabatur apud conſulem, de fide & obedientia ſtrenuaq; opera Reipubl. nauanda, aliud in caſtris apud Tribunos, de furtis & ſimil. Beatus Sulpitius in vita B. Martini: Regis edictum, vt veteranorum filii ad militiam ſcriberentur: prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cum eſſet annorum quindecim,

decim, raptus & catenatus ſacramentis militarib. implicatus eſt. Hanc eamdem pœnam tanquam reis læſæ maieſtatis diuinæ Ethnicis irrogauiſſe Imp. Honorium reperio, apud Zoſimum lib. v. lege lata, quæ in Aula cingulo vetaret eos vti, qui Chriſtiani nõ eſſent, ſed eam poſtea propter Generidum, qui cum poteſtate militibus tum Romæ præerat, ab eo abrogatam fuiſſe, conceſſumque vnicuique, vt opinionem ſuam retinens, & magiſtratu ſuo fungeretur, & militaret. Chriſtianis etiã militia non ſemel lege interdictũ in contumeliam, nemo paulo doctior ignorat. In hac quoq; re diſſimilis authoribus huius conſtitutionis fuit M. Antoninus, teſte Gallicano. Vixerunt igitur poſteri Auidii Caſſii ſecuri; ſed eos poſtea Commodus interfecit. Sed ne quis Antoninum nobis obiiciat, ſemel dico, in tam illuſtribus viris, qualis Caſſius fuit, interdum conducere non vti ſeueritate, quam ſtulte & cum ſua pernicie quis in omnes aut multos prætermittat. Et aliud ſunt leges, aliud ſingularia exempla.

Ait Lex, Sint poſtremo tales vt his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium.

INTELLEXIT hoc ſæuus ille Tiberius, qui reo ex vinculis roganti, vt ſupplicium ei maturaret, nondum ſe ei reconciliatum eſſe, reſpondit. Adeo verum eſt, quod C. Cæſar apud Saluſtium in oratione de coniuratis dixit, In luctu atque miſeriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatũ eſſe. Quam ſententiam ex Sophoclis Antigona

mutuatum eum putat elegantiſſimus Muretus, lib. xix. Lection. Sic enim ille ait:

Ὅς τις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγὼ, κακοῖς
Ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;

Hoc eſt, vt nos vertimus;

Nam ſi quis in luctu atq; miſeriis, vti ego,
Viuit, quid ille mortem haud lucro deputet?

Hanc Cæſaris opinionem de morte reprehendit ibidem Cato, quaſi ludibrio haberet ea, quæ de iudiciis & locis apud inferos memorantur; ab omnibus ſcilicet & Romanis & Græcis barbariſq;. Chryſoſtomus Serm. iv. de Fato: Quod ſi & illos ſequi libet, ea admiſerũt poſt hanc vitam correctiones, futuraq; in inferno iudicia, & accuſationes, pœnas, præmia, ſuffragia & ſententias, & ſupra; veris doctrinis Ethnicos nõ reſtitiſſe, quãuis alias delirauerint. In his recenſendis Virgil. vt fuit iuris ciuilis & Pontificii peritiſſimus etiã ordine iudiciorum ex iis in inferno conſtituit. Sic enim Seruius in lib. vi. Æneid. ad illum verſum:

Tum demum horriſono ſtridentes cardine portas,

Mittuntur, inquit, poſt verbera ad æternum ſupplicium. Et eſt ſecutus ordinem iuris antiquum. Nam poſt habitam quęſtionem, in Tullianum, ad vltimum ſupplicium mittebantur. Sed hæc in libro ad L. Porciam doceo. His ita expoſitis ſupereſt vt cognoſcamus, num has liberorum pœnas vel lex aliqua poſterior abrogauerit, vel conſuetudo ſuſtulerit. Et adfertur eorumdem Imperatorum Arcadii & Honorii noua & poſterior conſtitutio, quæ extat in l. ſancimus. C. de pœn. his verbis conſcripta. Sancimus ibi eſſe pœnam, vbi & noxia eſt. Propinquos, notos, familiares, pro-

cul

cul à calumnia ſubmouemus, quos reos ſceleris ſocietas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur ſuos teneant auctores, nec vlterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. Hac conſtitutione Gul. Budæus putauit abrogari hanc legem. Sed hæc ſententia, quæ ab Adcurſio & aliis originem habuiſſe videtur, notantibus has duas leges quaſi contrarias, ab omnibus reprehēſa eſt, Duareno, Roberto, Contio, Deciano, aliis & reſpõſio ad l. ſancimus. duplex. Prima, quod loquatur de cognatis, & notis, & adfinibus ac familiaribus, in quibus nulla talis ad puniendum cauſſa, qualis in filiis, adeo vt nec in fratribus germanis hæ pœnæ valeant, vt reſpondit Phil. Decius conſil. LXIV. in coniuratione quadam aduerſus Ducem Mediolani inita. Altera eſt, quod licet de filiis ea lex loqueretur, quod tamen concedendum non eſt, tamen hoc crimen perduellionis ab ea regula excipi oporteret, vt plurimis in legibus nominatim excipitur. Nam veriſſimum puto, quod ab interpretibus noſtris, tanquam per manus traditur, legem generalem, quæ ius antiquum corrigat, non eſſe perducendam ad caſus ſpeciales, qui in veteri iure excipiebantur à regula, vt notat Adcurſius & alii in l. ſciendum. D. qui ſatiſd. cog. Recte autem, & neceſſario Arcadius & Honorius de amicitia, ne crimini daretur, id ſanxerunt: Quod id genus calumniæ frequentiſſimum eſſet, nec Romæ ſolum, ſed & alibi. Quam multos mortales amicitia ſola Seiani euertit! pluresq; illa ruina obruiſſet, niſi oratio M. Terentii plena ſpiritus frænum ſæuitiæ inieciſſet, cum qua velint ſtudioſi confe-

rant pauliſper Amyntæ in pari cauſſa orationem apud Q. Curtium lib. v i i. in primis illa, quæ ſunt huius propoſiti. Proinde, inquit, ad id reuertar, propter quod rei ſumus. Amicitiã quæ nobis cum Philota fuit, adeo nõ eo inficias, vt expetiſſe quoque nos, magnoſq; ex ea fructus percepiſſe confitear. & quæ ſequuntur. Tacitus lib. v i. Annal. Fatebor & fuiſſe me Seiano amicum, & vt eſſem, expetiſſe, & poſtquam adeptus eram, lætatũ. Sed ſatis eſt loca indicaſſe. cum voluptate, imo cũ fructu ea conferet, cui hæc ſtudia curæ. idq; eo magis, quod tantam ſimilitudinem, & eamdem velut indolem authorum & ſcriptorum non animaduerterint diligentiſſimi & eruditiſſimi Cornelii interpretes, ſi memini. De Conſuetudine: vereor ne huius legis pœnæ magis exacerbatæ multiplicatæq; ſint, quam abolitæ aut mitigatæ, præſertim in coniuratos, & reos. Nam in filiis eorum potius eas mitigatas credidero, præſertim quod infamiam & inteſtabilitatem, vt ſic loquar, attinet. Sublatas prorſus eſſe, Angelo, quamuis doctori illuſtri, nullus credo, ſi id ſenſit, vt putatur, in l. fallaciter. C. de abolition.

CAPVT IIII.

Iubemus etiam eos notabiles eſſe ſine venia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint.

ID vero duriſſimum, & neſcio an aliud æque in hac tota lege. Nam deprecari non modo pro ſe ipſo, ſed & ꝓ aliis, ſemp liberũ ac ſolutũ fuit, præſertim pro innocentibus, vt

vt ſunt certe iſti coniuratorũ filii. tanta vero pœna deprecantẽ,imo deprecari conantem quis vnquam adfecit? Simile tamen quiddam auſus impurus ille Tribunus pl. Clodius priuilegio in Ciceronem, cuius illud caput memoratur, Ne quis de eo ad Senatũ referret, ne quis decerneret, ne diſputaret,ne loqueretur,ne pedibus iret,ne ſcribendo adeſſet. Quare non exiſtimo hanc partem legis, niſi ad terrorem ſcriptam eſſe, vt illa lex, in XII. Tabulis,de corpore debitoris diſſecando,qua nemo vnquam vſus: vt ſcribit A.Gellius. Leuiores tamen pœnas huiuſmodi deprecatoribus ſæpe irrogatas eſſe, non dubito:vt relegationis.qua pœna adfectus olim Artaxerxes Eunuch⁹ ab Artaxerxe rege,quod liberius pro Megalyzo perduelle apud eum eſſet,locut',teſte Cteſia libro Rerum Perſicarum apud Photium. Vt vt ſit, deprecari tamen licet populo,licet Eccleſiæ,licet,vt ſæpe factũ in hac ipſa Maieſtatis cauſſa legimus, religioſis hominibus ac monachis, etiam ſingulis, vt ab Eutychiano lib.I. Hiſtor. Eccleſiaſt. Socratis cap. XIII. Sic Chryſoſtomus populum hortatur, vt ſecum ad Imperatorem huius legis authorem pro Eutropio ſupplicatum eant. Sic idem in Homil. IV. de incomprehenſibili Dei natura aduerſus Anomeos, ita factum refert interprete Theodoro Gaza: Decem ante hos annos, inquit, capti nonnulli ſunt tyrãnidem adfectantes, cuius rei vos etiam meminiſſe arbitror. Fuit inter eos quidam dignitate ac principatu (forte ἀρχῇ, id eſt, magiſtratu vel imperio) præditus, qui cum dánatus capite ad ſupplicium duceretur: populus motus miſericordia vniuerſus Prætorem adiit, & de-

precandi communi opera efficere potuit, vt reus ille venia nulla dignus, liberaretur ab ira Imperatoris. Quod ſi cum iram terreni Imperatoris velitis extinguere, vniuerſi cum liberis, & vxoribus feſtinatis, & reliqua. De Monachis quod dixi, frequens fuit, illuſtre eius rei exemplum apud eundem ſcriptorem in cauſſa ſeditionis, & læſæ maieſtatis, cum Antiochiæ Imp. optimi Theodoſii imagines deiectæ eſſent, iſq; eam rem, vt debuit, ſeuere vindicandam exiſtimaret. nam ex propinquis montibus cateruatim deſcẽdiſſe monachos ſcribit ad eximendos reos, qui in ius, & ad ſupplicium ducerentur. Quod certe permittendũ non eſt: eaq; de re authores huius legis alia ſatis ſeuera lege cauerunt, ne fieret. l. addictos. xvi. C. Th. De pœn. ex qua mali huius magnitudo cognoſci poteſt, præſertim ex illis verbis, Aut ſi tanta clericorum ac monachorũ audacia eſt, vt bellum potius quam iudicium futurum eſſe exiſtimetur, ad clementiam noſtram commiſſa referantur. Deinde ſanciũt pœnam in Epiſcopos, qui id nõ prohibuerint, aut vindicauerint. Quanto magis qui inſtigant eos, vel hortantur ac laudant, vt Chryſoſtomus fecit? cuius vt ingenue quod ſentio dicam, probare non poſſum nimiam illam ac pene truculentam libertatem, præſertim in Principes, quam paſſim in concionibus eius videas, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores non ſine inſectatione commemorãt. Qualia illa fuerũt in vxorem Imperatoris Arcadii! Mihi vero placet vehementer illa ſentẽtia & admonitio Fl. Ioſephi, quæ eadem (ſi recte memini) & Polibii eſt, colere officiis nõ exaſperare iurgiis oportet poteſtatẽ, ſiue id quod

poten-

potentius eſt libro II. de bello Iudaico. Similiter Q. Curtius libro VIII. Obſequio mitigātur imperia. Sed redeo ad conſtitutionem noſtram. Dixi ad terrorem incutiendum hoc caput ſcriptum videri: fortaſſe etiam vt pudore negandi magnis præſertim & amicis hominibus ſeſe exoluerent. Quę etiam cauſſa Cn. Pompeium mouit, vt in legibus ſuis iudiciariis interdiceret, Nequi reorum laudatores haberētur, aut deprecatores, quod eō modo multi præſtantibus viris intercedētibus liberarentur, vt Dio libro XL. ſcribit. Memorabile eſt, quod de Imp. Suleimanno commemorat Giſel. Busbequius in epiſtolis, cum infenſiſſimus eſſet Pialhio claſſis præfecto & victorē, ob celatum quemdam nobilem Chriſtianum captiuum, (fuit Gaſto Ducis Medinæ filius) in quo crimen læſæ maieſtatis ille cōmiſerat, vt intelligimus ex Verrina Ciceronis de ſuppliciis: deprecantibus tādem eunuch. principi, filioque Selimo, vt Pialhio parceret, ęgre cum eſſet adſenſus, illam nobiliſſimam & dignam Chriſtiano homine vocem edidiſſe ait; Habeat is quidem à me tanti delicti veniam, & impunitatem: cæterum debitas pœnas poſt hanc vitam de eo ſumat iuſtiſſimus ſcelerum vindex Deus. Adeo (hoc meritū epiphonema addit nobiliſſimus Giſelinus) ei inſedit, nullum malum facinus inultum relinqui debere. Quod autem Imperatores noſtri addunt, Sine venia, eodem ſpectat, ad incutiendum metum, neque enim vel ipſi ſibi, vel ſucceſſoribus præſcribere potuerunt, ne veniam concederent, ſi vellent. Eleganter & ſcite Tiberius Cæſar, cum ſibi ſtatuas poni vetuiſſet, addidiſſetq; illam præſcriptionem, Niſi ego

promittam: hanc ipſam quaſi emendans, Atqui non promittã, ſubiecit. teſte eodẽ Dione. Quod ſi hominibus deprecatorib. omnino vllis parcendum non exiſtimarunt, ne illi quidem pſittaco pepercissent, qui Leonem philoſophum, inſidiarum in patrem Baſilium Imp. falſo delatũ, à ſumma calamitate liberauit: cum enim quodam loco apud Senatores in conuiuio eſſet Baſilius, & pſittacus in corte ſuſpenſus, ſubinde ingeminaret illa verba, O Leo Leo, quæ imitatione cuiuſdã calamitatem Leonis adſiduè deplorantis didicerat: commoti conuiuæ, & occaſione deprecandi vſi, An non iſta volucris, inquiunt, nos adcuſabit, Imperator, ſi cum ipſa Dominum ſuum appellet, nos tuæ maieſtatis familiares, eius tamdiu carcere incluſi obliuiſcamur? Mitigat⁹ his verbis Imp. cum filio ſtatim in gratiam rediit, quem orbare oculis decreuerat. Adeo nulla pro miſeris & innocentibus deprecandi omittẽda occaſio eſt. Hiſtoriolam illam Annali tertio Zonaræ legi.

CAPVT V.

Ad filias ſane eorũ, quotlibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, ſiue teſtata, ſiue inteſtata deceſſerit, volumus peruenire: vt habeant mediocrem potius filiæ alimoniam quam integrum emolumentum, ac nomen hæredis. Mitior enim circa eas debet eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexus minus auſuras eſſe confidimus.

PRI-

PRIMVM illud ſciendum eſt, etiã fœminas in hoc crimen incidere poſſe, & teneri pœnis. quod Azo hîc in gloſſa adfirmat: cuius ſententiam communiter adprobari ſcribit Ange. in §. interdum. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. deferunt. quare nõ dubitat Azo, omnia in matris coniuratione admittere, quæ de patris hîc cauta ſunt. Neque obſtant illa verba h. §. minus auſuras confidimus. nam de feminis filiabus coniuratorũ hîc ſermo eſt, non de feminis quæ ipſæ coniurarint, quæ licet minus audeant; nos tamẽ de iis ſic quærimus, ſi auſæ fuerint. Quod & non raro adcidit, vt ſi non ſolæ, cum viris ſaltem vel ſuis vel alienis conſilia talia iniuerint, vt de Marcia honoratiſſima Ant. Caracallæ concubina legimus apud Herodianum, quæ cum & Electo Læto coniurauit in Principis necem, & perfecit primum veneno, deinde ferro per Narciſſum. Illud adſentiri Azoni non poſſum, quod propter matris coniurationem non ſecus filios filiaſque puniri dicit quam propter patris. neque enim eadem in matribus ratio eſt, imo contraria, vt puniri liberi nõ debeant, quia hæreditarii criminis exempla, quæ ratio Imperatores maxime mouit, & ſola ab iis allegatur, non poſſunt metui à matre. Leges enim noſtræ ſequuntur ſcita Stoicorum, qui generationis cauſſam & filiorum vitia atque indolem patri ſoli tribuunt. l. lege XII. tabularum. in fin. princip. C. de legit. hæred. quam ſententiam quoque intelligunt hîc Impp. cum non contenti dicere, paterni criminis, addideruut, hoc eſt, hæreditarii, vt hanc ſucceſſionem, & naturalem quaſi hære-

ditatem vitiorum paternorum indicant. Mater materiam tantum præſtat. Hieronymus: Femina ſexus fragilior, materia intelligitur c. 11. in Ezechielem, vbi dicit Sanctos nō genuiſſe feminam, niſi perraro. At ne ipſæ mulieres factionem ineuntes pariter ac mares teneantur, nulla ratio eſt. neq; abhorrent verba legis, illud inprimis quod initio poſitum eſt, Quiſquis, nam ad ſexum muliebrem ſignificādum proprie valet. Quod multis veterum exemplis docet Marcellus Nonius. Cōfuſe igitur & inepte cum alii, tum Tib. Decianus libr. VII. capite XLI. Crimin. nunquam in diſpoſitione h. l. quiſquis. contineri feminas ait, niſi id cautum ſit lege aliqua ſpecialiter de feminis loquente, & rationem adfert illam peruulgatam Doctorum, quia hæc lex continet odium irrationabile, cum filium pro patre puniat, ideoq; extendi non debeat. Sed cur irrationabile? cum tot rationes & naturales & ciuiles huius rei ſint tantique ponderis, vt ſupra explicauimus. Quod autem filiæ coniuratorum non æque, vt filii, puniantur, eius quoque differentiæ rationem optimam hæc lex adfert, quia ꝓpter infirmitatem ſexus minus auſuras ſpes ſit punitis parentibus. infirmitas autem ſexus illa, & ad corporis vires, & ad animi timorē, & ad conſilii imbecillitatem referenda eſt. Coniuratio autē in Principis cædem ob magnitudinem ſceleris, & pericula maximum robur harum rerum omnium deſiderat, adeo, vt nec in mares quoſcunque cadat. Eleganter Cicero de percuſſorib. Cæſaris loquens aduerſus Antonium, ſi bene memini: Virū res illa quærebat, inquit. Cæſaris mentio reuocat mihi in memoriam

tiam Portiam Bruti, quæ carbonibus ardentibus voratis marito perſuaſit, capacem ſe & fidã tanti facinoris, ac ſecreti cuſtodem futuram. Illud etiã, quod ex Aretino adferunt, Si quis rebellis vna cũ ſuis declaretur, appellatione ſuorum non venire feminas: ex illa diſciplina Bartoli ductum, quod in rebus odioſis nunquam maſculinum cõcipiat femininum in l. 1. D. de verb. ſignif. mihi non improbatur, niſi conſtet de animo & inſigni odio decernentis, vt fere in talibus euenire decretis ſolet. Quis enim dixerit non contineri etiam feminas in illa populi Athenienſis rogatione aduerſus Philippum Macedonũ regem acerbiſſima, quam Liuius refert libro XLI, in illis, inquam, verbis, Sacerdotes publicos quotieſcunq; pro populo Athenienſi ſociiſq; & exercitibus & claſſib. eorum precarentur, toties deteſtari, atq; execrari Philippum, liberos eius, regnumq;, terreſtres, naualeſq; copias, Macedonum genus omne, nomenq;. Nõ tuto illuc filia aliqua Philippi iuiſſet, vt opinor.

Ait Lex, Falcidiam tantum ex bonis matris; ſiue teſtata, ſiue inteſtata deceſſerit, volumus peruenire.

DE patris bonis, vtpote omnibus iampridem fiſco addictis, nihil cauendum fuit. Verumtamen de dote profectitia dubitari poteſt, vtrum ſalua ei remaneat damnato patre perduellionis? Marcus quidem Imperator, quem ſæpe iam nomino, Caſſii filias etiam argento, auro, gemmiſq; frui iuſſit. Sed hoc ſingulare exemplum fuit, nec ius facit. Dotem profectitiam patris eſſe conſtat;

at benigne ac fauore matrimoniorum receptum eſt, vt eſſet & filiæ magis etiam, quam patris. Vnde & filię proprium patrimonium adpellatur in l. 11. §. ergo. D. de Minor. & in l. in eam. D. de religioſ. & ſumpt. fun. Quare bonis patris publicatis dicendum eſt, non etiam publicari profectitiam dotem. quod expreſſum quoq; eſt in l. cum de in rem verſo. D. de vſur. Imo ſi inter bona patris hæc dos erat, fiſcum dicendum eſt reſtituere eam filiæ debere l. 11. C. ſolut. matrim. idq; ratio ipſa poſtulat, vt dicam infra ad §. dotes. At quod Baldus ſcribit in l. ſi patri C. de dot. promiſſ. filias de bonis paternis eſſe dotādas, probare nullo modo poſſum: cum ſolam Falcidiā ex maternis tantū bonis eis hac lege concedi videamus. Et manifeſte refellitur hæc ſentētia verbis §. emancipationes. h. l. vbi dotes etiam à perduelle datas Impp. reuocari iubent: ergo & filiæ datas, & quidē magis quam extraneæ datas. tametſi enim extraneæ nullo iure dos debeatur vt filiæ, hæc conſtitutio tamen filios coniuratorum punit, nō extraneos. At dos quæ ſemel filiæ iure recteq; data eſt, ea, vt docui, patrimonium filiæ eſt, adeo quidē, vt mortuo patre actio dotis ſit ſolius filiæ licet à patre exhæredatæ, non hæredum patris ſiue ii extranei ſunt, ſiue ſui. l. vn. §. videamus. & §. & hoc ex rei. C. de re. vx. act. Quare & bona patris vel domum ab ea retineri poſſe pro dote exiſtimo, vel prohiberi, ne diruatur: cur enim non idem filiæ tribuamus, quod Bartolus tribuit creditoribus damnati perduellis in l. 1. §. ſeruus. D. ad S C. Syllan. Albericus & alii plures, vxori? quāuis Cynus, vt & Iacob. de Arena contrarium de creditoribus ſentiat

in l.

in l. pignor. C. de pignor. act. Quos authores alii ſic conciliant, vt impedire non poſſint, fiſco ſatiſfacere creditoribus parato: vt Tiberius ſcribit, Quod & mihi placet. quid? quod & in minori crimine læſæ maieſtatis, id eſt, ob deiectas Principis ſtatuas domo paterna eiici filiæ poſſint? quod factum ab Imp. Theodoſio in Antiochenos, lego apud Chryſoſtomum Homilia XIII. vbi & illud, in omnium reorum foribus tabulas proſcriptionis cerni licuiſſe. Quod notandum ad hiſtoriam Romanam. Falcidia, quam Imperatores hîc adpellant, eſt portio legitima, id eſt, quarta eius portionis, quam ab inteſtato filii filiæq; habẽt: vt dupondii etiam norunt. Sed an idem quod de matre hic ſtatuitur, ad auum auiamq; maternã producemus? Quod ſane benignius eſt, cum & iis ab inteſtato pariter ac matri ſuccedant. Quod ea ratio quoque confirmat, quia exceptis bonis paternis, & quadam ex parte maternis, filiæ non ſunt inteſtabiles, ſed capere ex omniũ teſtamentis poſſunt, & legitimas ſucceſſiones non amittũt. Dixi ſupra ob crimen patris non publicari dotem profectitiam filię. Sed quid dicendum ſi filia deliquit ipſa, an publicabitur? de eo ita ex Vlpia. rñdemus, Quinque legibus damnatæ mulieri dos publicabitur, maieſtatis, vis publicæ, parricidii, veneficii, de ſicariis. l. III. D. de bon. damnat. Sed ea lex loquitur de matrefamilias, non de filiafam. vel de dote profectitia, vt apparet in legibus ſequentibus, quæ de marito loquuntur, cui dos lucro cedit damnata muliere, exceptis illis quinq; caſibus. Sed verius eſt, filiafam. damnata, eiuſq; bonis publicatis dotem profectitiam patri ſeparari, vt de

peculio profectitio ſupra diximus. eſt enim dos illa non filiæ ſolum, ſed & patris, ad quem mortua vel damnata filia redit, ſicut in filiam mortuo vel damnato patre. l. 2. §. 1. & ſeqq. D. ſolu. matrim. l. conſenſu. & Auth. econtra ſi filii. & ibi not. C. de repud.

Ait Lex, Vt habeant mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum ac nomen hæredis.

QVAMVIS filiabus nullam infamiam hac cõſtitutione iniungi veriſſimum putẽ: eſt tamẽ aliqua nota, quæ illis hoc loco inuritur & quidem duplex. quod & alimoniæ nomine illam Falcidiam ex bonis maternis eas conſequi velint, & ſine nomine hæredis, non ſolum ſine emolumẽto integro. Ineſt in alimoniæ verbo quidam rubor eorum, quibus alimenta dantur, quaſi miſeris, aut prodigis, arg. l. cum hi. D. de tranſact. Et magnum olim inter Anglos Galloſq; certamen, vtrum ea ſumma pecuniæ, quam rex Galliæ pendebat Angliæ regi, penſio, vt Galli volebãt, an ſtipendium vt Angli contendebant, appellaretur, teſte Phil. Cominęo. Maior atq; expreſſior ignominia eſt in eo, quod hæredis nomine filias exui volunt, qui titulus eſt honeſtiſſimus, adeo, vt legitima filiis relicta alio, quam hęredum titulo, labare & ruere teſtamentum, nec paternum modo, ſed & maternum, veriſſimè proditum ſit, ex Nouella Iuſtiniani, vt cum de adpellat. c XVIII. §. aliud quoq;. atq; ita his diebus in quadam opulenta hæreditate reſponſum eſt à Collegio noſtro.

Quod

Quod autem Imperatores nomen filiæ in adſignanda iis alimonia repetunt, nõ abſurde aut ſuperfluo factum eſt. Tacite enim ſignificant, niſi ſit vnde vitam tolerent, futurum vt corpus corpore alant, id eſt, ad impudicitiam labantur. quod ſupplicium grauius morte mulieri honeſtę, & inprimis Chriſtianæ. Tertullianus Apologetici capit. vlt. Nam & proxime, inquit, ad lenonem damnando Chriſtianum, potius quam ad leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari. Poſtremo quæro, cur nomen hæredis honorificentius habeatur, quam aliud vllum, puta legatarii, fideicommiſſarii, donatarii? opinor, quia hęres defuncti perſonã repræſentat, imo idem cum ipſo cenſetur. Nou. XLVIII. legatum eſt honos. l. nec adiecit. D. pro ſoc. vnde honorati legatarii. l. 11. D. de leg. II. Sed hæreditas, ſummus honos. Cicero pro Quintio: Hæredem teſtamẽto reliquit hunc P. Quintium, vt ad quem ſummus mœror morte ſua veniebat, ad eundem quoque ſummus honos perueniret. vel quia hæres idem ſignificat, quod dominus, & vice verſa. Vnde aliquem dominum hæreditatis ſuæ inſtituere, eſt hæredem facere. l. his verbis. D. de hæred. inſt. Hieronymus, ſiue quis alius vitas SS. Patrum ſcripſit, in vita Eugeniæ, Omnium rerum mearum dominum inſtituam te. Qui locus mire congruit cum d. l. his verbis. nec à quoquã, quod ſciam, animaduerſus eſt.

Ait Lex, Mitior enim circa eas debet eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexus minus auſuras eſſe confidimus.

HÆc mititas multiplex eſt, ſi attẽdamus. Primum in eo quod vitæ earum parcitur, cum & filiorum parcatur. Multi tamen non pepercẽre, ne in ſuo quidem ſanguine, vt rex Galliarum Clotarius I. de quo ita ſcribit Ioh. Tilius libro 1. de Rebus Gallicis: Cranus cum in patrem (Clotarium) Velitanio Aquitaniæ duce, & Conabo Britãno adiutoribus rebellaret, captus in prælio, & ex mandato regis patris ſui cum Lalta vxore, filiabusq; duabus igni eſt traditus. Sed nullum exemplum immanius, quam filiolę Seiani apud Tacitum, Suetoniũ, & alios. quę à carnifice laqueum iuxta compreſſa fuit, quia virginem triumuirali ſupplicio adfici, inauditum ante eum diem eſſet: & quod indignitatẽ auget, Senatus ita iudicauit: ſi veteri Iuuenalis interpreti credimus, nõ ſemper liquidæ apud me fidei. Sic enim ait in Satyr. x. Adeo vt filiam eius virginem iuberet Senatus à carnifice ſtuprari, & ſic occidi, vt iure videretur occiſa. Pari crudelitate & ludibrio iuris, Triumuiri Reipub. Conſt. impuberem puerum necari iuſſerunt, ſed indutũ prius toga virili, vt Dio Caſſius refert. Deinde filiabus famam conſeruat hæc conſtitutio, dictura, ſi lædi vellet, vt in filiis tam prolixe inculcauit. Tertio, quod non prohibet, ne ex propinquorum & externorum teſtamẽtis, vel legitimis ſucceſſionibus filiæ capiant, & maternorum bonorũ partem iis aliquam attribuit, vt ſupra demõſtrauimus. Poſtremo bonam ſpem ſe habere de filiabus oſtendunt Imperatores, non ſecuturas eas paterni veſtigia ſceleris. Ex quo ſequitur, vt minus etiam exprobrari infamia paterna iis debeat. Quod pariter & filiis maſculis Auidii

dii

dii Caſſii Marcus cauerat, cum illis etiam in lite (verba ſunt Vulcatii Gallicani) obiici fortunam propriæ vetuiſſet domus, damnatis aliquibus ob iniuriam, quod in eos petulantes fuiſſent. De infirmitate ſexus muliebris ſuperuacuum adnotare: niſi quod Thomas Aquinas in Politica Ariſtotelis ideo debilem ac dilutam rationem eſſe in mulieribus dicit, quia ob mollitiẽ temperamenti ratio non hęret firmiter iis, de quibus deliberatur. Minus auſuras autem abſciſe dicũt, id eſt, tanti animi & ſceleris facinus, vt ille Syracuſanus apud Liuium in eadem re, Thraſonẽ eſſe conſilii mentibus: nec niſi tam potenti duce confiſos rem tantam auſuros: & quidam apud Tacitum libro IV. Annalium.: Non enim ſe cædem Principis & res nouas vno ſocio cogitaſſe. Quanto minus igitur cogitabunt feminæ? Hæc de filiabus coniuratorum. quid dicendum tamen, ſi ipſæ feminæ coniurauerint, an vt mares puniri debent? Et hic quoque mitior videtur ſtatuenda in eas pœna, licet lex non dicat: idq; ita etiam veteri doctori Oldrado viſum eſt, conſilio CCCXCI. Non poſſum continere riſum, cum lego Cynũ hic adnotare, illam ſententiam, minus audaces eſſe feminas, quam mares, fallere in actibus Venereis. Fuit Cynus nõ ſolum Iuriſconſultus, ſed poeta egregius, luſitque elegantiſſimis verſibus ſermone Ethruſco amores. Inde illa diſciplina. Nam & Amor poeta eſt & Iuriſconſultus, ſi Ouidio credimus, apud quem illa:

Dictatiſque ab eo feci ſponſalia verbis,
Conſultoque fui iuris Amore vafer.

Sed rectius cupidiores maribus, Cynus dixiſſet,

non audaciores; quod nemo vnquam dixit, & naturæ repugnat. alioquin Bartoli illam regulam de hominibus lõgis, quam in Cyno præceptore ſuo fallere dicebat, etiam in Cyno probem ob hanc eius tam fatuam fallentiam. Sed hæc ioco.

CAPVT VI.

Emancipationes quoque quæ à prædictis ſiue in filios, poſt legem duntaxat latam, ſiue in filias fuerint collatæ, non valeant.

ID duabus maxime de cauſſis quæri potuit. Vna eſt, vt ſciretur, an emãcipati iſti filii eadem cõditione habendi ſint, qua filii retenti in poteſtate. Negat id Gloſſographus in c. ſiquis cum, quæ eſt h. l. Quiſquis. Quæſt. 1. de qua re ſupra expoſitum eſt à nobis in verbo, Filii. Altera cauſſa eſt propter bona, quæ filii emancipati per occaſionẽ emancipationis acquiſiuerunt, vt intelligi poſſit, vtrum fiſco vindicanda ſint reſciſſa emancipatione, tanquã iam ab initio in fraudem fiſci facta, an vero penes filium emancipatũ remanere debeant. Igitur cõſtitutum eſt, emancipationes iſtas non valere, quod in fraudem fiſci collatæ videantur; neque id ſolum, ſiquis in reatu filium emancipauerit, ſed etiam ſi ante reatum, poſt id tempus tamen, quo cogitare de factione ineunda cœpit. h. §. noſtro. & l. pen. C. h. tit. ad Leg. Iul. Maieſt. Quod ſi ante iſtam cogitationẽ, qua ſola crimẽ hoc cõtrahi placuit, emancipauit: non video cur infringi emancipatio debeat: idq; incun-

incunctantius dicẽdum eſt in aliis criminibus, in quibus etiam ſufficere videtur, ſi ante reatum tãtum emancipatio facta ſit, vt legis huius authores ſentiunt. l. ſi quis poſthac. §. ſi quid etiam. C. de bon. proſcript. Quo in loco retinere filiis permittitur etiam ea, quæ iis à patre in emancipatione ipſa donata fuerunt. Ad hunc locum pertinent aliæ nonnullæ veterum quæſtiones quas breuiter profligabimus. Summa autem eſt, an filius rei perduellionis poſſit vllam hæreditatem ſibi quęrere? In quo primum diſtinguendum inter hæreditatem patris, & alterius: deinde inter emãcipatum, & filiumfamilias. Igitur ſi inciderit quæſtio de patris hæreditate, ea non aliter conſtabit, quam ſi propoſuerimus, patrem pendente adcuſatione perduellionis mortuum eſſe, vel etiam (quod in hoc crimine receptum eſt) poſt mortẽ eius inſtitutam adcuſationem eſſe. Vtrouis modo cognitio pendeat, quæſtionis eſt, an eius hæreditatem adire vel acquirere filius emancipatus poſſit? Et Papinian. lib. VI. Reſponſorum ſcribit, eum filium poſſe quærere, cui de patris innocentia liqueat. l. Pannonius. §. rei perduellionis. D. de adquir. vel amitt. hæred. recte id adiectum. nam ſi nõ ei liqueat, ſed dubitet, adire non poterit, vtpote cum dubitet de ſtatu patris teſtatoris, vel ab inteſtato mortui; quæ res impedit aditionem cuiuſuis hæredis l. hæres inſtitutus. XXXII. §. vlt. & l. ſeq. D. eod. tit. Quod ſi poſt id tempus, quo pater arguitur iniuiſſe conſilia coniurationis, emancipatus fuerit, etiã de ſuo ipſe ſtatu dubitet, neceſſe eſt, ſi de patris innocentia ei non liqueat. emancipatio enim poſt tale crimen contractum facta

non valet. Dubitat ergo, an vt emancipatus ſuccedere patri debeat, an vt hæres ſuus, & per conſequens adeundo nihil agit l. de qua re pluribus paullo poſtea. Illud notandum eſt ad rectam iuſtamque aditionẽ hæreditatis paternæ eiuſdemque adquiſitionem ſufficere Papiniano, ſi filio liqueat de innocentia patris. Quid igitur, ſi per iniuriam pater damnetur? Dicendum eſt, acquiſitionem reſolui atque irritam fieri: neque id Papinianus negaret, ſi de eo cõſultus fuiſſet. res enim ipſa iudicata pro veritate habetur, nec conſciẽtia filii quicquam poteſt contra eam, ad obtinendã bona. Quod ſi non de emancipato, ſed in poteſtate retẽto quæratur, an hæres poſſit eſſe cognitione pendente de perduellione patris, dubitari non debet. filio enim familias, & hæredi ſuo ipſo iure acquiritur hæreditas, ſine vlla aditione, ſine vlla etiam ſcientia. Imo etiamſi ignorãs mortem patris deceſſerit, nihilominus hæreditatẽ paternam trãſmittit ad hæredes ſuos. l. apud hoſtes. C. de ſu. & legit. liber. vbi plene de hac re dixi. Sed damnato poſtea patre, vel memoria patris damnata, fiſcus hæreditatem vtpote nunquam filio delatam, vindicabit. Deinceps de hæreditate extranei cognoſcamus. ſi ea filio perduellis ſit delata. Et hîc non tam diſtinguendum eſt, inter filium emancipatum: quam ſimpliciter dicendum, vt recte eam hæreditatem adeat, certũ eum eſſe debere de ſtatu ſuo. id enim in omnibus aditionibus requiritur. non poteſt autem eſſe certus, ſi de innocentia patris nihil ei liqueat. Nam ſi non liquet, dubitat, ipſius emancipatio valeat, an nõ: atque ita filiusfamilias ſit, an paterfamilias. Sin

vero

vero liquet, certo igitur ſcit, emancipationem valere. vnde ſequitur, poſſe eum hæreditatē extranei adire, & ſibi acquirere: cum emancipati nihil quærant patri. Quod ſi vel emancipatus omnino non ſit, vel non iuſte emancipatus, atq; ita de ſtatu ſuo certus ſit, id eſt, ſciat ſe filiumfamilias eſſe, an pendente cognitione paterni perduellionis adire vel repudiare hæreditatem extranei poterit? & ſi repudiauit, an repudiatio iſta noceat fiſco, cui filiusfam. iſte eam acquiſiuiſſet, vtpote cū fiſcus patri ſuccedat, cui iure poteſtatis eam hęreditatem acquiſiturus erat filius? Et verius eſt, non poſſe, cum incertum ſit an vt filiusfamilias patris iuſſu adire debeat: neque enim patris ratihabitio ſufficit abſoluti forte patris. l. qui in aliena. l. ſi quis mihi. §. iuſſum. D. de acq. hæred. Quod ſi pater damnetur, etiam aditio non valet, vtpote facta ab eo, qui ſe filiumfamil. eſſe exiſtimabat, vel qui certe dubitabat, an pater damnaretur. Neq; hic valet ius poſtliminii, vt iam ab initio adcuſationis filius ſui iuris fuiſſe videatur. hæc enim fictio in iis tantum locum habet, quorum pater ab hoſtibus captus eſt: neque factiones extendi debent. l. quod ſi filius. D. de capt. & poſtli. Sed neque illud, ſententiam retrotrahi ad tempus litis conteſtatæ, vt Theophilus ſcribit in §. 1111. Tit. Inſtit. de iudic. Vnde filius, ſi pater poſt mortem damnatus ſit perduellionis ſuus hæres patri non eſſe dicitur. l. 1. § interdum. D. de ſu. & leg. cum tamen an quis ſuus hæres ſit, ſpectetur tempore mortis patris: quo tempore nōdum erat damnatus. Ideoq; Iuſtinianus in §. interdum. Inſtit. de hęred. quæ ab int. defer. ipſo quidem ſuo iure hę-

redem eſſe,ſed deſinere, ait. Neque obſtat quod in d l.qui in aliena. §. ſi is qui. ſcriptum eſt, eum, qui dubitat vtrum filiusfam. an paterfam. morte patris factus ſit poſſe adire hęreditatem: & generaliter in l.ſed etſi de ſiia.D.eod. Nam alia ratio eſt eius,qui ſcit ſe patrem habere, licet reum; aliud eius qui neſcit aut dubitat an habeat. nam ille iuſſum ſibi patris neceſſariū eſſe nouit: hic ſcire non poteſt: & tamen eo eſt animo, vt in omnem euentum hæreditatem adeat, ſiue ſibi, ſiue patri quæſiturus. Supereſt vt exponamus,quid ſibi illa verba huius legis velint, Poſt hanc legem duntaxat. Sollemne hoc in legibus fuit,quæ de iure ciuili latæ ſunt,hoc ſtatui ius, quo poſt eam legem populus vtatur,inquit Cicero Verr. I I I. Vt in L. Falcidia. Quare ibidem Cicero Verrem adcuſat, quod tempus præteritum quodam ſuo edicto comprehendiſſet, quem defendit Horom. lib. I. obſ. c. I. recte: neque enim tam præteritum tempus comprehendit Verres,quā negotia præterita ſeu controuerſias,quæ ſuo anno naſciturę eſſent, nec antea vel tranſactione, vel alio modo finitæ erant,quod illi licuit facere. Cum quo congruit Nouella de iureiur. XLVIII. in fin. & ibi Iulianus notat. & Nouella, de fil. ante dotal. XIX. quæ omnino ad hoc videnda.

CAPVT VII.

Dotes, donationes, quarumlibet poſtremo rerum alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude, vel iure factas eſſe cōſtiterit, quo primum memorati de ineunda factione, ac ſocietate

ſietate cogitauerint, nullius ſtatuimus eſſe momenti.

SVPERIORI capite emancipationes poſt crimen in filios collatæ reſcinduntur. Hic pergunt reſcindere omnia, quæ in adminiſtratione rerum ſuarum perduellis geſſit, dotes, donationes, alienationes omnes. nec immerito: vtpote cum rerum ſuarum dominium ſtatim amiſerit, ac de factione cœpit & coniuratione cogitare. vt hic dicitur, & exponetur à me pluribus ad ipſa verba infra. In aliis legibus quæ de hoc capite loquũtur, nominatim cauetur etiam de ſolutionibus ei vel ab eo factis, itemque de manumiſſionibus ſeruorum. Sed hæc quoque non omiſſa in hac lege, vtpote quæ contineantur verbo alienationum, præſertim adiecto, quarumlibet. Ibi igitur dicam.

Ait Lex, Dotes.

PRÆOCCVPAVI de hac re dicere ſupra in §. ad filias, vbi profectitiam dotem filiæ ſaluam eſſe vel reſtitui à fiſco debere publicatis bonis patris, demonſtrauimus, quod ex hoc §. temperandum eſt, niſi poſt crimen iam contractum pater dotem dederit. Generaliter enim de omni dote loquitur. Alioquin magna occaſio fraudandi fiſci hominibus ſceleratis aperiatur, vniuerſis forte bonis vel maxima ex parte dotis nomine in filias collatis, in quo bifariam cõtra hanc conſtitutionem ſimileſq; fieret, & quod fiſcus, vt dixi, fraudaretur; & quod filiæ iſtæ non mediocri alimonia, vt lex præcipit, humiles, ſed amplis diuitiis

ſplendidæ incederent, dicerentur Dotatæ, vt illa apud Romanos olim, de qua Valer. Maximus, & meliori iure Berenice Regina, quæ patri Dotalis nomen conciliauit. Hieronymus in Danielem c. xi. Volens itaq; Ptolomeus Philadelphus poſt multos annos moleſtum finire certamen, filiam ſuam nomine Berenicē, Antiocho vxorē dedit & ſtatim: Deduxitque eam vſque Peluſium, & infinita auri & argēti millia dotis nomine dedit. Vnde Φερνόφορος, id eſt, Dotalis appellatus eſt. Quod de filiabus diximus, idem & in muliere extranea dicendum eſt, ſi quam dotem ei perduellis dedit. Valebit enim, aut reuocabitur, vt eſt tēpus, quo data eſt, aut promiſſa. nam & promiſſam dotem, ſi ante cogitationem facinoris promiſſa eſt, exigi à muliere poſſe, dicendum eſt, cum ſit recte promiſſa, & inter viuos, nec ſuum ius mulieri eripi debeat. l. perfectam. C. de donation. l. promittendo. cum ſimil. D. de iur. dot. Multo magis igitur ſi à fiſco cum cæteris bonis dos, quæ data erat, occupata ſit, mulieri reſtituēda eſt. Fiſcus enim ſucceſſor ſemper tenetur creditoribus eius, cui ſucceſſit, ſatisfacere. Quare & publicatis mariti bonis, creditoribus eius ſatisfaceret, inter quos vxor etiam eſt. l. ſi marito. in princ. D. ſol. matrim. l. 1. C. de fideiuſſor. Neq; vero filiæ ſolum, ſed & genero actio in fiſcū datur, dote à ſocero recte promiſſa, id eſt, non in fraudem fiſci, & priuſquam damnaretur. l. ſed etſi pater. D. de bon. damnat. quā legem vt & alias in eo titul. reſtituit ex Baſilicis eruditiſſimus Cuiacius libro vi. obſeruat. c. xxiii. vbi & hęc notat, mortua in matrimonio filia, licet dos profectitia ad patrem redeat, non ideo tamen

poſt

poſt damnationem patris mortua filia dotem ad fiſcum redire: ſed manere potius apud virum, vel eo maxime quod dānationis tempore non fuerit dotis actio in bonis patris, niſi in fraudē fiſci dos data fuerit. l. niſi probetur. I x. l. cum ratio §. in bonis. D. eod. tit. Quod ſi diuortio filiæ ſolutum ſit matrimonium, quo caſu dotis repetitio patri non datur, niſi voluntate filiæ l. 11. §. 1. D. ſolut. matrim. l. filiæ. C. eod. ſi damnetur pater nondū extorta voluntate filiæ, filiæ actionem eſſe, nec à fiſco peti poſſe. l. in inſulam. D. ſolut matrim. Sin iam ante damnationem filia conſenſerat patri, fiſci actionem dotis eſſe, quia ſucceſſit damnato patri, cuius ea actio erat, ita tamen, vt quod pater facturus erat, id & fiſcus faciat, id eſt, vt filiæ dotē conſeruet, & ſecundo nubenti reddat. idq; Græcum interpretem ita notare, vnde omnia deſtruantur, quæ Adcurſius adſtruxerat ad d. l. in inſulam, cui impoſuiſſe, alibi ait, l. ſi marito. §. ſi volūtate. D. eod. tit. in qua ſcriptum eſt, procuratore à patre conſentiente filia dato ad exigendam dotem, ſi procurator vicerit, patre mortuo actionē iudicati dari filiæ, non hæredi patris. Ergo in ſuperiori quoq; caſu filiæ dabitur actio, non fiſco, ſi pater deportatus ſit, atque ita ciuiliter mortuus. Sed reſpondet Cuiacius in ſpecie d. §. ſi voluntate. non quæri de actione dotis, quæ patris vel hæredis eſſet, vtpote in quam filia patri conſenſiſſet, quæq; actio nouata eſt re iudicata. l. 111. §. pen. C. de vſur. re. iudic. ſed de actione iudicati noua, in quam filia non conſenſiſſet. ideoq; non potuit ea patri, vel hæredi eius acquiri, vt nec procuratori cum ad eam non ſit datus. arg. l. ſi procurator

meus. D. de procur. Hæc ille in Obſeru. & lib. I V. Reſponſ. Papiniani poſtumo. Ego puto actionẽ etiã iudicati patris eſſe, ſicut actio de dote, cui illa adcedit non ſubſtituitur. quia nouatio quæ fit litis conteſtatione, non perimit actionem. l. aliã. D. de nou. Cur ergo non hæredibus patris datur, ſed filiæ? quia non cenſetur iure actionis hæreditariæ. §. videamus. C. de re. vx. act. ideoq; nec ad fiſcum tranſit. d. l. in inſulam. Et ita rectiſſime Alexan. ad d. l. ſi marito: per ſententiam latam non tranſmitti, quæ ſua natura ad hæredes non tranſmittuntur. Sed hæc nunc ſatis, & alibi diligentius tractata.

Ait Lex, Donationes.

DONATIONEM ſpeciem eſſe alienationis, & quidem magis quam dotem, nemo ignorat. Quare poſt donationis & dotis mentionem ſubiectum eſt poſtea generale alienationum vocabulum, vt legiſlatorum ſæpe mos eſt l. . . D. ad leg. Aquil. ſicut & genere aliquo poſito ſpecies quaſdam eius inſigniores ſubiicere, cuius rei illã rationem Labeo adſcribat, Quia quæ notabiliter fiunt, niſi ſpecialiter notentur, videntur quaſi neglecta l. item apud. §. hoc edictum. D. de iniur. Etiam ſpecialiter quædam pronunciata, generaliter ſapiunt, vt ait doctus ille Tertullianus, libro de ſpectaculis. Donatio vero in multis differt ab alienatione, ea quidem quæ magis vſitate ſic dicitur, quod aliæ alienationes, puta venditiones, aut neceſſitate fiant, aut alicuius rei conſequendæ cauſſa. deniq; ſemper reſpiciant eum, qui alienationem facit. At donatio & liberalitas, ſicuti

Iuſtitia,

iuſtitia, tota foras ſpectat, & ad alienas vtilitates ſeſe exporrigit, ac proiecta eſt, vt Ariſtot. & Cic. ſcribunt: Nihil enim ex iis virtutibus ad homines iuſtos & liberales redit, præter laudem, & beneuolentiam, atq; aliquam interdum πρὸς ἀντίδωρα obligationem, cuius nulla fere vis iure ciuili eſt, cum magna ſit naturalis obligationis. l. ſed etſi. §. cõſuluit. D. de hæred. pet. l. ſi pignori. D de Furt. Hinc differentiæ inter donationes & cæteras alienationes notatæ à Modeſtino in libris differentiarum: cuius rei veſtigia extant in l. ad res donatas. D. de Ædil. Ed. & in l. rem legatam. D. de adim. leg. Quod etiam in hac quæſtione noſtra licet obſeruare. Nam donationes vtique omnes poſt crimen contractum factæ reuocantur, non ité alienationes omnes, vt infra docebimus. Nunc loca de donationibus ad hanc rem noſtram pertinentia proferamus, & illuſtremus. Ait Papinianus: Ratæ donationes eſſe non poſſunt poſt crimen perduellionis contractum: cum hæredem quoque teneant, etſi nondum poſtulatus vita deceſſerit. l. donationes. §. fin. D. de donation. Eandem regulam de omnibus criminibus capitalibus facit Martianus libro 1. Inſtit. Poſt contractum, inquit, capitale crimen donationes factæ non valent, ex conſtitutione Diuorum Seueri & Antonini, ſi condemnatio ſecuta ſit. l. poſt contractum. D. eod. tit. Hæc eſt vera lectio, quam & Odofredus vetus interpres, & Contius, aliique ſequuntur, & libri βασιλικῶν, & Florentini confirmant. Altera illa, Niſi condemnatio, palam abſurda eſt, & inepta, licet Accurſio placuerit. Quid enim abſurdius, quam donationes ſecuta damnatione va-

lere dicere,non ſecuta non valere? Contra veriſſimũ eſt, in omni capitali crimine donationes ratas haberi,ſi damnatio non fuerit ſecuta viuo reo: excepto hoc crimine perduellionis, in quo ratæ non ſunt,quantumuis non dico damnatus,ſed ne poſtulatus quidem vita deceſſerit, vt Papinianus ſcribit & Modeſtinus in l.ex iudiciorũ.D.de pub. iudic. vbi iudicio maieſtatis addit crimẽ repetundarum, qua etiam poſt mortem reorũ, cum quibus nihil actum eſt,adhuc exerceri placuit, vt bona eorum fiſco vindicentur: adeo, inquit, vt Diuus Seuerus, & Antoninus reſcripſerint, ex quo quis aliquod ex his cauſſis crimen contraxit, nihil ex bonis ſuis alienare,aut manumittere eum poſſe; idemque reſcriptũ allegat Martianus in l.pen. C. ad L. Iul. maieſtatis. In aliis criminibus ita demum ad hæredes tranſit pœna ademptionis bonorum, ſi viuo reo lis conteſtata aut mota fuerit. In C Theodoſiano non repetundarum crimen, ſed Magiæ vna cum iudicio Maieſtatis excipitur l. 11. & l.1v. D. de bon. proſcript. Sed de alia quæſtione nimirum illæ leges loquuntur, de qua & Iuſtin. Auth. bona. C.eod. tit. nos hic de actione & pœna aduerſus hæredes agimus. Cæterum Papiniani illius & aliorum ſententiæ, quam ſupra retulimus, repugnare videtur, quod Vlpian. ſcribit his verbis: Si maritus vxori donauerit, & mortem ſibi ob ſceleris conſcientiam conſciuerit,vel etiam poſt mortem memoria eius damnata ſit: reuocabitur donatio: quamuis ea quæ aliis donauerit,valeant,ſi non mortis cauſſa donauerit.l.cum hic ſtatus.§.ſi maritus. D.de don. int. vir.& vxor. Ecce donationes valere dicit omnes

factas

factas ab eo, qui ſe occidit, vel cui⁹ memoria poſt mortem damnata eſt, quibus verbis perduellionis crimen ſignificat: excipit duo tantum genera donationum, Vnum mortis cauſſa cuius factarum, alterum inter virum & vxorem. Has ſolas non valere. Contra Papinianus, & cæteri nullas valere condemnatione ſecuta: neq; id tantum in illis duobus criminibus, quæ dixi, ſed in omnib. Facilis reſponſio eſt, Papinianus & alii loquuntur de donationibus poſt crimen, vel reatum: Vlpianus de ante factis. Factæ ante crimen omnes valent, quodcunq; poſtea crimen donator admiſerit, etiam perduellionis vel conſcitæ ob conſcientiam ſceleris mortis: quæ ſunt grauiſſima, multaque habent ſingularia: præſertim cum poſt mortem quoque iudiciũ de eis agatur, & condemnatio fiat, pœnæq; irrogentur, ademptionis bonorum, infamiæ, ſepulturæ, & aliæ. l. liberorum. §. non ſolent. D. de his qui not. inf. Dixi omnes: ſed excipiendæ ſunt donationes inter virum & vxorem factæ, item mortis cauſſa inter quoſcunque factæ. Hæ donationes non valent, etiam ſi ante crimen factæ ſint: & ratio eſt, quia hæ donationes morte demum donatoris confirmantur, vt vltimæ voluntates, puta legata & fideicommiſſa, ad quorum inſtar illæ redactæ ſunt. §. 1. Inſtit. de donat. l. donationes. C. ad leg. Falcid. d. l. cum hic ſtatus, & paſſ. Non poſſunt autem confirmari, ſi donator capitis damnatus ſit: vtpote cum hac donatione & teſtamentum irritũ fiat, & omnia quæ ſunt vltimæ voluntatis, vel inſtar eius, vt iſtæ donationes. l. eius qui. §. 1. l. ſi filio exhęredato. §. irritum. D. de iniuſt. rupt. irr. l. ſi aliquis. & ibi gl. D.

de mort.cauſ.donat. Imo etiamſi res donatæ traditæ eſſent, vel ſoluta legata, repeti poſſunt; teſtamento per damnationem irrito facto ex quouis crimine; vno tantũ caſu excepto in crimine perduellionis, ſi nimirum legata ſoluta fuerint poſt illatum crimẽ perduellionis, non etiam ſi ante illatum, vt adcidere facile poteſt, cum poſt mortẽ rei hoc crimen inferri & inchoari poſſit, & ideo ſolutis forte iam legatis l. cum filius. §. vlt. D. de Leg. II. Illa differentia inter has donationes eſt, quod donationes inter virum & vxorem factæ, licet ante crimen non valẽt, vtpote quæ iure interdictæ ſint: ſed ex Oratione Diui Antonini confirmantur, ſi & donator prior deceſſerit, & volũtatem non mutauerit d. l. cum hic ſtatus, & paſſ. d. tit. At donationes cauſſa mortis, ſtatim quidem valent & iure fiunt; ſed tamen & ipſæ ante mortem reuocari poſſunt, ideoq; morte demum cõualeſcunt. Inter cõfirmationes etiam iſtas diſcrimen reperio eſſe. nam donatio inter virum & vxorem facta ſic morte donatoris confirmatur, vt tamen retrotrahatur ad tempus interpoſitæ donationis, atque ex eo tempore valeat, atq; ita iure confirmationis, hoc eſt, donationis inter viuos, non iure legati. l. ex verbis XIV. l. donationes. C. de donation. int. vir. & vxor. per autem multum intereſt inter hæc duo: vt fuſius explicaui lib. III. de his donationib. At mortis cauſſa donatio non retrotrahitur, ſed iure legati valet, quod conſtat non retroduci ad tẽpus, quo relictum eſt. Et ratio differentiæ illa: quia lex, id eſt Oratio Antonini ſecuta eſt hac in re donatoris voluntatem, quam non mutaſſet is ante mortem. nam eo vſq; pœni-

pœnitere licet. Voluit autem maritus vel vxor cũ donauit, tunc, cum donaret, donationem valere. At qui mortis cauſſa donat, alia volũtate eſt: quia enim mauult ſe habere, quam cui donat, ideo nõ ante donationem vult valere, quam ipſe deceſſerit. l. 1. & paſſ. D. de mort. ca. donat. Ex qua diſſimilitudine voluntatis & illa differentia inducitur, quod mortis cauſſa donatio non cõfirmatur, ſed infirmatur morte ciuili, puta donatore in ſeruitutem redacto; at donatio inter virum & vxorem facta morte etiam ciuili confirmatur. l. res vxori. C. de don. inter vir. & vxor. de qua lege mox dicam. Nunc euellendus eſt quidam ſcrupulus in illa ſententia Vlpiani, in d. §. ſi maritus, vel in expoſitione noſtra infixus. Nam ſi Vlpianus eo loco loquitur de donationibus ante crimen factis, vt docui; quid opus erat duo illa ſingularia crimina conſcitæ mortis, & perduellionis ponere, cum idem iuris ſit in quocunq; crimine capitali, vt ſcilicet donatio vxori vel alii mortis cauſſa facta reuocetur damnatione ſecuta ex crimine, licet poſt donationem cõtracta. Id enim neceſſario ſequitur ex illa ratione, qua diximus has donationes confirmari morte donatoris demum, quo certe tempore, cum ille ſit capite damnatus, confirmari non poterunt, ex quocunque tandem crimine capitali ſit damnatus. Valde me hic ſcrupulus torſit, adeo, vt fere irem in ſententiam eorum, qui Vlpianum loqui de donationibus poſt crimen contractum factis interpretantur. Sed idem in illa ſcrupulus: nam in omni crimine capitali hoc verum eſt, & in omnibus donationibus, vt poſt id factæ non valeant, dãnatione ſecuta. d. l. poſt cõ-

tractum. D. de donat. cuius tamen contrariũ adfirmatur in d. §. id eſt valere aliis factas. Sed neq; in duobus illis criminibus aliter donatio reuocatur, quam damnatione ſecuta. illa modo differẽtia eſt, quod in aliis criminibus damnatio nõ fiat, niſi viuo reo ſaltem lis inteſtata fuerit: in his duobus etiam lite non mota damnentur mortui. Sed de hac re Vlpian. ibi non agit. Cur igitur illa duo tantum nominat, & ita quidem, vt ſingulare ius in illis eſſe innuat, cum ſint & ipſa ſingularia? Re diligenter perpenſa illud placuit, vt putarem Vlpianum generaliter de omnibus criminibus locutum eſſe & compoſitores illa duo crimina ibi tantum retinuiſſe, vel poſuiſſe propter conſtitutionem Conſtantini in d. l. res vxoris, ſicut & l. ſed ſi mors. D. eodem titulo, eiuſdemq; Vlpiani, manum adhibuiſſe Tribonianum Cuiacius ſcribit, & quædam adtexuiſſe ex ſententia dictæ cõſtitutionis, id eſt, l. res vxoris. Ea igitur noue & contra iuris veteris ſententiam, vt ex ipſius verbis liquido apparet, conſtitutum eſt, vt donationes vxori factæ ante reatum non infirmentur, vt antea, damnatione & morte ex ea conſecuta: ſed potius confirmentur, non ſecus ac ſi naturalis mors, non pœna donatorem vitæ ſubduxiſſet, ad quod noue conſtituendum inductum ſe Imperator ait, tum ne alieno infortunio mulier prægrauetur, tũ vt habeat meritũ pudicitiæ præmium. Sed ex hac noua regula crimina illa duo viſum eſt excipere, in quibus ius vetus ſeruaretur, nimirum conſcitæ mortis, & perduellionis. præſertim cum dici poſſit nec de iis regulam illam ſiue conſtitutionem Conſtantini loqui: confirmat enim donationes

viri

viri ante reatum factas, id eſt, ante adcuſationẽ. quod non cõuenit duobus illis criminibus,in quibus nõ reatus vlla ratio habetur, ſed criminis cogitati tantum: ideoq; & poſt mortem adcuſatio inſtituitur. idemque confirmo ex l. ſiquis poſthac C. de bon. proſcript. Vbi Impp. Arcadius & Honorius ita ſanciunt in marito proſcripto, vt donationes quas vxori cõſtante matrimonio fecit ante proſcriptionem, firmæ & ratæ permaneãt. Eſt & altera pars d. l. res vxoris. ſatis noua, qua conſtituitur, vt deportatione vel alia ſimili pœna, ex qua mors ciuilis tantum ſequitur, donationes inter coniuges factæ non infirmentur, vt olim; ſed in pendenti ſint, & vel confirmentur, ſi donator in eadem volũtate permanſerit, vſque ad mortem naturalem, vel infirmentur, ſi voluntatem mutauerit. quod ius vetus eſt, vbi quis ſeruus pœnæ factus non eſt, ſed integro ſtatu moritur, at vbi ſeruus pœnę factus eſt, iure veteri ſtatim infirmatur donatio inter coniuges facta, ob ſupraſcriptam rationem. Quod ius vetus diſerte abrogat dicta cõſtitutio in fine, vbi fiſco vindicari eas donationes vetat. Sed & ratio abrogatur in Auth. ſeq. qua ſancitur, ne quis pœnæ ſeruus efficiatur ex ſupplicio. olim ſeru⁹ fiebat, ſed nõ ex omni ſupplicio verum vltimo, & ſi quo alio libertas amittebatur, puta damnatione in metallum; non etiam exilio, vel aquæ & ignis interdictione, vel deportatione. Hodie nulla pœna ſeruus efficitur, idque propter nuptias conſtitutum eſt ne diſſoluerentur. Illud quæritur, an quod de viri donatione in vxorem collata Conſtantinus conſtituit noue, id pertinere etiam vel extendi debeat ad donationem vxo-

ris in virum collatam, quod negandum videtur. Primum, quia nouæ & corrigẽtes leges non ſunt extendendę, ſed coercendę potius interpretatione. Deinde, quia pudicitiæ vxoris præmio cedere eas donationes velit. Quæ ratio non ita in marito valet, & pudicitiam intelligit, quam viuo marito præſtitit; ait enim, ceſſit. non autem poſt mortem eius, quaſi eripienda ei donatio ſit, ſi mortuo marito impudice vixerit, vel ſi ad ſecũdas nuptias nõ tranſierit. quod falſum eſt. Nam vxor ad ſecundas nuptias tranſiens non amittit à marito donata, ſi nulli liberi ex eo ſuſcepti extent. Quod ſi liberi extent, tamen vſumfructum donatorum habet, proprietate filiis ſeruata, vel fiſco, ſi maritus damnatus perduellionis. §. vxores. infra h. l. noſtra. Male igitur Cuiacius & alii, qui verbum pudicitiæ de continẽtia à ſecundis nuptiis interpretantur. Peius qui in vxoris donatione in maritũ collata, idem ius recipiunt. Peſſime qui viduæ eripiunt donationem, niſi pudice vixerit. Nam vt Iuuenalis vetus interpres ait, Vidua peccat ſine crimine, ſicut diues mulier, quæ auaro nupſerit marito, ad illa verba Satyræ VI. Vidua eſt locuples. Cicero pro Cælio, Si vidua libere.

Ait Lex, Quarumlibet poſtremo rerum alienationes.

VENDITIONES, ſolutiones, manumiſſiones l. pen. C. h. tit. & ſi quæ ſimilia. De donationibus enim ſupra expoſitum. Cæterum vt tota hæc quæſtio ſatis ad explicandum difficilis, intelligatur: tria tempora diſtinguenda ſunt, Ante cri-

te crimen, Poſt crimen, Poſt ſententiam. Si igitur alienatio ante crimē facta ſit, & alienatio neceſſaria fuerit, ſemper & indiſtincte valet. neque hic dubitationem vllam occurrere video. Quod ſi voluntaria fuit, etiam regulariter valet. l. poſt contractum. D. de donat. excipiendæ primo ſunt donationes cauſſa mortis, & aliquæ etiam inter virum & vxorem factæ, vt ſupra docuimus. Deinde hæc regula ſic temperanda videtur magnis interpretibus, vt Iacobo de Arena, Cyno, Bartolo, aliis; niſi conſtet aut probetur coniecturis mala fide eas alienationes factas eſſe, id eſt, cogitatu criminis, quod erat perpetraturus. tunc enim metu & ſuſpicione pœnæ ſubſecuturæ alienaſſe intelligitur. l. ſi aliquis. v i i. D. de mort. ca. donat. l. qui pœnæ. §. 1. ibi, cum futurū proſpiceret, vt damnaretur. D. de manumiſſ. l. in fraudem. in pr. D. de in fiſc. vbi ſcriptum eſt, res in fraudem fiſci nō ſolū per donationem, ſed quocūq; modo alienatas reuocari, & in omnibus fraudē puniri. Quod tamen intelligendum eſt, niſi alienatio fuerit neceſſaria; hæc enim nō poteſt videri in fraudem fiſci eſſe facta, veluti ſi propter alimenta alienauerit, vel ſi creditoribus ſoluerit. l. alienationes. D. famil. erciſ. l. rea. D. de ſolut. Illud quæritur, quibus modis hęc fraus probari poſſit in eo, qui alienauit ante crimen admiſſum. Et optime atque acutiſſime Bartolus plures eius rei pręſumptiones coniecturaſq; collegit atque expoſuit ad d. l. poſt contractum quas, præter alios, Bartoli veſtigiis, vt ait, inſiſtens, adcurate examinat Philippus Decius in conſil. CCLXXXV. cui magis adſentior, quam vel Franciſc. Conano, vel Ant. Contio

nimis delicati faſtidii interpretibus. Quaſi vero Bartol.non vidiſſet eam, quam ipſi allegant, l.ſed ſi maritus.§.vlt.D.qui & à quib.man.in qua probationes dilucidæ requiri videntur. Sed neque Bart. dicit quæ ipſe adfert,dilucidas probationes eſſe,imo nec probationes, ſed præſumptiones. aperte etiam ait, non eſſe eas ſufficientes, niſi eo ipſo tempore, quo alienatio fiebat, ſuberat cauſſa,idq; probetur,qua motus ad delinquendũ fuerit: ſuperuenientem cauſſam non ſufficere ad reuocandum,non ſolum alias alienationes, ſed nec ad donationes, quæ maxime ſunt voluntariæ alienationes.l.perfectá. C.de donat. quæ ſub mod. l.donari.D.de donat. Eadem quæſtio incurrit in eo,qui ſibi ipſi mortem conſciuit, vtrum conſcientia ſceleris,& metu pœnæ;quo caſu damnatur, an alia cauſſa id fecerit.l.cum hic ſtatus. § ſi maritus.D.de donat.inter vir.& vxor. l. ſi filio. §. irritum.D.de in.rupt.irr.& ſol. D.de his qui ſi. mor. conſci . Imo ego plus dico, non ſufficere metum pœnæ ad damnationem, ſi pœnam non ex conſcientia metuit,ſed quia ſciuit, quod etiam innocens damnaretur. Cuius rei inſigne documentũ præbet Cæcilius ille Cornutus vir prætorius apud Tacitum lib.IIII.Annal. & alii multi; poſtquam ita olim receptũ fuit,vt, ſi quis ſe vita exuiſſet,ante iudicium perfectum,id eſt,ſententiã latã, bona eius liberis atq; hæredibus conſeruarentur, quamuis in ipſo inſtantis ſententiæ tempore id feciſſet,vt docet exemplum C.Licinnii Macri apud Val.Max.lib.IX.c.XII.Quod & in hoc ipſo crimine læſæ maieſtatis nominatim diſcas ex eodem libro IV.Annal.Taciti:in quo ſcriptum eſt,Actum

de

de præmiis adcuſatorum abolendis, ſi quis maieſtatis poſtulatus ante perfectum iudicium ſe ipſe vita priuauiſſet. Nam quod ſtatim additur, huic ſententię Cæſarem reſtitiſſe, id non ad bonorum eius qui ſe occidiſſet, publicationem refero, ſed ad adcuſatorum pręmia, de quibus tum agebatur. Puto nec vllam cadaueri ignominiam iniunctam iis temporibus, ſi ſe ante ſententiā occidiſſet, quæ olim ex conſtituto Tarquinii fuit, vt cruci adfigeretur, teſte Plinio, & Caſſio Hemina apud Seruium lib. XII. Æn. vbi de regina Amata, quæ ſe laqueo ſuſpendit, ſicut & Serena Stiliconis, qui ex tutore & ſocero parricida horum Princ. extitit. Sed ad rem: niſi probari aliquibus coniecturis euidentioribus poſſit cogitatione futuri criminis & ſupplicii, alienationem factam eſſe, in dubio ſtabitur alienationi tanquam bona fide factæ; quæ fere in iure præſumitur. Secundum tempus eſt, Poſt crimen capitale admiſſum. In quo itidem diſtinguendum videtur inter neceſſarias & volūtarias alienationes. Nam neceſſariæ & hic valēt regulariter, nec diſtinguo cū Adcurſio & aliis, an lis & adcuſatio inſtituta fuerit, an non. nam & in reatu ſua bona adminiſtrare poteſt, eiq; ſolui à debitoribus. l. aufertur. §. in reatu. de iu fiſc. & d. l. reo, de ſolut. & illa diſtinctio litis cōteſtatæ adhiberi ſolet à veteribus, quādo agitur de perpetuanda actione, vel pœna ademptionis bonorum aduerſus hęredes, ſi reus ante damnationem ſit mortuus. l. ex iudiciorū. D. de adcuſat. cum ſimil. non autem in ea quæſtione, an recte reus alienet. Non etiam diſtinguo, vtrum reus admiſſo crimine fugerit, an defendat cauſſam. hæc enim

diſtinctio nulla ratione,aut lege nititur. Et alia ratio eſt ſerui fugitiui,cui debitor non recte ſoluit ſciens fugitiuum eſſe, vt nec procuratori, cuius mādatum eſſe reuocatum nouit l. qui in prouincia. D. de reb. cred. l. ſi quis à ſeruo. & l. ſeq. D. de ſolut. alia domini: cum tali ſeruo vel procuratori ipſo iure ſit adempta adminiſtratio:non item domino, quare ſoluere ipſe poteſt, & alius ei ſoluere. d. §. ex reatu. d. l. reo. & l. ſeq. Et ratio illa Papiniani optima: ſi reo poſtulato non recte ſolui dicatur, futurum vt plerique innocentium neceſſario ſumptu egeant. generalior tamen illa cōmunis, & certior,quia non eſt ei adempta rerum ſuarum adminiſtratio, ſi tamen fraus interuenerit,dicem⁹ & hic reuocari alienationes factas poſſe, præſertim ſi rei debitor vel creditor participauerit. Quod ſi aliqua ſunt crimina,in quibus ipſo iure, & ab illo ipſo tempore, quo crimen admiſſum eſt, rerū ſuarum adminiſtratio adempta eſt, vtpote rerum non vltra ſuarum,ſed fiſco addictarum ipſo iure,& publicatarum: vt certe ſunt crimina læſæ maieſtatis d.l. ex iudiciorum.l.pen. C. h.tit.item inceſtarum nuptiarū. Auth.inceſt. C. de inc.nupt.item hæreſeos. 1. c. cum ſecundum. ex.de hæred.lib.v1. & ſimilia.in his recte dicetur nec ſoluere eum poſſe,nec ei ſolui,nec manumiſſiones,aliaſq; alienationes valere d.legibus. & l. quæſitum.D.qui & à quib. In cæteris autem criminibus,in quibus nō fit ipſo iure bonorum publicatio,ſed damnatione demum ſecuta, ita valent alienationes, ſolutioneſq; ei vel ab eo factæ, ſi bona fides interuenerit d. l.reo. & l.Calippo. l. quamuis.§.1. D.eod. de ſolut. d. l. aufertur. §. in reatu.

reatu.de iur.fiſc.Nec obſtat l.deferre.§.vlt. D. de iur.fiſc. vbi illa diſtinctio bonæ & malæ fidei,id eſt,inter ſcientem & ignorantem creditorem repudiatur: nam etiam ei qui ignorauit, nec ſolum cum à reo acciperet, ſed etiam cum conſumeret, pecuniam omnimodo auferendam, Marcianus dicit. Quamuis reuocatis pecuniis reſtituenda actio ſit creditori tam in fideiuſſores,quam in reum. d.§.vlt. & 11. ll.ſeqq. Non obſtat, inquam: quia loquitur de eo, qui fiſco debebat ex contractu puta aliquo. vt l.reſcriptum. D.de pact. l. 11. C.in quib.cauſ.pign.rit.contr. Nos hic agimus de eo,cuius bona ob delectum fiſcus vindicat. In quo minus fiſco fauendum eſt, vtpote in re odioſa,quam vbi contractum cum eo eſt. Non obſtat etiam, quod Plinius Cæcilius in crimine repetundarum ſcribit indiſtincte, nulla, inquam, habita ratione malæ vel bonæ fidei,dānato Claſſico pecunias, quas creditorib. ſoluerat, à ſenatu reuocatas fuiſſe lib.v11. epiſt.v11.Nā in crimine repetundarū id ſingulare eſt, ſicut in iis,quib. adminiſtrationē ipſo iure adimi dixim⁹.l.ex iudiciorum.D.de accuſat. Intelligo autē, pecunias, quas Claſſicus poſt adminiſtrationem initam prouincię ſolueret,non etiam eas,quas ante prouinciam, quamuis id videantur Plinii verba velle. Sed vbi prouincię mentionem facit,ibi loquitur de bonis Claſſici, ea quæ ante prouinciam habuit, ab aliis quæ poſt prouinciam ſeparari iuſſit ſenatus,& illa filiis,hęc ſpoliatis relinqui.at cum de ſolutionibus ab eo factis adiicit,hanc diſtinctionem non repetit, quia ſatis intelligitur non poſſe ſolutiones ante factas,pecuniaſque reuocari. Et ſane cui bono

reuocentur? cum & ipſe fiſcus teneatur creditoribus eius, cuius bona publicata ſunt, ſatisfacere. l. ſi debitori. D. de fideiuſſ. ſicut fideicommiſſarius hæres, in quem actiones tranſeunt, vt in fiſcũ. l. ita tamen. §. ex aſſe. D. ad SC. Trebell. Atque hæc ita in alienationibus poſt crimen reatumque factis ſeſe habent. Si neceſſariæ fuerint & bona fide factæ, vt valeant excepto crimine perduellionis, & ſimilib. Quid igitur, ſi voluntariæ fuerint? hic ego idem dixerim. neque enim reperio diſtingui in iure noſtro: niſi quod inter voluntarias diſtinguendum putem, vtrum ex cauſſa oneroſa, an ex lucratiua factæ ſint. Oneroſas appello venditiones, item ſolutiones: has dico, ſi bona fide factæ ſint, reſcindi non debere; ſi mala, debere. neque enim in fraudem fiſci ſic alienare licet, vt in fraudem priuati ſucceſſoris atque hæredis. l. non vſque. D. ſi quis à pa. fuer. man. Nam fiſcus eſt etiam creditor ob delictum, quo nõ minus obligamur, quam ex contractu. Lucratiuas autem, donationes. qui enim donatum accipit, nihil contra dat, vt qui emit. Quare donationes reuocari, ſiue bona ſiue mala fide factę ſint, omnino exiſtimandum eſt. l. poſt contractum. D. de donat. & ſupra in hoc capite ad verbum Donationes, docui. Nec moueor. l. ſi aliquis. D. de mort. ca. donat. Nam ea lex intelligenda eſt de donationibus ante crimen vel reatum factis. nõ etiam moueor l. ſi quis poſthac. C. de bon. proſcript. quæ diſerte loquitur de factis ab innoxio adhuc marito. Deinde ea lex loquitur de donationib. factis à marito vxori, quæ diſtinguuntur in hac tota quæſtione ab donationibus inter alios factis vt ſupra eodem loco expoſui,

ſui, quod de donationibus non idem & de manumiſſionibus dico, reuocari eas factas poſt crimen & reatum. nam licet manumiſſio ſit etiam quædam velut donatio & cum ea coniungatur in iure noſtro, & alibi, vt Suetonii Tiberio: nam neque donauit, neque manumiſit. cap. xv. tamen libertatis ea eſt conditio, & is fauor, vt bona fide data non debeat reuocari. & ita clare probatur ex l. qui pœna. §. 1. & ſeqq. 2. D. de manumiſſ. quæ lex in omnibus caſibus loquitur de mala fide, & fraudulenter facta manumiſſione, id eſt ab eo, qui iam erat dãnatus, vel qui proſpiciebat ſe damnatũ iri, vel qui ſubtrahere crimini & quæſtioni ſeruos volebat, vt fecit Milo occiſo Clodio. atque ita igitur intelligendum eſt, quod in principio eius legis dicitur, reos criminum capitalium non poſſe manumittere, in fraudem ſcilicet, & mala fide, vt in §§. ſeqq. vt mirer Adcurſii ibi gloſſam abſurdiſſimã, quæ libertati ſoli id adimit, quod aliarum rerum donationi concedit. Tertiũ tempus eſt, poſt Sententiam. de quo dicendum eſt, nullas alienationes valere. Sed ita ſi ſententia ipſa valeat, nec appellatione ſuſpenſa ſit. Quod ſi factum ſit, tunc eadem hic dicemus, quæ diximus de alienationibus ante ſententiam factis. nam appellatio extinguit pronunciatum l. 1. in fin. D. ad SC. Turpill. vel ſuſpendit, vt alibi dicitur. Valebunt igitur alienationes omnes, ſi reſciſſa fuerit appellatione ſententia non ſecus, ac valerent ſi reus priori ſententia abſolutus fuiſſet. l. poſt contractum. D. de donat. idq; in omnibus alienationibus, omnibusque criminibus verum atq; indubitatum eſt. nam & in crimine hoc perduellionis nõ aliter bona iri

effectu publicantur, quam ſi damnatio ſit ſecuta vel viuo, vel mortuo reo: quamuis damnatione ſecuta perinde habētur, id eſt, omnia irrita fiant, ac ſi ab initio bona publicata eſſent, dominiumq; vel adminiſtrationem rerum amiſiſſet, vt ſæpe dictum. In aliis autem criminibus ſeruādæ ſunt ſupra ſcriptæ diſtinctiones, vt vel reuocentur vel nō reuocentur alienationes factæ ante ſententiam condemnatoriam appellatione nulla ſuſpenſam, aut mox confirmatam. appellatio enim interpoſita rem reducit ad eum ſtatum, in quo erat ante ſententiam: adeo vt teſtamētum facere illo tempore reus poſſit.l.ſi filio.§ irritum. D. de in.rupt. irr. Atque hæc ita videntur, ſi medium duntaxat illud tempus inter ſententiam priorem, & poſteriorem ambiguū conſideres. Cæterum ſi ſententia prior condemnatoria ſit per poſteriorem confirmata, hic omnium reuocatio alienatorum poſt priorem ſententiam indiſtincte facienda videtur, tum quia fraudis ſuſpicio hic maior ſubeſt, poſt rē iudicatam, quam antea, cum adcuſatio tantum inſtituta eſſet, cauſaque ageretur: tum quia regula iuris eſt, appellatione pendente nihil innouandū. Multum autem innouat is, qui bona ſua alienat, qui donat, qui manumittit, qui creditores exigit. Atque ita alienatio fundi à reo cōdemnato pendente appellatione facta reſcinditur, appellatione iniuſta pronunciata, quamuis emptor ſit pupillus: aufertur enim ei à fiſco fund⁹, ſeruata tantum actione aduerſus tutores. l.chirographis. D. de admin.tut. vtique, ſi ſcientes venditorem in eo ſtatu eſſe, ab eo emerint. contra ſi ignorauerunt; tunc pupillo res tota periit d. l. quemadmodum: nec

hec actio ei daretur aduerſus tutores,ſi pecuniam crediдiſſent alicui,cùm adhuc bonum nomen eſſet, vt in caſu l. Titium.§.Lucius. D.eod.tit.

Ait Lex, Quas ex eo tempore, qualibet fraude vel iure factas eſſe conſtiterit, quo primum memorati de ineunda factione ac ſocietate cogitauerint.

IN omnibus criminibus,in quibus ipſo iure nõ interdicitur reo adminiſtratione rerum ſuarũ, vt regulare eſt.l.aufertur.§.in reatu. D. de in fiſ. multum intereſt,vtrum bona fide,an mala fide,& fraude alienationes factæ ſint poſt crimẽ contractum, vt copioſe ſupra docuimus. In hoc autem perduellionis & maieſtatis læſæ crimine, nihil intereſt,fraude factæ ſint, an iure, vt hîc dicitur, id eſt,an bona fide, vel ex contractu aliquo iuſto.& merito,quia ſtatim ac crimen hoc contraxit(contraxit autem cum primum de factione ineunda conſilium cepit) omniũ rerum non ſolum adminiſtratione ſed & dominio priuatus eſſe intelligitur.h.l.& l.ex iudiciorum. D. de accuſat.& l.vlt. C.h.tit.& ita Cynus rectiſſime, quem pleriq; omnes,teſte Claro, ſequuntur. Perperam Bartol. contrarium exiſtimauit, id eſt ante damnationẽ retinere eum dominium,licet adminiſtrationem amiſerit: motus maxime Paulli ſentẽtia in l. quæſitũ.D.qui & à quib.manum. Verba ſunt: Quæſitum eſt, an is qui maieſtatis crimine reus factus ſit, manumittere poſſit: quoniam ante damnationem dominus eſt. Et Imperator Antonin⁹ Calphurnio Critoni reſcripſit, ex eo tempore, quo

quis propter facinorum ſuorum cogitationē, de pœna ſua certus eſſe poterat, multo prius conſcientia delictorũ, quam damnatione ius datæ (vel dandæ) libertatis eum amiſiſſe. Hæc Paulus. quibus verbis quis non videt apertiſſime ſententiam Bartoli refelli? Nam quod initio dixerat Paulus, Quoniam ante damnationem dominus eſt, id ad rationem dubitandi pertinet, quam mox refellit Antonini reſcripto tanquam falſam. Illud ridiculum eſt, quod Tib. Decianus magis cogitatione, quam damnatione dominiũ amitti ſcribit, in eoq; valde ſe iactat: quaſi vero in eo reſcripto, Multo plus, non, Multo prius, ſcriptum eſſet. Hoc enim Imperator clare dicit, multo prius, quam damnatio ſecuta ſit, amiſiſſe ius dandæ libertatis, & cuiuſuis alienationis faciendæ, id eſt, ſtatim à conſcientia delicti: quod hęc lex noſtra dicit, quo primum tempore de ineunda factione ac ſocietate cogitare cœpit. d. l. ex iudiciorum. D. de adcuſat. ex quo quis aliquod ex his cauſſis crimen contraxit d. l. vlt. C. h. t. ex quo ſceleratiſſimum quis cōſilium cepit, exinde quodammodo ſua mente punitum, an pœnas conſcientiæ malæ intelligit? vt Ant. Contius interpretatur, multaq; ex poetis, & ex aliis de ea re teſtimonia colligit, inanis in cæteris atq; ieiunus, quæ explicatione indigebant. Minime. Sed quod clarius alibi Imperatores dicunt, Ipſe te huic pœnæ ſubdidiſti. l. Impp. D. de iur. fiſ. Nam qui delinquit, ſciens ei delicto pœnam conſtitutam eſſe, quodammodo ſua mente punitur, id eſt, in eam pœnam conſentit. Qua ratione videtur Ariſtot. lib. v. Ethic. delicta retuliſſe ad genus συναλλαγμάτων. non, vt inepte nimis Montecatinus,

tinus, vir alioquin eruditiſſimus in lib. 1. Polit. explicat, quia in leges quæ delicto pœnam ſtatuunt, delinquens conſenſerit, tanquam pars ciuitatis. quaſi ciues tantum puniātur legibus, aut ſciſcendis legibus omnes adfuerint, qui peccant. Quoniam autem ille conſenſus in pœnam non eſt abſolutus, ſed quia delictum mauult, quam non puniri: idcirco Marcianus, illam moderationem adiecit, Quodammodo. Eoq; pertinet illud cuiuſdam Græci dictum, Reo enim, cum ad ſuppliciū duceretur, clamanti ſe nolentem peccauiſſe, Ergo & nolens, inquit, pœnas dato: vt eſt apud Plutarchum in lib. de Apophteg. Græcorum.

CAPVT VIII.

Vxores ſane prædictorum, recuperata dote, ſi in ea conditione fuerint, vt quæ à viris titulo donationis acceperunt, filiis debeant reſeruare: tempore, quo vſusfructus abſumitur, omnia ea fiſco noſtro ſe relicturas eſſe cognoſcant, quæ iuxta legem filiis debebantur. Falcidia ex his etiam rebus filiabus tantum, non etiam filiis deputata.

VXORES perduellium nullas pœnas patiuntur, neque corporis, neque bonorum, neque famæ. Etiam quæ ipſarum ſunt, recuperant omnia ac vindicant velut iniecta manu, vt ait l. ſi quis poſthac. C. de bon. proſcript. in quibus etiam dos eſt. nam & conſtante matrimonio mulieris eſt veritate ipſa & natura inſpecta, non fictione iuris ciuilis, per

quam marit⁹ dominus videtur. l. in rebus. C. de iur. dot. l. adſiduis. C. qui pot. in pign. Similiter & res, quas maritis donauerũt, ſine dubio recipiunt: cum donatio iure interdicta ſit, nec confirmari ex oratione Antonini potuerit, vt cum mulier donatrix mariti ſupplicio ſuperſtes ſit, ſed etiam ſi ſupplicio maritus non ſit adfectus, ſed alia pœna, veluti deportationis, atq; exilii, tamen donatio reuocata ea pœna intelligitur, & ad mulierem redit. Neque huc pertinet l. res vxoris. C. de don. int. vir. & vxor. ea enim lex nõ de pœna donatarii, ſed donatoris mariti cauet, ne valeat donatio, ſi maritus poſtea ſupplicio adfectus ſit d. l. ſi res. vt ſupra docui. Poſtremo & donationem antenuptialem accipit à marito ſibi factam. Nouell. vt nulli iudic. 134. §. vlt. idque etiam ex perduellionis crimine damnato marito. h. §. noſtro. Illa differẽtia eſt, quod in aliis criminibus fiſco locus non eſt, ſi filii vel cognati ad tertium vſq; gradum exiſtant. d. § vlt. vnde eſt Auth. bona. C. de bon. proſcript. idque in bonis defuncti: nam in donatione antenuptiali omnibus etiã liberis præfertur: niſi quod tranſiens ad ſecundas nuptias proprietatem iis ſeruare eius donationis tenetur l. feminæ. C. de ſec. nupt. In crimine autem hoc læſæ maieſtatis interdum eſt locus fiſco: tum videlicet, cum filii perduellis ſuperſunt. nam mater ſi ad ſecundas nuptias non tranſit, retinet pleno iure iſtam donationem: ſi tranſit, vſumfructum tantum, proprietate liberis ſeruata, vt dixi. Sed quia in hoc crimine filii perduelliũ omnibus parentum bonis ſpoliantur, omniq; iure ſuccedendi, ideo mortua matre, atque ita vſufructu finito,

non

non filiis, ſed fiſco ex res debētur h. §. noſtro. Ergo ſi filii nulli extent, ipſa mater firmiter retinet aut vindicat ſibi haſce donationes. Sed q̄d ſi dos data à muliere nulla erat? Et ſiquidē nec data vlla dos eſt, nec cauta: dubium non eſt, quin repetere nihil poſſit. Sed an non ei quarta bonorū mariti debetur? quod quidē in aliis criminibus certum eſt deberi, ſiue filios habeat, ſiue non d. Nouell. 134. §. vlt. & Nouell. vt lic. au. & mat. 117. §. quia vero. 5. vnde ſumpta eſt Auth. Præterea. C. vnde vir & vx. Sed excipitur in §. vlt. crimen læſæ maieſt. in quo veteres leges ſeruari iubet. quod intelligendum eſt non ſolum in eo, quod de bonis mariti publicādis cautum eſt, & de quo illa Nouella primario agit in d. §. vlt. ſed etiam in eo, quod de vxore cōſtitutum eſt, quod quidem in donatione antenuptiali expeditum eſt ex h. §. h. l. quiſquis. Sed de quarta illa nullibi reperio cautum, an & quatenus vxori debeatur marito damnato, præſertim perduellionis. Sed verius & benignius puto vxori tali, quæ nullam dotem habet, hanc quartam etiam hic omnino deberi: niſi quod eādem diſtinctionem forte recipiendam putes, quā in donatione antenuptiali docuimus, vt ſiquidem filios habeat, & plures tribus, proprietatem quam iis ſeruare debebat eius quartæ ex d. Nouella. 111. §. quia vero, damnato maieſtatis marito, ſeruet fiſco poſt mortem ſuam arg. h. §. noſtri. atque hoc ita eſt, ſi mulier dotem nullam dederit ob paupertatem, quo ſolo caſu d. Authēticæ locum eſſe, verum eſt. Quod ſi dotem non dedit, vel dediſſe negatur, hic ſciendum eſt eam non poſſe vllam dotem ſibi vindicare vel repete-

re, niſi probet ſe dotem corporaliter marito tradidiſſe; nec ſufficit inani dotalium inſtrumentorum tenore conſcriptam eſſe l. ſi quis poſthac. C. de bon. proſcript. idq; in marito proſcripto cautum illic eſt: multo magis igitur locum habebit in perduellionis dãnato. Inani, inquit, lex. quod intelligendum eſt, ſi oppoſita ſit dotis non numeratæ exceptio quo tempore debuit. Auth. quod locum. C. de dot. caut. non num. Probatione autem impleta, vel ſi alias conſtet dotem corporaliter traditã eſſe, ſtatim dos reſtitui mulieri debet, &, vt loquitur d. l. ſi quis poſthac. in pr. repræſentari. licet mobiles res in dote ſint, quas intra annum ſolui alias oportuiſſet l. 1. §. exactio. C. de re. vxor. act.

Ait Lex, Falcidia ex his etiam rebus filiabus tantum, non etiam filiis deputata.

VNam Falcidiam filiabus concedi in ſucceſſione materna ſupra vidimus in §. ad filias. hic altera eis tribuitur in lucro nuptiali ſiue donatione ante nuptias. Vtraque igitur filiabus debetur, neq; tamen ſunt duæ quartæ eiuſdem hæreditatis vel eorundem bonorum. nam illa quarta de qua §. ad filias agit, eſt de bonis matris deciſa; hæc de bonis potius patris, vel matris quidem, ſed quorum proprietas ſeruari filiis debebat, vt ſupra dictum. Patris ergo, non re, ſed origine. Ex his omnibus perſpicuum eſt, ſatis clemẽter hanc legem cum vxoribus perduellium egiſſe, etiam in lucro, & in bonis, quæ ad eas à perduelle peruenerunt,

ſerunt, adhuc tamen innoxio, vt loquitur d. l. res vxori. atque ita penitus hic quoque ſeruatur regula Tit. Ne vx. pro mar. Quod ſine dubio ſic accipiendum eſt, niſi & ipſa ſocia coniurationis fuerit, aut conſcia. item, niſi auxilium marito præſtiterit ſciens. quo caſu etiam teneri eam læſæ maieſtatis crimine, conſentaneum eſt, probatq; Andreas Iſernia in c. 1. §. ſi quis hominem. de pac. tenen. & in c. 1. §. porro. Quæ ſit prim. cauſ. feud. amitt. quamuis non teneatur, ſi maritum exulem ſequeretur: quod etiã in calamitatibus & aduerſis ſociam eſſe marito vxorem, æquum & laudabile ſit. l. ſi cum dotem. §. maritus. D. Sol. matrim. Multo magis vxori licet vagari quo velit, ſi vir ſupplicio affectus ſit, aut in exiliũ eiectus, quod tamen pro clementia indulſiſſe M. Antoninum ſcribunt vxori Auid. Caſſii, & liberis. quibus etiam bona patris & mariti magna ex parte conceſſit. quod exemplũ videtur optimus Rex Alphonſus Aragonius imitatus in vxore Ant. Candolæ Siculi, liberiſque eius, donatis vxori etiam mariti theſauris, vt ſcribit in eius vita Panormitanus lib. III. De coniuratione M. Lepidi IIIuiri, filii, eiuſque matris in Auguſtum, videndus Appianus libro IV. Ἐμφυλίων.

CAPVT IX.

Id quod de prædictis eorumq; filiis cauimus: etiam de ſatellitibus, conſciis ac miniſtris, filiiſque eorum ſimili ſeueritate cenſemus.

Google

De ſociis coniurationis nihil exprimunt: quia omnes coniurati vno ordine ſint, hinc ſocietas pro coniuratione. Tacit. lib. VI. Annal. Tiberius ſuppliciis incitatus, cunctis qui carcere attinebantur, accuſati ſocietatis cum Seiano, necari iubet. quamuis vnus aliquis coniurationis autor, & princeps emineat, vt Seianus, Catilina, Piſo. à quibus & coniurationes illæ nominitari ſolent: interdum etiam à ſocio aliquo & inferiori, ſi de eo ſolo agatur: vt cum Suetonius in Cæſare ait, Meminerunt huius coniurationis Tanuſius Gemianus in hiſtoria, M. Bibulus in Edictis, C. Curio pater in Orationib. nam eius coniurationis M. Craſſus conſularis princeps erat, eique ſummum imperium parabatur, id eſt, Dictatura. Sed Suetonius de Cæſare agens teſtes citat eos, qui Cæſari eam coniurationem obiecerant inimiciſſimi. vt doctiſſ. interpres notat: quos totius coniurationis teſtes, vtpote notiſſimę, inepte ac putide citauiſſet. Quo morbo laborare multos hodie in diſciplina noſtra videmus, qui earũ ſententiarum, quas Bartolus vel alius aliquis Adcurſianus conſtabiliuit, ipſi vt aliquid ſcire videatur, vel delicato quodam faſtidio vel inſcitiâ authores laudant ignobiles etiam ſępe, & recentiſſimos ſcriptores; & quidẽ, quod rideas, cum elogio Magnus ille, vel Princeps Iuriſconſultorũ noſtri ſæculi, imo etiam, facile Princeps. Sed ad rem: Interdum mitius actum cum authoribus, quã cum ſociis, præſertim ſi authores ab aliis inducti & deprauati fuerint; vel aliam ob cauſſam. Sicut Artabaſdus Curopalates vna cum vxore & liberis excæca-

excæcatus ob inſidias Conſtantino Copronymo ſtructas: alii miniſtri & conſcii vltimo ſupplicio ſunt adfecti: inprimiſque homo illuſtris Baſtangius Patricius, cuius etiam vxor punita, iuſſaq; eſt viri oſſa è terra eruere, & in pelagium proiicere, quo hoſtes & damnati ſolebant, εἰς τὸ πελάγιον, ἔνθα ἐῤῥίπτοντο οἱ πολέμιοι καὶ κατάκριτοι: ait Zonaras lib. III. Annal. qualis eſt hodie Conſtantinopoli locus, quem Vncos ſcalæ Sycenę, ſiue Galatenſis nominari ſcribit Ioh. Leunclauius, in ſupplemẽto Annalium Turcicorum. Romæ olim erant Gradus, ſeu ſcalæ Gemoniæ, in quas etiam Imperatores quidam tracti. Hunc locum Conſtantinopolitanę vrbis puto intelligere Chryſoſtomum in epiſt. in Eutropium, vbi vias ad ſupplicium ducẽtes nominat, ad terrorem & calamitatem augendam.

Ait Lex, De Satellitibus.

NE referas tantum ad magiſtratuum & ſimilium ſtipatorum, & ſtatores, vel adſeclas: ſed etiam ad priuatorum, & potentium inprimis hominum. Cicero: Quis eſt ille Lollius? armiger Catilinæ, ſtipator tui corporis, concitator tabernariorum, percuſſor, licitator fori, depopulator curiæ. Socrates lib. I, Hiſtor. Eccleſ. c. XIII. Satellitum vocabulo ait Imperatorem vocare domeſticos miniſtros. Similes his ſunt Armigeri, nõ ſiidẽ præſertim apud Reges. Curtius lib. VI. Huic decem Satellites traduntur: quorum ſingulos deni armigeri ſequebantur. Ii ad alios coniuratos comprehendendos diſtributi ſunt. Quod ne ita capias, quaſi armigeri dignitate aut loco infra Satellites: erant enim nobiliſſimi, vt Perdiccas &

Leonatus apud Alexandrum,& ille Amyntas,cui de coniuratione pro ſe dicturo,petentique vt habitus quoque demtis vinculis ſibi redderetur, armigeri lanceā dari iuſſit Rex.vt idem ait lib.v i i. Proxime regem ſequebantur, vel alium ducem, foribuſq; adſiſtebant, quales habuit amiciſſimos Parmenio,cum fraude occideretur.item Terichtomis Perſa, regis Ochi gener, & perduellis, quē cum ob eam cauſſam Vdiaſtes interfeciſſet, illius armiger patri Vdiaſti diras imprecatus, vrbē Zarim occupauit, eamq; filio Terichtomis conſeruauit.vt tradit Cteſias lib.x v i i i. Perſicorum apud Photium,ex quo charitas armigerorum cognoſcitur. Sed vt eo reuertar; Satellites noxios prehendebant,armigeri ſatellitibus velut munimento erant. neq; prehenſio ſemper inhonorifica, in magnis præſertim reis. Sic Tribuno plebis olim additus Ædilis ad Publ.Scipionem in Sicilia prehendendum. Virgilius:

Armiger ante fuit, fidusq; ad limina cuſtos.

Apud Guntherum lib.v i. Armiger miniſter militaris eſt; quare propter furtum, in caſtris factū, iubet Fridericus Imp.ei frontem candenti metallo vri,tonderi, verberari, Ni domini ſpoliis redimatur,& omnibus armis. De armigeris Gallorū veterum apud Athenæum memini legere. Sed hæc forte notiora, quam vt à nobis tradi debeāt. Legem non omitto ab his iiſdem Imperatoribus latam de ſatellitibus Gildonis ſolis, quos cuſtodiis mancipari & proſcriptione damnari præcipiunt.l.ſatellites. C.Th.de calumn. item de ſatellitibus Stiliconis.l.qui ſuas. eod. tit. vbi prædo publicus,vt & ſupra alia lege nominatur.

Ait

Ait Lex, Conſcius.

DVOBVS modis hoc vocabulum accipi poteſt. Nam & is qui tantum ſcit coniurationem, ipſe eius immunis, conſcius dicitur, & is qui eius particeps eſt: vt adpoſite hic notat Salycetus, citans illum Catonis verſiculū; *Conſcius ipſe ſibi.* & reliqua. Q. Curtius libro VIII. Conſciorum nomina exponit, id eſt, coniuratorum, quos participes facinoris ibidem vocat, & authores ſceleſti conſilii. hunc igitur ſemper puniri, vtpote criminoſum: illum non ſemper, in hoc tamen crimine ſemper, niſi coniurationem detegat, & quidem opportune certum eſt. Nam Philotæ Parmenionis filio id imputatum, triduo celaſſe, exitioq; vtrique fuit; tanquam participes vel principes cōiurationis fuiſſent. Conſcientia hic punitur, non amicitia. Elegāter ille idem Amyntas, de quo ſupra memoraui: omnes Philotæ amici eſſe voluerunt: ſed totidem, quot volebant, eſſe non poterant. Dixi, ſemper in hoc crimine puniri conſcios, quamuis immunes ſceleris. neque enim probare illorum temperamētum poſſum, qui ita demum teneri eos volunt, ſi coniurationem probare potuerint, & ſiluerint: alioquin ignoſcendam eſſe ei, qui cum non poſſit probare, tormenta reformidat, & talionis pœnam. l. ſi quis alicui. C. ad L. Iul. maieſt. l. vlt. C. de adcuſat. hæc enim adcuſatori imminent; non ſimplici nominatori atque indici. Imo in hoc crimine adcuſatores nō timent Turpillianum, & periculum calumniæ, vt recte docet Cynus in l. 1. C. de fal. mon. per illum textum. Nec Philotæ illa excuſatio proba, quod ir-

rideri timebat, ſi iurgium inter amatorem, & exoletum detuliſſet. Nam & infames, & omnes alii, qui adcuſari prohibentur, in hoc crimine tamen non prohibentur l. famoſi. l. in quæſtionibus. D. ad L. Iul. maieſt. & Fuluia Catilinariam coniurationem detexit. & quædam meretrix coniurationem Bacchanalium apud Liuium: Multo magis igitur ꝙ ab honeſta muliere quis cognouit, deferre & iudicare tenetur, puta ab vxore. de qua etiam diſerte cautum eſt à Iuſtiniano in Nouella Vt lic. auiæ vel matr. §. quia vero plurimas. vbi agit de cauſſis, quibus diuortium permittitur viro, & lucrum dotis. Verba ſunt: Si contra imperium cogitantibus aliquibus conſcia eſt mulier, aut etiam viro ſuo non indicet. Si autem vir hoc à muliere denunciatũ tacuerit, licet mulieri per quamcumque perſonam hoc declarare imperio: vt vir nullam ex hac cauſſa repudii inueniat occaſionẽ. Et vice verſa in §. ſeq. ob eandem cauſſam repudium vxori permittit, & donationis antenuptialis lucrum, ſi vir contra imperium, aut ipſe cogitauerit aliquid, aut cogitantibus conſcius non indicauerit imperio aut per ſe aut per quamcunq; perſonam. Scio, huiuſmodi cauſſam diuortii nõ omnibus probari, vt nec alias quaſdam iuris ciuilis: Sed hic aliud agimus. Quæ autem pœna ſit ſcientis & reticentis coniurationẽ, ab interpretibus noſtris quæri video. Et recte conſentienterque huic legi eo frequentius itum eſt, vt capitali pœna puniatur, atque hanc magis receptam eſſe Doctorum ſententiã teſtantur non noſtri ſolum, ſed & Frãciſcus Guicciardinus libro III. Hiſtoriar. idemque libro XII. ſcribit legibus id ita cautum eſſe

in

in omni crimine læſæ maieſtatis, præcipue vero eo, & multo magis vbi inſidiæ ſtruātur vitæ Principis. Non debui hunc tantum authorem ſegregare à numero noſtro, cum iuris ciuilis non conſultus modo, & doctor, ſed profeſſor in patria ſua fuerit admodum adoleſcens, cum & ante annum triceſimum ætatis, maximis de rebus ad Regem Neapolitanum legationem obiuerit.

Ait Lex, Miniſtris.

HOc vero vocabulum generale eſt, & ſuperiores etiam complectitur, alioſque omnes, qui aliquid opis aut miniſterii coniuratis prebuerint, inprimis autem & ſignate clientes eorum, quorum olim maxima copia apud potentiores, vt hodie Vaſallorum, quibus illi ſimillimi ſunt, vnde & eorum nomen his in iure feudario tribui ſolet, ſicut & Minaſterialium. Pulchre ad hanc rem noſtram Claudianus libro 11. in Ruffinum:

——ſceptrumq; capeſſere feruet,
Et coniuratos hortatur voce clientes.

Miniſtri ergo, & adiutores quicunq; coniuratorum, eodem loco, quo coniurati, habentur, iiſdēque pœnis & ipſi & filii eorum ſubiiciūtur, vtpote & ipſi læſæ maieſtatis rei. Chryſoſt. in Serm. Quod neq; viui, neque mortui anathemate plectendi ſunt, vbi loquitur de quodam qui temporibus Apoſtolorum martyr fuit: Monſtraturus, inquit, huius verbi, Anathematis, grauitatem, tali vtebatur exemplo: Sicut priuatus homo regiā ſibi purpuram circumponens vna cum omnibus, qui ſe iuuant, punitur vt tyrannus: ita & qui Dominicam ſententiam fert, & hominem facit ana-

thema Eccleſiæ, adducit ſeipſum in extremã perniciem, vſurpando dignitatem filii Dei. Hæc, aliaque grauiſſime Chryſoſtomus in eos omnes, qui anathemate vtuntur, quò omnib. modis quẽ à Chriſto ſeparari ſcribit, eoque nec Apoſtolos ipſos vſos eſſe, quamuis bis anathematis meminerit Paulus. Vtinam tanti viri hac quidem in parte ſapientiam & moderationem imitari voluiſſent recentiores theologi, aduerſus quos extat etiam Medici Thomæ Eraſti grauis diſputatio. Sed hæc mittamus. Maieſtatis eſſe, quemquam vlla re iuuare vel domeſticum hoſtem, vel externum, dubitari non oportet. eoque refero fragmentum Q. Cæpionis in M. Æmylium Scaurum lege Varia reum, apud Soſipatrum. Cum ab iſto viderẽ cotidie hoſtes conſiliis adiuuari. Ecce etiam conſilio iuuare, non ſolum auxilio & miniſterio, crimen eſt imminutæ maieſtatis, de qua lex Varia lata, vt quæreretur de iis, quorum opera conſilioue ſocii contra pop. Rom. bello coniuraſſent. Quod in hoc crimine de ſupraſcriptis omnibus perſonis conſtitutum eſt, idem & in aliis atrocioribus valet. l. raptores. C. de epiſc. & cler. l. 1. C. de rapt. virg.

Ait Lex, Simili ſeueritate.

NON dubium, quin hæc verba eandem ſeueritatem adhibendam ſignificẽt in ſupra ſcriptas perſonas, earumq; filios, quam ante ſanxerũt in coniuratos ipſos, & liberos eorum. Atqui Gildonis Satellites, proſcribi tantum vel cuſtodiis mancipari iuſſerunt, vt ſupra docui. Sed alia ratio eſt: vel quia Gildo etſi rebellauerat, non tamen

in caput Principis conſilium iniuerat cum ſuis ſatellitibus, vel quia infinita illa multitudo erat, quamuis enim multitudo ſociorũ impunitatem non facit criminis, vt Ambroſius ait in epiſtola ad Virginem lapſam: tamen minuere pœnam ſolet, præſertim ſi non ſocii, ſed ſubditi & ſerui peccauerunt authore domino, vel denique quia ſatellites illi ignari Gildonis conſiliorum fuerunt, quibus ille recte primo incedebat, & ſimulate. Vt taceam illis verbis non excludi vltimum ſuppliciũ, vt ideo cuſtodiretur, vel proſcriberentur, vt ſupplicio adfici poſſent, aut à quouis occidi. Neque enim veriſimile eſt ſic Imperatores voluiſſe tantam multitudinem cuſtodiri, vt C. Cæſar Cethegum, & Lentulum, aliosq; Catilinarii ſceleris populares per Italiç municipia diſtribuendos, cuſtodiendoſque cenſuerat, magno omnium adſenſu, donec à Catone refelleretur, diuina illa oratione.

CAPVT X.

Sane ſi quis ex his in exordio factionis, ſtudio veræ laudis adcenſus, initã prodiderit factionem, & præmio, & honore à nobis donabitur. Is vero, qui vſus fuerit factione, ſi vel ſero (incognita tamen adhuc) conſiliorum arcana patefecerit, abſolutione tantum ac venia dignus habebitur.

HOc capite validiſſima ſecuris iniicitur coniurationib. non ſolum præmiis propoſitis ei, qui indicaſſet, ſed mutuo metu inter ipſos excitato, dum alter alterum timet, ne ab eo

prodatur, vel ob impunitatem, vel ob præmium atque laudem. præſertim ſi non duo treſue, ſed plures coniurarint, adeo quidem vt pro miraculo ducat Secretarius Florentinus illam Piſonis, & Pactiorum. Sed de his infra lib. ſecundo adfatim dicetur vel noſtro ore, vel alieno.

Ait Lex, Si quis ex his.

DVÆ ſunt partes huius capitis. Prima pertinet ad conſcios, ſed immunes cõiurationis. Altera ad coniuratos, & qui, vt lex ait, iam factione vſi fuerint. Igitur verba iſta, Si quis ex his, ad vtramque partem referuntur, ſic tamen, vt diſtincte de vtriſque lex ſtatuat, & varie, vt varia etiam eſt eorum conditio atque ratio.

Ait Lex, In exordio factionis.

NOTANDVM, ita indici & nominatori premia atque honores promitti, ſi in ipſo initio coniurationis eam detexerit, quod tamen ita intelligendum eſt, ſi etiam initio ſciuerit. Hic enim ſi poſt interuallum aliquot dierum demum indicauerit, nõ puto ei vllum præmium deberi ac vix veniam. Plus enim peccare mihi videtur, quam qui cõiurauit, & ſero detexit, cum iſte & iuramẽto contineatur, & metu coniuratorum, atq; obſeruatione, & proditoris infamia: quam non euitat apud homines, qui ſocios eiuſdem criminis prodidit, vt infra dicetur. Qui autem ſcit, nec vllo vinculo aut metu adſtrictus eſt, ſane ſceleratiſſimus eſt, niſi indicet, quamprimũ ſciuerit ac potuerit. Dici enim ei poteſt, cur tam diu tantam

rem

rem ſiluerit, vt in l. ſi quis forte. D. de pœn. ſcriptũ eſt de eo, qui ad ſupplicium ductus clamat, ſe habere aliquid quod ad ſalutem Principis pertineat: non audiendum, ſed magis puniendum Vlpianus dicit. De Philota ſupra annotaui. Ei certe maxime exitio fuit, quod ipſe inter Principes familiarium Alexandro non indicauiſſet ea, quæ quiuis etiam ex plebe homo non reticuiſſet. Atque ita Narciſſus ille Claudii libertus (licet alia cauſſa ſuberat) veniam in prçteritum petit, quod ei cis Plautium, cis Vectium diſſimulauiſſet, vt ſcribit Tacitus li. x i. Biduum videtur cõſtitutum lege Macedonica ad inſidias ſine periculo detegendas, vt ex oratione Regis apparet libro v i. Curtii. Sed & recipi iuſtas excuſationes interdũ non detecti ſceleris putem oportere, niſi quid contra maius obſtet & ſuadeat, vt in illo Mneſtere apud eundem Tacitũ libro x i. Annalium extremo; vbi & de Vectio Valente indicium offerente, & confeſſo, & nihilominus punito. Quod ſi quis de cõiuratione poſt multum tempus, quam inita eſt, cognouerit, huic ſi ſtatim ac cognouit, eam indicet, non minus deberi præmia & honores hic promiſſos aio, quam qui in exordio ſibi cognitam detulerit. Nam & ille, quantũ in ipſo fuit, in exordio detulit: niſi forte coniurationem iam tẽpore aut alia ratione delapſam atque ſepultam reuelauerit, ex qua nullũ periculum metui amplius potuerit. tametſi, quod ad reos attinet, nullo tempore putent huic crimini, ne viginti quidem annorum, præſcribi. argumento ſuppoſiti partus, & parricidii. l. qui falſam. §. 1. D. ad L. Cornel. de falſ. l. fin. D. ad L. Pomp. de parricid. de quo tamen dubito, cum nulla lege

cautum ſit; & in contrarium ſtet regula l. querela.D. ad L. Cornel. de falſ. & Cuiacio adſentior, qui lib.obſ.14. articulum illum, Fere, in d.l. querela, refert ad ea crimina quæ minori ſpatio non tollantur. & cũ hac præſcriptione intelligit quod de ſuppoſito partu, parricidioq; diximus imo d. l. fin. non ad titulum de parricidiis, ſed ad tit. S C. Silaneiani pertinere docet; denique ita concludit, nulla quamuis grauia & Reipub. pernicioſa crimina vltra vicennium porrigi, certa authoritate confirmari poſſe. Neque me mouet, quod in hoc crimine perduellionis etiam poſt mortẽ crimen inchoari poſſit memoriaq; damnari. Nam id ego certe accipiam, dum tamen intra vicenniũ fiat, imo accipiam iuxta Orationem D.Marci, Ne intra quinquennium de ſtatu defunctorum quęratur; vt in commentario ad eam Orationẽ demonſtraui. præſertim vero, cum plenum odii ſit atque acerbitatis, defunctos in ius vocari & damnari, nec in vllo, niſi de quo expreſſe cautum ſit, delicto recipiendum. Paulus Iouius lib.1. Hiſtor. Innocentium Catiam Opicini propinquum Ludouicus Sfortia aliquot ante annis fato functum, obiectis quibuſdam criminibus in ius vocari, damnarique iuſſerat, vt bona illius, veluti conuicti iudicio, per leges fiſco addicerentur. Quod ſicuti inauditum, & execrabile viſum eſt, ita ille ſingularem inuidiam concitauit. Hæc eruditiſſimus, & vt Caſabinus in Athenæũ, magnus, vt Lipſius notat, florentis ingenii & ſtyli ſcriptor.

Ait Lex, Studio veræ laudis adcenſus.

Ad

AD mitigandam proditorum infamiam hoc dicũt Imperatores & quia legiſlatores ſunt, id etiam pro legitimo haberi debet, quod lege cauent. Legitimum enim, eſt legis mandatum; neq; legitimum quicquam, quamuis honeſtiſſimum & plenum laudis, vt tyrannum interficere, niſi & legibus cautum ſit: vt egregie diſſerit Plutarchus libro de Fato ad Piſonem. Tametſi non hi plane proditores, ſed potius indices ac nominatores dici debent, qui coniurationem deferunt, cuius nõ ipſi participes. Sed in quibuſdam hærere tamen quædam infamia videtur, veluti in filio, in vxore, in ſeruo, in liberto, in familiari, in vaſallo. Ideo & patris patriæ cognomen ſibi callide adſciuere priſci Imperatores, vt Dio ſcribit lib. LIII. vt aliquod ius eis in omnes ciues tribueretur, quale parentibus olim erat in liberos, tametſi initio non ob hãc cauſſam, ſed honoris & charitatis gratia iis hoc nomen tributum eſſet. De ſeruis, ad hanc ipſam rem de qua agimus, ita elegantiſſime Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus cauẽtes, ne ſeruus dominum adcuſet, ignis ſupplicio irrogato, ita addunt, Excepto tamen adpetitæ maieſtatis crimine, in quo etiam ſeruis honeſta proditio eſt. Nam & hoc facinus tendit in dominos (id eſt, in Principes) l. II. C. TH. Ne præt. crim. maieſt. ſeru. dom. vel patr. lib. ſeu familiaris adcuſet. Sed quicquid vel philoſophi dicant, vel Imperatores caueant, neſcio quo modo atque ipſa natura fit tamen, vt inuiſi apud vulgus & deteſtabiles ſint, nec ſerui ſolum & filii, ſed vero & familiares, & liberti. Apud vulgus: imo & apud ſapientes, ſatis aperte atque acriter Corn. Tacitus lib. XIV. Annal.

vbi agit de coniuratione Piſoniana, P. Milichio liberto Scæuini, proditionem patroni exprobrat: Nam cum ſecum ſeruilis animus præmia perfidiæ reputauit, ſimulq; immenſa pecunia & potentia obuerſabantur, ceſſit fas & ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Qua eadem natura etiam ipſis, quorum gratia proditio facta eſt, proditores odio atq; oneri habentur: nec proditores amantur, ſed prodituri, vt Auguſtus dicebat. Valēs Imperator Agelonem & Gomarium, qui ducem ſuū Procopium perduellem Valenti viuum tradiderant, ſerris diſſectos occidit, iuramentis ſpretis, teſte Socrate lib. IV. Hiſt. Eccl. *—damnamus luce reperta Perfidiam—* ait Claudianus lib. II. in Eutropium. Ac quamuis legibus permittuntur hæc illiuſmodi facere perſonæ, & inuitentur præmiis, l. famoſi. §. ſerui quoq;. D. ad L. Iul. maieſt. & h. l. noſtra. tamen & præmia illis perſolui debent, & pœnæ iniungi; vt feciſſe Brutum, eum, qui reges expulit, in ſeruo Vindicio ſcribit interpres antiquus Iuuenalis. Indicauit, inquit, filios Bruti, Tarquinio velle portas reſerare, quos pater ſecuri feriit. Seruum autem vt conſeruatorem patriæ manumiſit, vt delatorem dominorum cruci adfixit. Idem ad illa verba, ſed videant ſerui, Satyr. X. Tiberium ait poteſtatē ſeruis dediſſe, vt liceret dominos adcuſare quibuſlibet criminibus. quod vix credo in quibuſlibet. niſi intelligat, quod ſeruo publico emancipari ſeruos reorum iuſſit, vt de iis in caput dominorum quæri poſſet. quamuis non abhorreat & illud ab immanitate Tiberii. quam mihi vel inprimis vide apud Tacitū libro IV. Annalium. vbi de Sereni filio adcuſatore patris cate-

nis

nis vincti, apud Senatum. qua hiſtoria nihil atrocius memini vnquã legere. & licet id legibus Iuſtiniani permiſſum ſit in hoc perduellionis crimine recte, Nouell. vt cum de appellat. cxv. cap. aliud quoque, & arg. l. 11. D. ad L. Pomp. de Parricid. & l. minime. D. de releg. & ſum. fun. non tamẽ exiſtimauerim illo modo, illo loco, illa cauſſa, illa forma pluſquam parricidiali. & in quo merito populus Rom. robur & ſaxum aliaque parricidarum pœnas filio minitatus eſt. Eadem prope acerbitas eſt ſi vxor maritum adcuſet, quod non tam iniungi ei, vt noſtri volunt Interpretes, iure ciuili, quam permitti, exiſtimare debemus. Harmenop. 1. Tit. VI. Περὶ κεκωλυμένων. Nouell. Vt lic. au. & mat. §. v. ſicut & ſeruis & libertis. d. l. famoſi. Humanius illæ leges municipales illique interpretes, qui neque in hoc crimine vxores puniũt, quæ maritos receperint, ac texerint. De Vaſallo clara res, non teneri fide clientelari, quo minus Senioris ſui in Principem, Cæſarem præſertim detegat. cum & contra antiquiorem Seniorem inita conſilia reuelare huius recẽtioris teneatur. c. 1. de nou. for. fidel. c. 1. §. fin. Hic fin. L. Cor. Atque hæc de priuatis indicibus. In publicis ſi hoſtis hoſti proditores eius indicet, dubitari non debet, quin id non ſolum laudi ſed maximæ laudi ac gloriæ tribuatur. Tiberius certe eam ob rem antiquis ducibus ſe æquabat, qui venenũ in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque, vt commemorat Corn. Tacitus libro 11. ex quo & illud obiter notes, Prodẽdi vocabulum medium eſſe, & inter honeſtiſſima quoque referri: itaque eo ſtatim hæc lex vtitur ad veram laudem. Quod

vt plenius intelligas, vide quæ Cuiacius eruditiſſimus libris obſeruationũ, & prudētiſſimus Ammiratus libro IV. Diſcurſ. in Tacit. cap. vlt. de diſcrimine Indicum, Delatorum, Adcuſatorum, ſimiliumque docuerunt præclariſſime.

Ait Lex, Initam prodiderit factionem.

SED cui prodere debet, præſertim homo tenuis, & cui non audacia, non ad Principem aditus? num ſufficit primario alicui, & domeſtico Principis? Sane: nec tamen ſi ille negligat, ceſſare ipſe debet. illuſtre exemplum huius rei in fratre Dymni, qui Philotæ coniuratione in Alexandrum regem aperuit, identidemq; eum vrgebat, an regi indicaſſet. Quod ſi quis metu vel pudore deterreatur, aliqua tamen indicare debet, & imitari potius eum, qui auricularum Midæ indicium terræ fecit, vt arundines indices exiſterent: vel, vt ad hanc rem aptius aliquid adferamus, illius nobilis viri, qui vitro vini pleno, ipſe facie velata, cōiurationem in Senatum Reipubl. Lubecenſis indicauit, ſed aſtāte & audiēte Conſulis filio; proteſtatus antea tamē clariſſima voce, ſe nulli mortalium dicere, ſed vitro tantum. quam hiſtoriam videſis in Alb. Krantzii Vandal. libro IX. capite XIV. Facit huc Nouella Iuſtiniani Vt lic. matr. vel au. CXVII. §. VIII. & §. IX.

Ait Lex, Et Præmio, & Honore à nobis donabitur.

ARBITRARIVM eſt, quod olim certum fuit. Nam indicibus omnibus coniurationũ, in veteri

veteri Republ. dabatur ſeruo libertas, & ſæpe alia, ingenuo centena millia æris, vt ſæpe in Liuio legimus & aliis authoribus; Dionyſii lib. v. μύριαι δραχμαί. quod poſtea auctum fuiſſe videtur, ſiquidem indicibus Catilinariæ coniurationis promittit Senatus, apud Saluſtium, ſeruo libertatem & H. S C. libero impunitatem eius rei, & H S CC. Sed præter hoc vulgare præmium, etiam alia addita interdum, vt Tarquiniis apud Dionyſ. lib. v. ius ciuitatis, & vicena agri iugera. Sic Vindici, qui filios Bruti & Aquilios detulit, præter libertatem & pecunias ius ciuitatis datum, aliiſque alia data præmia ampliſſima, vt Allobrogibus, vt Vectio indici, de quo Cicero orat. in Vatin. & in epiſt. ad Attic. Interdum ſola impunitate contenti indices ſunt, vt Tarquinius & Vulturcius Catilinariæ coniurationis indices, vt alii, qui propterea fide publica dicere iubebantur. Sed huiuſmodi indices iidẽ & conſcii, & participes coniurationis erant. Vnde Aſconius in Diuinationem, Indicium eius eſſe ait, qui facinoris, cuius ipſe conſcius eſt, latebras indicat impunitate propoſita: ad illud Ciceronis in Cæcilium, ſi tibi indicium poſtulas dari, quod tecum vna feceris: concedo, ſi id lege permittitur. Indicium enim, nõ iudicium, legendum eſſe doctiſſimus Budæus ex illa Pædiani nota docuit, & illo Donati loco in Eunuchum, indicium eius eſt, qui vna peccauit. De cuiuſmodi indicibus loquitur hæc lex noſtra in verbis infra ſcriptis, quã partem alteram huius capitis fecimus, adeoque nihil etiam aliud, quam impunitatem iis pollicetur. licet ex liberalitate ſæpe iis dentur & alia præmia. & qualia ſupra demonſtraui puris indicibus dari

in antiqua Republica. Nam ſub imperio Cæſarũ nihil puto certi conſtitutum fuiſſe in hoc quidẽ crimine. Scio multa adferri ex Tacito, & Pædiano, de quarta portione bonorum delati rei: ſed parum apud me illa firma ſunt, quæ Alciatus ad l. indicaſſe. de verb. ſignific. & Tib. Decianus lib. VII. Criminal. cap. XXXVII. referunt. Quod & ſupra alicubi monui. Quod autẽ in l. XIII. §. extat. D. de iur. fiſc. vulgare præmium delatorum appellatur, id eſt, quarta, vt in illis Taciti locis lib. IV. vel octaua in cauſſa læſæ maieſtatis l. vltim. C. de delat. lib. XI. pertinet ad eos delatores, qui bona quæ fiſco vindicantur, nunciant, non ad eos qui criminis alicuius cauſſam perſequuntur, id eſt, ad adcuſatores, vt diſcere ex Cuiacio licet lib. XIX. obſer. III. Solitum quidem & his dari certũ ſæpe aliquid, puta impunitatem, vel immunitatem vſq; ad certum ſubſtantiæ modum l. I. C. de falſ. monet. l. I. C. de deſer. vel pretii pro modo ſubſtantiæ damnati, æſtimatione iudicis ex SC. de famoſis libellis. l. V. §. vlt. D. de iniur. vel quinq; aureorum ex L. Cornelia in ſingulos ſeruos cædis domini noxios, qui ante quæſtionem profugerint, requiſitos ac delatos. l. lege. D. ad SC. Sillan. Sed coniurationis ſiue perduellionis indiciũ nego quicquam certum vlla lege conſtitutũ fuiſſe, aut ſeruatum Imperatorum temporibus. neq; etiam adcuſatores iſti proprie indices dici poſsũt. Indici cuiuis licet eſſe, etiam ſeruo, in hac præſertim cauſſa, non ita adcuſatori: vt Cicero dicto loco Cæcilio indicium concedit, adcuſationem negat. & l. Aithales. D. ad L. Corn. de falſ. Carolus Magnus monaſterium donauit indici in ſe ini-

itæ

itæ coniurationis: vt teſtatur Ludouici Regis domeſticus quidam in Annal. Gallorum. Alii alia.

Ait Lex, Qui vſus fuerit factione.

HÆC verba ſic intelligere debemus, qui coniurauit, qui ſocius, & paticeps coniurationis fuit: non etiam qui, non dico in effectum deduxit, ſed conatus eſt, & ad aliquem effectui proximum actum deuenit: huic enim non puto ignoſcendum quantuuis coniurationis arcana omnia patefaciat, præſertim ſi deprehenſus, & coactus id fecerit: non (vt opinor) etiam ei, qui deprehēſus non eſt, ſed aliquod tamē damnum ipſe ſociique eius, aut diſcrimen Principi vel Reipubl. iam intulerint, quod euitari, niſi reticuiſſet, poterat, arg. c. 1. §. præterea ſi Vaſallus. Tit. quæ fuer. pri. cau. feud. amitt. l. ſi quis forte. D. de pœn.

Ait Lex, Si vel ſero, incognita tamen adhuc, conſiliorum arcana patefecerit.

SIc Dionyſius libro v. τὴν διάνοιαν τῆς ἐπιχειρήσεως ἀπόρρητον, & infra, οἱ τῶν ἀπορρήτων βουλευμάτων ἡγεμόνες. Socio igitur coniurationis venia tantum & impunitas promittitur; neque id tantum, ſi mature, & in exordio factionis eam detexerit, cum ſciret: ſed etiam ſi ſero & longo poſt interuallo, dum tamen incognita adhuc coniuratio fuerit, nam ſi innotuit Principi, ſero nuntiat, nec impunitatē conſequetur; atque ita in hoc caſu, & paucis quibuſdam aliis pœnitentia delicto nondum perfecto veniā præbet, vt hic vſurpare iure poſſimus illud Tertulliani, carmine ad Senatorem:

rideri timebat, ſi iurgium inter amatorem, & exoletum detuliſſet. Nam & infames, & omnes alii, qui adcuſari prohibentur, in hoc crimine tamen non prohibentur l. famoſi. l. in quæſtionibus. D. ad L. Iul. maieſt. & Fuluia Catilinariam coniurationem detexit. & quædam meretrix coniurationem Bacchanalium apud Liuium. Multo magis igitur ꝙ ab honeſta muliere quis cognouit, deferre & iudicare tenetur, puta ab vxore. de qua etiam diſerte cautum eſt à Iuſtiniano in Nouella Vt lic. auiæ vel matr. §. quia vero plurimas. vbi agit de cauſſis, quibus diuortium permittitur viro, & lucrum dotis. Verba ſunt: Si contra imperium cogitantibus aliquibus conſcia eſt mulier, aut etiam viro ſuo non indicet. Si autem vir hoc à muliere denunciatū tacuerit, licet mulieri per quamcumque perſonam hoc declarare imperio: vt vir nullam ex hac cauſſa repudii inueniat occaſionē. Et vice verſa in §. ſeq. ob eandem cauſſam repudium vxori permittit, & donationis antenuptialis lucrum, ſi vir contra imperium, aut ipſe cogitauerit aliquid, aut cogitantibus conſcius non indicauerit imperio aut per ſe aut per quamcunq; perſonam. Scio, huiuſmodi cauſſam diuortii nō omnibus probari, vt nec alias quaſdam iuris ciuilis: Sed hic aliud agimus. Quæ autem pœna ſit ſcientis & reticentis coniurationē, ab interpretibus noſtris quæri video. Et recte conſentienterque huic legi eo frequentius itum eſt, vt capitali pœna puniatur, atque hanc magis receptam eſſe Doctorum ſententiā teſtantur non noſtri ſolum, ſed & Frāciſcus Guicciardinus libro III. Hiſtoriar. idemque libro XIII. ſcribit legibus id ita cautum eſſe

in

in omni crimine læſæ maieſtatis, præcipue vero eo, & multo magis vbi inſidiæ ſtruãtur vitæ Principis. Non debui hunc tantum authorem ſegregare à numero noſtro, cum iuris ciuilis non conſultus modo, & doctor, ſed profeſſor in patria ſua fuerit admodum adoleſcens, cum & ante annum triceſimum ætatis, maximis de rebus ad Regem Neapolitanum legationem obiuerit.

Ait Lex, Miniſtris.

HOc vero vocabulum generale eſt, & ſuperiores etiam complectitur, alioſque omnes, qui aliquid opis aut miniſterii coniuratis prębuerint, inprimis autem & ſignate clientes eorum, quorum olim maxima copia apud potentiores, vt hodie Vaſallorum, quibus illi ſimillimi ſunt, vnde & eorum nomen his in iure feudario tribui ſolet, ſicut & Minaſterialium. Pulchre ad hanc rem noſtram Claudianus libro 11. in Ruſſinum:

——ſceptrumq; capeſſere feruet,
Et coniuratos hortatur voce clientes.

Miniſtri ergo, & adiutores quicunq; coniuratorum, eodem loco, quo coniurati, habentur, iiſdẽque pœnis & ipſi & filii eorum ſubiiciũtur, vtpote & ipſi læſæ maieſtatis rei. Chryſoſt. in Serm. Quod neq; viui, neque mortui anathemate plectendi ſunt, vbi loquitur de quodam qui temporibus Apoſtolorum martyr fuit: Monſtraturus, inquit, huius verbi, Anathematis grauitatem, tali vtebatur exemplo: Sicut priuatus homo regiã ſibi purpuram circumponens vna cum omnibus, qui ſe iuuant, punitur vt tyrannus: ita & qui Dominicam ſententiam fert, & hominem facit ana-

thema Eccleſiæ, adducit ſeipſum in extremã perniciem, vſurpando dignitatem filii Dei. Hæc, aliaque grauiſſime Chryſoſtomus in eos omnes, qui anathemate vtuntur, quò omnib. modis quẽ à Chriſto ſeparari ſcribit, eoque nec Apoſtolos ipſos vſos eſſe, quamuis bis anathematis meminerit Paulus. Vtinam tanti viri hac quidem in parte ſapientiam & moderationem imitari voluiſſent recentiores theologi, aduerſus quos extat etiam Medici Thomæ Eraſti grauis diſputatio. Sed hæc mittamus. Maieſtatis eſſe, quemquam vlla re iuuare vel domeſticum hoſtem, vel externum, dubitari non oportet. eoque refero fragmentum Q. Cæpionis in M. Æmylium Scaurum lege Varia reum, apud Soſipatrum. Cum ab iſto viderẽ cotidie hoſtes conſiliis adiuuari. Ecce etiam conſilio iuuare, non ſolum auxilio & miniſterio, crimen eſt imminutæ maieſtatis, de qua lex Varia lata, vt quæreretur de iis, quorum opera conſilioue ſocii contra pop. Rom. bello coniuraſſent. Quod in hoc crimine de ſupraſcriptis omnibus perſonis conſtitutum eſt, idem & in aliis atrocioribus valet. l. raptores. C. de epiſc. & cler. l. 1. C. de rapt. virg.

Ait Lex, Simili ſeueritate.

NON dubium, quin hæc verba eandem ſeueritatem adhibendam ſignificẽt in ſupra ſcriptas perſonas, earumq; filios, quam ante ſanxerũt in coniuratos ipſos, & liberos eorum. Atqui Gildonis Satellites, proſcribi tantum vel cuſtodiis mancipari iuſſerunt, vt ſupra docui. Sed alia ratio eſt: vel quia Gildo etſi rebellauerat, non tamen

in caput Principis conſilium iniuerat cum ſuis ſatellitibus, vel quia infinita illa multitudo erat, quamuis enim multitudo ſociorũ impunitatem non facit criminis, vt Ambroſius ait in epiſtola ad Virginem lapſam: tamen minuere pœnam ſolet, præſertim ſi non ſocii, ſed ſubditi & ſerui peccauerunt authore domino, vel denique quia ſatellites illi ignari Gildonis conſiliorum fuerunt, quibus ille recte primo incedebat, & ſimulare. Vt taceam illis verbis non excludi vltimum ſuppliciũ, vt ideo cuſtodiretur, vel proſcriberentur, vt ſupplicio adfici poſſent, aut à quouis occidi. Neque enim veriſimile eſt ſic Imperatores voluiſſe tantam multitudinem cuſtodiri, vt C. Cæſar Cethegum, & Lentulum, aliosq; Catilinarii ſceleris populares per Italię municipia diſtribuendos, cuſtodiendoſque cenſuerat, magno omnium adſenſu, donec à Catone refelleretur, diuina illa oratione.

CAPVT X.

Sane ſi quis ex his in exordio factionis, ſtudio veræ laudis adcenſus, initã prodiderit factionem, & præmio, & honore à nobis donabitur. Is vero, qui vſus fuerit factione, ſi vel ſero (incognita tamen adhuc) conſiliorum arcana pateſecerit, abſolutione tantum ac venia dignus habebitur.

HOc capite validiſſima ſecuris iniicitur coniurationib. non ſolum præmiis propoſitis ei, qui indicaſſet, ſed mutuo metu inter ipſos excitato, dum alter alterum timet, ne ab eo

prodatur, vel ob impunitatem, vel ob præmium atque laudem. præſertim ſi non duo tresue, ſed plures coniurarint, adeo quidem vt pro miraculo ducat Secretarius Florentinus illam Piſonis, & Pactiorum. Sed de his infra lib. ſecundo adfatim dicetur vel noſtro ore, vel alieno.

Ait Lex, Si quis ex his.

DVÆ ſunt partes huius capitis. Prima pertinet ad conſcios, ſed immunes cõiurationis. Altera ad coniuratos, & qui, vt lex ait, iam factione vſi fuerint. Igitur verba iſta, Si quis ex his, ad vtramque partem referuntur, ſic tamen, vt diſtincte de vtriſque lex ſtatuat, & varie, vt varia etiam eſt eorum conditio atque ratio.

Ait Lex, In exordio factionis.

NOTANDVM, ita indici & nominatori prȩmia atque honores promitti, ſi in ipſo initio coniurationis eam detexerit, quod tamen ita intelligendum eſt, ſi etiam initio ſciuerit. Hic enim ſi poſt interuallum aliquot dierum demum indicauerit, nõ puto ei vllum præmium deberi ac vix veniam. Plus enim peccare mihi videtur, quam qui cõiurauit, & ſero detexit, cum iſte & iuramẽto contineatur, & metu coniuratorum, atq; obſeruatione, & proditoris infamia: quam non euitat apud homines, qui ſocios eiuſdem criminis prodidit, vt infra dicetur. Qui autem ſcit, nec vllo vinculo aut metu adſtrictus eſt, ſane ſceleratiſſimus eſt, niſi indicet, quamprimũ ſciuerit ac potuerit. Dici enim ei poteſt, cur tam diu tantam

rem

rem ſiluerit, vt in l. ſi quis forte. D. de pœn. ſcriptũ eſt de eo, qui ad ſupplicium ductus clamat, ſe habere aliquid quod ad ſalutem Principis pertineat: non audiendum, ſed magis puniendum Vlpianus dicit. De Philota ſupra annotaui. Ei certe maxime exitio fuit, quod ipſe inter Principes familiarium Alexandro non indicauiſſet ea, quæ quiuis etiam ex plebe homo non reticuiſſet. Atque ita Narciſſus ille Claudii libertus (licet alia cauſſa ſuberat) veniam in præteritum petit, quod ei cis Plautium, cis Vectium diſſimulauiſſet, vt ſcribit Tacitus li. XI. Biduum videtur cõſtitutum lege Macedonica ad inſidias ſine periculo detegendas, vt ex oratione Regis apparet libro VI. Curtii. Sed & recipi iuſtas excuſationes interdũ non detecti ſceleris putem oportere, niſi quid contra maius obſtet & ſuadeat, vt in illo Mneſtere apud eundem Tacitũ libro XI. Annalium extremo; vbi & de Vectio Valente indicium offerente, & confeſſo, & nihilominus punito. Quod ſi quis de cõiuratione poſt multum tempus, quam inita eſt, cognouerit, huic ſi ſtatim ac cognouit, eam indicet, non minus deberi præmia & honores hic promiſſos aio, quam qui in exordio ſibi cognitam detulerit. Nam & ille, quantũ in ipſo fuit, in exordio detulit: niſi forte coniurationem iam tẽpore aut alia ratione delapſam atque ſepultam reuelauerit, ex qua nullũ periculum metui amplius potuerit. tametſi, quod ad reos attinet, nullo tempore putent huic crimini, ne viginti quidem annorum, præſcribi. argumento ſuppoſiti partus, & parricidii. l. qui falſam. §. 1. D. ad L. Cornel. de falſ. l. fin. D. ad L. Pomp. de parricid. de quo tamen dubito, cum nulla lege

cautum ſit; & in contrarium ſtet regula l. querela. D. ad L. Cornel. de falſ. & Cuiacio adſentior, qui lib. obſ. 14. articulum illum, Fere, in d. l. querela, refert ad ea crimina quæ minori ſpatio non tollantur. & cũ hac præſcriptione intelligit quod de ſuppoſito partu, parricidioq; diximus imo d. l. fin. non ad titulum de parricidiis, ſed ad tit. S C. Silaneiani pertinere docet; denique ita concludit, nulla quamuis grauia & Reipub. pernicioſa crimina vltra vicennium porrigi, certa authoritate confirmari poſſe. Neque me mouet, quod in hoc crimine perduellionis etiam poſt mortẽ crimen inchoari poſſit memoriaq; damnari. Nam id ego certe accipiam, dum tamen intra vicenniũ fiat, imo accipiam iuxta Orationem D. Marci, Ne intra quinquennium de ſtatu defunctorum quęratur; vt in commentario ad eam Orationẽ demonſtraui. præſertim vero, cum plenum odii ſit atque acerbitatis, defunctos in ius vocari & damnari, nec in vllo, niſi de quo expreſſe cautum ſit, delicto recipiendum. Paulus Iouius lib. 1. Hiſtor. Innocentium Catiam Opicini propinquum Ludouicus Sfortia aliquot ante annis fato functum, obiectis quibuſdam criminibus in ius vocari, damnarique iuſſerat, vt bona illius, veluti conuicti iudicio, per leges fiſco addicerentur. Quod ſicuti inauditum, & execrabile viſum eſt, ita ille ſingularem inuidiam concitauit. Hæc eruditiſſimus, & vt Caſabinus in Athenæũ, magnus, vt Lipſius notat, florentis ingenii & ſtyli ſcriptor.

Ait Lex, Studio veræ laudis adcenſus.

Ad

AD mitigandam proditorum infamiam hoc dicũt Imperatores & quia legiſlatores ſunt, id etiam pro legitimo haberi debet, quod lege cauent. Legitimum enim, eſt legis mandatum; neq; legitimum quicquam, quamuis honeſtiſſimum & plenum laudis, vt tyrannum interficere, niſi & legibus cautum ſit: vt egregie diſſerit Plutarchus libro de Fato ad Piſonem. Tametſi non hi plane proditores, ſed potius indices ac nominatores dici debent, qui coniurationem deferunt, cuius nō ipſi participes. Sed in quibuſdam hærere tamen quædam infamia videtur, veluti in filio, in vxore, in ſeruo, in liberto, in familiari, in vaſallo. Ideo & patris patriæ cognomen ſibi callide adſciuere priſci Imperatores, vt Dio ſcribit lib. LIII. vt aliquod ius eis in omnes ciues tribueretur, quale parentibus olim erat in liberos, tametſi initio non ob hāc cauſſam, ſed honoris & charitatis gratia iis hoc nomen tributum eſſet. De ſeruis, ad hanc ipſam rem de qua agimus, ita elegantiſſime Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus cauētes, ne ſeruus dominum adcuſet, ignis ſupplicio irrogato, ita addunt, Excepto tamen adpetitæ maieſtatis crimine, in quo etiam ſeruis honeſta proditio eſt. Nam & hoc facinus tendit in dominos (id eſt, in Principes) l. II. C. TH. Ne præt. crim. maieſt. ſeru. dom. vel patr. lib. ſeu familiaris adcuſet. Sed quicquid vel philoſophi dicant, vel Imperatores caueant, neſcio quo modo atque ipſa natura fit tamen, vt inuiſi apud vulgus & deteſtabiles ſint, nec ſerui ſolum & filii, ſed vero & familiares, & liberti. Apud vulgus: imo & apud ſapientes, ſatis aperte atque acriter Corn. Tacitus lib. XIV. Annal.

Digitized by Google

vbi agit de coniuratione Piſoniana, P. Milichio liberto Scæuini, proditionem patroni exprobrat: Nam cum ſecum ſeruilis animus præmia perfidiæ reputauit, ſimulq; immenſa pecunia & potentia obuerſabantur, ceſſit fas & ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Qua eadem natura etiam ipſis, quorum gratia proditio facta eſt, proditores odio atq; oneri habentur: nec proditores amantur, ſed prodituri, vt Auguſtus dicebat. Valẽs Imperator Agelonem & Gomarium, qui ducem ſuũ Procopium perduellem Valenti viuum tradiderant, ſerris diſſectos occidit, iuramentis ſpretis, teſte Socrate lib. IV. Hiſt. Eccl. *—damnamus luce reperta Perfidiam—* ait Claudianus lib. II. in Eutropium. Ac quamuis legibus permittuntur hæc illiuſmodi facere perſonæ, & inuitentur præmiis, l. famoſi, §. ſerui quoq;. D. ad L. Iul. maieſt. & h. l. noſtra. tamen & præmia illis perſolui debent, & pœnæ iniungi; vt feciſſe Brutum, eum, qui reges expulit, in ſeruo Vindicio ſcribit interpres antiquus Iuuenalis. Indicauit, inquit, filios Bruti, Tarquinio velle portas reſerare, quos pater ſecuri feriit. Seruum autem vt conſeruatorem patriæ manumiſit, vt delatorem dominorum cruci adfixit. Idem ad illa verba, ſed videant ſerui, Satyr. X. Tiberium ait poteſtatẽ ſeruis dediſſe, vt liceret dominos adcuſare quibuſlibet criminibus, quod vix credo in quibuſlibet, niſi intelligat, quod ſeruo publico emancipari ſeruos reorum iuſſit, vt de iis in caput dominorum quæri poſſet. quamuis non abhorreat & illud ab immanitate Tiberii. quam mihi vel inprimis vide apud Tacitũ libro IV. Annalium. vbi de Sereni filio adcuſatore patris cate-
nis

nis vincti, apud Senatum. qua hiſtoria nihil atrocius memini vnquã legere. & licet id legibus Iuſtiniani permiſſum ſit in hoc perduellionis crimine recte, Nouell. vt cum de appellat. cxv. cap. aliud quoque, & arg. l. 11. D. ad L. Pomp. de Parricid. & l. minime. D. de releg. & ſum. fun. non tamẽ exiſtimauerim illo modo, illo loco, illa cauſſa, illa forma pluſquam parricidiali. & in quo merito populus Rom. robur & ſaxum aliaque parricidarum pœnas filio minitatus eſt. Eadem prope acerbitas eſt ſi vxor maritum adcuſet, quod non tam iniungi ei, vt noſtri volunt Interpretes, iure ciuili, quam permitti, exiſtimare debemus. Harmenop. 1. Tit. VI. Περὶ κεκωλυμένων. Nouell. Vt lic. au. & mar. §. v. ſicut & ſeruis & libertis. d. l. famoſi. Humanius illæ leges municipales illique interpretes, qui neque in hoc crimine vxores puniũt, quæ maritos receperint, ac texerint. De Vaſallo clara res, non teneri fide clientelari, quo minus Senioris ſui in Principem, Cæſarem præſertim detegat. cum & contra antiquiorem Seniorem inita conſilia reuelare huius recẽtioris teneatur. c. 1. de nou. for. fidel. c. 1. §. fin. Hic fin. L. Cor. Atque hæc de priuatis indicibus. In publicis ſi hoſtis hoſti proditores eius indicet, dubitari non debet, quin id non ſolum laudi ſed maximæ laudi ac gloriæ tribuatur. Tiberius certe eam ob rem antiquis ducibus ſe æquabat, qui venenũ in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque, vt commemorat Corn. Tacitus libro 11. ex quo & illud obiter notes, Prodẽdi vocabulum medium eſſe, & inter honeſtiſſima quoque referri: itaque eo ſtatim hæc lex vtitur ad veram laudem. Quod

vt plenius intelligas, vide quæ Cuiacius eruditiſſimus libris obſeruationũ, & prudẽtiſſimus Ammiratus libro I V. Diſcurſ. in Tacit. cap. vlt. de diſcrimine Indicum, Delatorum, Adcuſatorum, ſimiliumque docuerunt præclariſſime.

Ait Lex, Initam prodiderit factionem.

SED cui prodere debet, præſertim homo tenuis, & cui non audacia, non ad Principem aditus? num ſufficit primario alicui, & domeſtico Principis? Sane: nec tamen ſi ille negligat, ceſſare ipſe debet. illuſtre exemplum huius rei in fratre Dymni, qui Philotæ coniurationẽ in Alexandrum regem aperuit, identidemq; eum vrgebat, an regi indicaſſet. Quod ſi quis metu vel pudore deterreatur, aliqua tamen indicare debet, & imitari potius eum, qui auricularum Midæ indicium terræ fecit, vt arundines indices exiſterent: vel, vt ad hanc rem aptius aliquid adferamus, illius nobilis viri, qui vitro vini pleno, ipſe facie velata, cõiurationem in Senatum Reipubl. Lubecenſis indicauit, ſed aſtãte & audiẽte Conſulis filio; proteſtatus antea tamẽ clariſſima voce, ſe nulli mortalium dicere, ſed vitro tantum. quam hiſtoriam videſis in Alb. Krantzii Vandal. libro I X. capite X I V. Facit huc Nouella Iuſtiniani Vt lic. matr. vel au. CXVII. §. VIII. & §. IX.

Ait Lex, Et Præmio, & Honore à nobis donabitur.

ARBITRARIVM eſt, quod olim certum fuit. Nam indicibus omnibus coniurationũ, in veteri

veteri Republ. dabatur ſeruo libertas, & ſæpe alia, ingenuo centena millia æris, vt ſæpe in Liuio legimus & aliis authoribus; Dionyſii lib. v. μυρίαι δραχμαί. quod poſtea auctum fuiſſe videtur, ſiquidem indicibus Catilinariæ coniurationis promittit Senatus, apud Saluſtium, ſeruo libertatem & H. S C. libero impunitatem eius rei, & H S CC. Sed præter hoc vulgare præmium, etiam alia addita interdum, vt Tarquiniis apud Dionyſ. lib. v. ius ciuitatis & vicena agri iugera. Sic Vindici, qui filios Bruti & Aquilios detulit, præter libertatem & pecunias ius ciuitatis datum, aliiſque alia data præmia ampliſſima, vt Allobrogibus, vt Vectio indici, de quo Cicero orat. in Vatin. & in epiſt. ad Attic. Interdum ſola impunitate contenti indices ſunt, vt Tarquinius & Vulturcius Catilinariæ coniurationis indices, vt alii, qui propterea fide publica dicere iubebantur. Sed huiuſmodi indices iidẽ & conſcii, & participes coniurationis erant. Vnde Aſconius in Diuinationem, Indicium eius eſſe ait, qui facinoris, cuius ipſe conſcius eſt, latebras indicat impunitate propoſita: ad illud Ciceronis in Cæcilium, ſi tibi indicium poſtulas dari, quod tecum vna fecerit: concedo, ſi id lege permittitur. Indicium enim, nõ iudicium, legendum eſſe doctiſſimus Budæus ex illa Pædiani nota docuit, & illo Donati loco in Eunuchum, indicium eius eſt, qui vna peccauit. De cuiuſmodi indicibus loquitur hæc lex noſtra in verbis infra ſcriptis, quã partem alteram huius capitis fecimus, adeoque nihil etiam aliud, quam impunitatem iis pollicetur. licet ex liberalitate ſæpe iis dentur & alia præmia. & qualia ſupra demonſtraui puris indicibus dari

in antiqua Republica. Nam ſub imperio Cæſarũ nihil puto certi conſtitutum fuiſſe in hoc quidẽ crimine. Scio multa adferri ex Tacito, & Pædiano, de quarta portione bonorum delati rei: ſed parum apud me illa firma ſunt, quæ Alciatus ad l. indicaſſe. de verb. ſignific. & Tib. Decianus lib. vii. Criminal. cap. xxxvii. referunt. Quod & ſupra alicubi monui. Quod autẽ in l. xiii. §. extat. D. de iur. fiſc. vulgare præmium delatorum appellatur, id eſt, quarta, vt in illis Taciti locis lib. iv. vel octaua in cauſſa læſæ maieſtatis l. vltim. C. de delat. lib. xi. pertinet ad eos delatores, qui bona quæ fiſco vindicantur, nunciant, non ad eos qui criminis alicuius cauſſam perſequuntur, id eſt, ad adcuſatores, vt diſcere ex Cuiacio licet lib. xix. obſer. iii. Solitum quidem & his dari certũ ſæpe aliquid, puta impunitatem, vel immunitatem vſq; ad certum ſubſtantiæ modum l. i. C. de falſ. monet. l. i. C. de deſer. vel pretii pro modo ſubſtantiæ damnati, æſtimatione iudicis ex SC. de famoſis libellis. l. v. §. vlt. D. de iniur. vel quinq; aureorum ex L. Cornelia in ſingulos ſeruos cædis domini noxios, qui ante quæſtionem profugerint, requiſitos ac delatos. l. lege. D. ad SC. Sillan. Sed coniurationis ſiue perduellionis indiciũ nego quicquam certum vlla lege conſtitutũ fuiſſe, aut ſeruatum Imperatorum temporibus. neq; etiam adcuſatores iſti proprie indices dici poſsũt. Indici cuiuis licet eſſe, etiam ſeruo, in hac præſertim cauſſa, non ita adcuſatori: vt Cicero dicto loco Cæcilio indicium concedit, adcuſationem negat. & l. Aithales. D. ad L. Corn. de falſ. Carolus Magnus monaſterium donauit indici in ſe ini-

itæ

itæ coniurationis: vt teſtatur Ludouici Regis domeſticus quidam in Annal. Gallorum. Alii alia.

Ait Lex, Qui vſus fuerit factione.

HÆc verba ſic intelligere debemus, qui coniurauit, qui ſocius, & paticeps coniurationis fuit: non etiam qui, non dico in effectum deduxit, ſed conatus eſt, & ad aliquem effectui proximum actum deuenit: huic enim non puto ignoſcendum quantũuis coniurationis arcana omnia patefaciat, præſertim ſi deprehenſus, & coactus id fecerit: non (vt opinor) etiam ei, qui deprehẽſus non eſt, ſed aliquod tamẽ damnum ipſe ſociique eius, aut diſcrimen Principi vel Reipubl. iam intulerint, quod euitari, niſi reticuiſſet, poterat, arg. c. 1. §. præterea ſi Vaſallus. Tit. quæ fuer. pri. cau. feud. amitt. l. ſi quis forte. D. de pœn.

Ait Lex, Si vel ſero, incognita tamen adhuc, conſiliorum arcana patefecerit.

SIc Dionyſius libro v. τὴν διάνοιαν τῆς ἐπιχειρήσεως ἀπόρρητον; & infra, οἱ τῶν ἀπορρήτων βουλευμάτων ἡγεμόνες. Socio igitur coniurationis venia tantum & impunitas promittitur; neque id tantum, ſi mature, & in exordio factionis eam detexerit, cum ſciret: ſed etiam ſi ſero & longo poſt interuallo, dum tamen incognita adhuc coniuratio fuerit, nam ſi innotuit Principi, ſero nuntiat, nec impunitatẽ conſequetur; atque ita in hoc caſu, & paucis quibuſdam aliis pœnitentia delicto nondum perfecto veniã præbet, vt hic vſurpare iure poſſimus illud Tertulliani, carmine ad Senatorem:

Non eſt in culpa, quem pœnitet ante fuiſſe.
Q. Curtius lib. VIII. quia frater ipſius, quàquam impium facinus auſus foret, tamen & pœnitentiam eius ageret, & per ſe potiſſimũ profitetur indicium. Et mox, fratremque, antequam pro ſalute eius precaretur, reſtituit. bene, Reſtituit. nam vere nocens erat, & pœna dignus, cum dies amplius triginta coniurationem celauiſſet. Merito Iohan. Bodinus factum Franciſci regis, & curiæ Pariſiẽſis decretum improbat in illo nobili Normanno, qui fraterculo ſodali confeſſus, ſe Franciſcum Regem occidere voluiſſe, nihil tamen auſum eſſe, & flagitioſæ voluntatis ſponte pœnitere. Libro IV. de Republ. c. VII. Præmium igitur feſtinandi hic proponitur, id eſt, hoc capite ſalus coniuratis, & ſuperiori capite honores, pecunia, aliaue commoda. Tacitus lib. V. Annalium de liberto Milicho; qui Scæuini patroni inſidias in caput Principis præparatas cùm deprehendiſſet cõiecturis, Vxoris quoq;, inquit, conſilium adſumſerat muliebre, ac deterius: quippe vltro metum intentabat, multoſq; adſtitiſſe libertos, ac ſeruos, qui eadem viderint: nihil profuturũ vnius ſilentium, at pręmia penes vnum fore, qui indicio pręueniſſet. Recte illa ſibi, & ſuis cauit, nam & cognomen maritus, pecuniis ditatus, ſibi Græcum Conſeruatoris adſumpſit, teſte Tacito, id eſt Soteris. Quod mirum in vna cum pecuniis & imagine (nam id moris fuiſſe veteribus Ethnicis ſcribit Euſebius libro VII. Eccleſ. hiſtoriæ. ca. XVIII. vt ſeruatorum imagines in tabulis coloribus depictas haberent) ad filios poſteroſque tranſmiſerit. Quæ res in memoriam mihi reuocat, quod Ser-

Seruius de more Romano ſcribit, in lib. IX. Æn. ad illa verba:

— Matrique tuo generique manebunt.

Ait enim, apud Romanos conſueuiſſe præmia ita decerni, ILLI LIBERISQVE EIVS: ſcilicet vt darentur liberis, quæ accipere non potuiſſent parentes. Quem morem in hiſtoriis noſtrorum temporum reperio, vt alia virtutis & iuſtitiæ exempla, ex illo omnium gentium victore ac moderatore Senatu retuliſſe & vſurpauiſſe Venetũ Senatum, erga coniuges liberoſq; eorum omnium, qui bello pro Republ. mortem oppetiiſſent. Macte gloria Senatus, & digne, cui nõ vnus Pruſias dicat, ΧΑΙΡΕΤΕ ΘΕΟΙ ΣΩΤΗΡΕΣ.

Ait Lex, Arcana.

DIXI, &, niſi me fallo, docui primus, quid hæc vox Tacito ſignificet, cum appellat Arcana imperii, Arcana dominationis, Arcana domus; in oratione, quã habui de L. Regia, eã certe diſtinctionẽ & interpretationẽ noſtrã doctis & prudẽtib. viris probauimus. Hoc loco quid ſignificet, ſatis ex ſuperioribus liquet: ſed eiuſdem authoris grauiſſimi non prætermitto enarratiunculam illuſtrare, illam, quam libro Annal. IIII. fere extremo habet, de iis tribus ſenatoribus, qui fœdiſſima latebra tecta inter & laquearia ſeſe abſtruſerunt in domo Sabini, Germanici olim familiaris: ex qua aures foraminibus & rimis admouentes, arcanas eius cogitationes & querelas in Principem non minus turpi quã deteſtanda fraude didicerunt, & detulerunt. Non alias, inquit Tacitus, magis anxia & pauens ciuitas, etiam a d-

uerſum proximos; congreſſus, colloquia, notæ, ignotæq; aures vitari, etiam muta atq; inanima, tectum, & parietes circumſpectabantur. Ne igitur tu, qui aliquid tibi, in hac re præſertim, conſcius es, vel parietibus credas, vel cubiculo tuo, & regi non manus modo, ſed & aures in omnia ſcito penetrare: quantumuis legas apud Chryſoſtomum quaſi de re impoſſibili, lib. VI. de ſacerdotio, illa: Quis obſecro detegere poterit flagitium meum? Tectum, cubiculumq; hoc? at in vocem erumpere non poſſit, an mater potius, cui vni inprimis res omnes meæ notæ ſunt. Quin illa potius Taciti, quæ retuli, illa Ammiani, quæ nunc referam, dicta cogita. Interdum adciderat, inquit, vt ſiquid in penetrali ſecreto nullo citeriore eius, (Conſtantii Imp.) vitæ miniſtro præſente paterfamilias vxori ſuſurraſſet in aurẽ, velut Amphiarao referente aut Martio, quondam vatibus inclytis, poſtridie diſceret Imperator. Ideoq; etiã parietes (nota mihi imitationis Corneliæ veſtigia) arcanorum ſoli conſcii, timebantur. Similia in orat. pro Cælio. Verum hæc plena ſceleris & immanitatis omittamus. De eorum facto pauliſper diſputemus, qui non vltro hæc inquirunt aut deferunt, ſed ab aliis de coniuratione compellati, vel alias eius conſcii, prodere verentur, quod probare non poſſunt. Tacere, periculi plenum eſt: patefacere, licet periculo ſæpe careat, talionis & calumniæ, de quo ſupra memini adnotare, habet tamen alia pericula atque incommoda. Quidam in hoc negotio atque hac perplexitate non dubitarunt id conſilii dare, vt occidant eum, qui talia communicauit, quod ſtultum eſt, nec periculo

vacat,

vacat, vt Ammirat. lib. I v. c. vlt. in fin. ait, vbi nec illud conſilium Philippi Strozzę probat ſiue cautelam, qua vſus eſt cum quodam Prinziuallio de Stufa, dum diceret, iturum ſe ad magiſtratus, iiſq; indicaturum. timenda enim certa peſtis eſt ab eo, qui cum videat re ad magiſtratus delata ſibi pereundum eſſe, dabit operam, ne deferri poſſit, maliṫque ob hominis priuati necē exulare, quam ob perduellionem. cum ex illo facili' ſperet ſe in patriam reſtitutum iri. Diſplicet ei & illud conſiliū, vt ſimul ac prouideas de hac re tecum agi, ſermonem agentis incidas, neque totum audias. Sed cōtra probat ac defendit Marchionis Piſcariæ factū, cum Moronio Mediolanenſi, à quo conſiliis aduerſus Carolum v. Imp. initis ei communicatis, de ſocietate & rebellione appellatus fuerat: ſimulatione enim vſus eo Moronium perduxit, vt documenta aduerſus eum non deeſſent. Recte inquā hoc factū defendit aduerſus Fr. Guicciardini adcuſationem, quam lib. x v I. hiſtoriarum poſuit. cum neq; Marchio Moronium prior appellauerit, ſed Moronius Marchionem: neq; reticere ſine ſummo periculo Marchio poſſet; illigatus cōſcientia, quæ audiuerat, neque rurſus deferre ea debuerit, quæ probare non poterat, eo etiam magis, quod exercitui ipſe pręerat legatus Imperatoris, ſitque plenum ſuſpicionis incommodiſſimæ, ſi eo tempore ad Imperatorem detuliſſet ſermones de rebellione militum ac regnorum, qui ſermones nullo eſſent documento nixi. neque nouum ſit, vt qui delatores atque etiam quæſitores talium facinorum ſunt, ipſi poſtea eorum participes reperiantur, & puniantur. quemadmodum

uerſum proximos; congreſſus, colloquia, notæ, ignotæq; aures vitari, etiam muta atq; inanima, tectum, & parietes circumſpectabantur. Ne igitur tu, qui aliquid tibi, in hac re præſertim, conſcius es, vel parietibus credas, vel cubiculo tuo, & regi non manus modo, ſed & aures in omnia ſcito penetrare: quantumuis legas apud Chryſoſtomum quaſi de re impoſſibili, lib. VI. de ſacerdotio, illa: Quis obſecro detegere poterit flagitium meum? Tectum, cubiculumq; hoc? at in vocem erumpere non poſſit, an mater potius, cui vni inprimis res omnes meæ notæ ſunt. Quin illa potius Taciti, quæ retuli, illa Ammiani, quæ nunc referam, dictá cogita. Interdum adciderat, inquit, vt ſiquid in penetrali ſecreto nullo citeriore eius, (Conſtantii Imp.) vitæ miniſtro præſente paterfamilias vxori ſuſurraſſet in aurẽ, velut Amphiarao referente aut Martio, quondam vatibus inclytis, poſtridie diſceret Imperator. Ideoq; etiã parietes (nota mihi imitationis Corneliæ veſtigia) arcanorum ſoli conſcii, timebantur. Similia in orat. pro Cælio. Verum hæc plena ſceleris & immanitatis omittamus. De eorum facto paulisper diſputemus, qui non vltro hæc inquirunt aut deferunt, ſed ab aliis de coniuratione compellati, vel alias eius conſcii, prodere verentur, quod probare non poſſunt. Tacere, periculi plenum eſt: patefacere, licet periculo ſæpe careat, talionis & calumniæ, de quo ſupra memini adnotare, habet tamen alia pericula atque incommoda. Quidam in hoc negotio atque hac perplexitate non dubitarunt id conſilii dare, vt occidant eum, qui talia communicauit; quod ſtultum eſt, nec periculo

vacat,

vacat, vt Ammirat. lib. I V. c. vlt. in fin. ait, vbi nec illud conſilium Philippi Strozzę probat ſiue cautelam, qua vſus eſt cum quodam Prinziuallio de Stufa, dum diceret, iturum ſe ad magiſtratus, iiſq; indicaturum. timenda enim certa peſtis eſt ab eo, qui cum videat re ad magiſtratus delata ſibi pereundum eſſe, dabit operam, ne deferri poſſit, malitque ob hominis priuati necē exulare, quam ob perduellionem. cum ex illo facilius ſperet ſe in patriam reſtitutum iri. Diſplicet ei & illud conſiliū, vt ſimul ac prouideas de hac re tecum agi, ſermonem agentis incidas, neque totum audias. Sed cōtra probat ac defendit Marchionis Piſcariæ factū, cum Moronio Mediolanenſi, à quo conſiliis aduerſus Carolum V. Imp. initis ei communicatis, de ſocietate & rebellione appellatus fuerat: ſimulatione enim vſus eo Moronium perduxit, vt documenta aduerſus eum non deeſſent. Recte inquā hoc factū defendit aduerſus Fr. Guicciardini adcuſationem, quam lib. X V I. hiſtoriarum poſuit. cum neq; Marchio Moronium prior appellauerit, ſed Moronius Marchionem: neq; reticere ſine ſummo periculo Marchio poſſet, illigatus cōſcientia, quæ audiuerat, neque rurſus deferre ea debuerit, quæ probare non poterat, eo etiam magis, quod exercitui ipſe pręerat legatus Imperatoris, ſitque plenum ſuſpicionis incommodiſſimæ, ſi eo tempore ad Imperatorem detuliſſet ſermones de rebellione militum ac regnorum, qui ſermones nullo eſſent documento nixi. neque nouum ſit, vt qui delatores atque etiam quæſitores talium facinorum ſunt, ipſi poſtea eorum participes reperiantur, & puniantur. quemadmodum

adcidiſſe Fenio Rufo legimus in coniuratione illa Piſoniana in Neronem inita: de quo ſcribit Tacitus lib. xv. Annal. militaris conſpiratio non vltra fefellit, adcenſis indicibus ad prodendũ Fenium Rufum: quem eumdem conſcium, & inquiſitorem non tolerabant. Hæc ille, vt dixi, aduerſus Guicciardinum diſputat rectiſſime, miraturque hæc ab eo non perpenſa viro (vt ait) ſapientiſſimo, & legum Doctore: Sed Guicciardinus videtur ſubdolum maxime Piſcarii animum reprehẽdere, cauſſamque, ob quam ita cum Moronio egit, quam dicit fuiſſe, vt alterius peccatis, atq; exitio ipſe claritatem & honores cõſequeretur, præſertim cum tantas blanditias eoſq; dolos in producendo Moronio adhibuerit, non plane diſſimiles iis, quibus T. Sabinum vſus eſt, de quo paulo ante demonſtrauimus. Et quod iuris ſcientiam Guicciardini in hac re tacite vellicat, iniuſte facit. Neque enim periculum vllum vel talionis vel calumniæ, ſi non probaſſet delata, Piſcario imminebat à legib. quod & ante docui, præſertim homini tantæ potentiæ & authoritatis. Honeſtius etiã feciſſet, ſi ipſi Moroniũ vel interpoſito iureiurando authorem conſiliorum detuliſſet, vt alii multi in hac cauſſa fecerũt, vel iniecta etiam manu traxiſſet ad Principem, vt Eurilochus fratrem ſuum Ephimanẽ, à quo indicata ei coniuratio ſua & ſociorum in caput Alexãdri regis. Curtius lib. v i i i.

Subſcriptio huius Legis:
Dat. Prid. Non. Septemb. Ancyræ. Caſario & Attico Coss. CCCXCVII.

In

IN hac ſubſcriptione nihil eſt, quod nos magnopere teneat, præter locũ qui vrbs Ancyra, antiquiſſima & nobiliſſima Galatiæ, & prope dixerim Aſiæ: certe Diuo Auguſto chariſſima & deditiſſima, quo factum eſt, vt totius Aſiæ cõmuni decreto templum D. Auguſto in ea ſtatueretur; memoriaque & index rerum ab eo geſtarum ex duabus Romæ poſitis aheneis pilis deſcript⁹ collocaretur ac velut cõſecraretur. Quod monumentum antiquitatis omnium pulcherrimum, quantũ quidem eius ſupereſt, plurimi iam doctiſſimi viri, non modo edidere, ſed & notis eruditiſſimis illuſtrauere. In prætorio vrbis poſitũ adſentior iis qui dicunt: non in templo. Similiter vt lex Conſtantini, qua iuſſit Byzantiũ Romam alteram nominari, lapideæ columnæ vel pilæ inſcripta, publice (inquit Socrates lib. 1.) in eo loco, quem Prætorium vocant, prope ipſius equeſtrem ſtatuam collocata fuit. Multa huius vrbis apud veteres hiſtoricos & Geographos mẽtio, ſed & apud alios ſcriptores etiam Eccleſiaſticos. Anquiram in Decreto Gratiani vocari, hodie Angur Turcis notauit etiam vir grauiſſimus idemque elegantiſſimus Giſel. Busbequius. Apud Claudianum poetam, & Arcadii atque Honorii huius legis authorem, pręceptorem ita lego lib. 11. in Eutropium, non in bonũ fieri Ancyræ mentionem:

Cum duce mutatæ vires: Byzantia robur
Fregit luxuries, Ancyranique triumphi.

Pariter & D. Hieronymus in præfatione libri 11. epiſtolæ ad Galatas, vbi de Galatarum vecordia, atq; ſtultitia multa verba facit, Ancyram metro-

polin Galatię ſchiſmatibus laceratam dicit,& dogmatum varietatibus conſtupratam. De tempore quo ſcripta hæc Conſtitutio, illud notandum videri mendum ineſſe, nam conſules illi fuerunt anno 399 non 397. vt hic eſt ſcriptum. Sed prior computatio eſt Euſebii, poſterior aliorum.

Libri primi finis.

DE CONIVRATIONIBVS Liber Secundus.

LIVIÆ AVGVSTI ORATIO

Ex libro LV. *Hiſtoriarum Dionis Caſſii Cocceiani.*

INTERIM inſidiis impetit', quatum præcipuus autor erat inter alios Cn. Corneli' Cinna Magnus, filia Pompei Magni natus, aliquãdiu conſilii inops fuit, quum neq; necare eos vellet, quia nihilo tutior editis cædib. fiebat, neque dimittere impunes, ne alios quoque contra ſe incitaret. Dubium quid ſtatueret, ac neque dies, neque noctes ſine cura, ac cum quiete agentem, Liuia aliquãdo interrogata eſt, quidnam rei eum à ſomno detineret: Quis vero, inquit Auguſtus, vel minimum temporis à curis vacet, qui tot ini-

tot inimicos ſemper habeat, aliiſq; ſuper alias inſidiis petatur? an vero non cernis, quam multi & mihi, & Imperio noſtro periculum ſtruant; quos ne ſupplicia quidem punitorũ inhibent. Sed contra ceteri quoque, velut ad egregium facinus aliquod contendentes; & ipſi cum eis perire ſtudēt. Quo ſermone audito Liuia: perniciem, ait tibi creari, neque mirum eſt, neq; ab humana ſorte alienum; multa, vt in tanto imperio, agenti, multoſque offendenti. Nimirum fieri non poteſt, vt Princeps omnibus placeat; ac non vel iuſtiſſime regens, permultorum in odia incurrat. Maior enim pars hominum iniuſta iuſtis potiora ducunt, quorum expleri cupiditates nequeunt. Iam virtuoſorum quoq; alii magnas ac multas res expetunt, quas conſequi non poſſunt; alii aliis poſthabitos ſe indignantur: itaq; vtriq; culpant Principem: quapropter certum ab his malum impēdet, iiſq; deinde, qui inſidias ſtruunt, non quidem tibi, ſed principatui. Etenim priuato tibi nemo mali quicquã, niſi à te accepta iniuria, feciſſe voluit: principatum, eiuſque bona, potens quiſq; etiam infirmioribus promptius appetit. Id etſi hominũ eſt iniuſtorum, ac minime prudentium; tamen à natura inter alia vitia iis ineſt, ac neque monitis neq; vi eximi quibuſdam poteſt; quod nulla lex, nullus metus eis, quæ natura inſunt, plus valet. Hęc tu mecum reputans, aliorum peccatis minus ſuccenſe; tui autem, ac regni cuſtodiam exquiſitam inſtitue, vt id non pœnis irrogandis, ſed ſummopere cuſtodiendo tutum ſeruemus. Ad hæc Auguſtus: Sane, inquit, cognitum habeo, mulier, cum alia magna ab inuidia & inſidiis tuta non eſ-

ſe,tum vero inprimis ſummum Imperiũ. deũm certe mortalium princeps eſſet ſimilis,niſi maioribus,quam priuati,curis,occupationibus, ac ſolicitudinibus teneretur. Me vero hoc ipſum potiſſimum angit, quod hæc ita fieri neceſſum eſt, neque vllum contra ea remedium excogitari poteſt.Quum ſint omnino,reſpondit Liuia,qui inique agere velint,ab iis ergo caueamus. Sunt nobis multi milites, quorum alii hoſtibus opponũtur,alii te ſtipant,ac nos cuſtodiunt; ſunt in familia miniſtri multi, prorſus vt domi pariter ac foris per eos ſecuri viuere poſſimus. Tum Auguſtus; multos ſæpenumero à ſuis interfectos eſſe, verbis opus non habet. Nam hoc inter cætera difficillimum eſt in imperio, quod non reliquorum more tantũ nobis ab hoſtibus,ſed ab amicis quoque timemus; quodque multo plures ab his,quã ab alienis,perniciem inuenerunt. Dies enim,noctesque adſunt, nudis etiam ac dormientibus, & cibum potumque paratum ab ſe miniſtrant. Ac de aliis ne dicam, contra hoſtes quidem, amicos opponere licet; contra hos,nullum eſt auxilium. Ita ſemper nobis & ſolitudo eſt grauis, & hominum frequentia : vacare cuſtodia periculoſum, periculoſiſſimum eſſe inter ſtipatores : hoſtes moleſti, moleſtiores amici: (hoc enim eos, etiam minime dignos, nomine appellare oportet) quos vt etiam bonos quis nanciſcatur, nunquam tamen tantum eis fidei tribuere poteſt, vt cum iis puro,curiſque & ſuſpicionibus vacuo corde conuerſetur.Et hoc igitur perquam graue eſt,& quod neceſſe ſit in alios nobis inſidiantes vindicare. Nam cogi aliquem ad exigendas pœnas atq; ſupplicia

plicia de quibuſdam, id vero permagnum dolorē viris bonis adfert. Recte tu quidem hæc, inquit Liuia. Ego autem habeo, quod tibi dem cōſilium; (modo ne id repudies, aut indigne feras, me, mulier quum ſim, tibi conſulere auſam) cuiuſmodi nemo etiam ſummus amicus tibi dare poſſit: non quia ſcientia, ſed quia deeſt audacia. Iuſſa deinde, quid eſſet id, proferre: Dicam, inquit, tecum videlicet bonorum ac malorum particeps, te incolumi ipſa quoque hodie regnans, eademque vna, ſi quid (quod abominor) durius accidat, peritura. Homines quoſdam ipſa ad peccandū impellit natura, eiuſque cupiditas coerceri difficulter poteſt. Iam, vt plerorumque de malitia nihil dicam, multos omnino opinio boni ad delinquendū mouet: multos generis ſplēdor, diuitiarum faſtus, honoris magnitudo, ac fortitudinis comes audacia, & potentiæ moles, vt à recto curſu exorbitent, facit. Nec ex nobili facere licet ignobilē, ex virili timidum, ex prudente ſtolidum, quippe nequit hoc plane fieri. Nec fortunas hominum accidere, aut ſpiritus deiicere inſontium decet, eſt enim hoc iniuſtum. Si quis etiam vel ſui vindicandi, vel aliorum conatus anticipandi cauſſa quoſdam lędat, opinionem de ſe ſiniſtram neceſſario ciet. Agedū alia via inſiſtamus, ac venia eos proſequamur. Ego enim ita iudico, plus clementiam, quam ſæuitiam proficere. nam miſericordes non tantum ii, quibus delicti gratia facta eſt, charos habent, ac gratiam referre ſtudent: ſed reliqui etiam omnes reuerentur ac colunt, ita nemo eos deinde lædere auſit. At eos, qui ira inexorabili vtuntur, non modo odio habēt ii, qui ſibi metuunt, ſed cæteri quo-

que infenſi, inſidiis ſtructis ſuam perniciem cui-tare ſtatuũt. Viden vt medici rariſſime ſectiones & ignes adhibeant, ne ipſa videlicet vitia corporis magis exaſperent; pleraque autem humectationibus ac lauacris, & mitibus medicamentis molliunt ac ſanant? Neque enim putandum eſt, quod hæc corporum, illa animorum ſunt vitia, ideo eſſe inter ſe diſſimilia. Etenim etſi animi hominum incorporei ſunt, tamen multa habent cum corporum natura conuenientia: contrahuntur metu, turgent ira, dolore minuuntur, audacia inflantur, vt non multum à corporum natura differant, atque eandem fere ſanationem requirant. Nam ſermo lenis ad aliquem habitus, omnem fremitũ laxat, contra aſper remiſſum etiam ad iram concitat: venia data ferocem etiam quemque placat, ſupplicium vel mitiſſimos animos exaſperat. violentæ enim actiones, vt ſint omnino iuſtiſſimæ, irritant; manſuetæ placant, ideoque facilius perſuadendo quiſpiam quam cogendo eo adducitur, vt vel grauiſſima ſubeat. Quod adeo eſt natura comparatum, vt brutorum quoque animantium multa, robuſtiſſima alioquin, & feriſſima, blandiendo cicurentur ineſcandoque perdomentur; alia timidiſſima atque imbelliſſima male habita, ac territa ad iram concitentur. Neque ego omnibus ex æquo noxiis parcendum eſſe dico, ſed audaces, inquietos, malitioſos, ac ſiniſtri conſilii homines, immedicabilique & continuæ malitiæ adſuetos, excindere te iubeo, exemplo earum corporis partium, quæ medicinam non patiuntur: reliquos, qui propter ætatem, imperitiam, imprudentiam, aut alio caſu quodam, vel volentes, vel

inuiti

inuiti peccant, verbis caſtigare, minis corrigere, aliaue tolerabili ratione tractare; vtque in aliis rebus modo grauiores, modo mediocres pœnæ irrogantur, ſic in hac quoque re citra periculum, exiliis alios, alios ignominia, vel pecunia multare aut in diuerſa loca, vrbeſue relegare licet. Inuenti nimirum ſunt, qui quum ſpes ac cupiditates eorum irritæ factæ fuiſſent, ad ſanitatem redierint: alios in conſeſſu locus inhoneſtus, aut ſtationes probroſæ, doloreſq; & terrores ante oblati emẽdauerunt, pro quib. homo nobilis ac fortis mortem ſibi optauerit. Quo intelligitur, pœnas non faciliores, ſed grauiores etiam futuras; quum nos interim tuto viuere poſſimus, qui nunc multos inuidia, auaritia, metuue fortitudinis aut nobilitatis necare exiſtimamur. Haud enim facile creditur, eum, qui in tanta potentia, ac licentia viuit, ab inermi homine priuatoque inſidiis peti poſſe, ideo alii hos de nobis rumores diuulgant, alii falſis delationibus nos fidẽ adhibere dictitãt; quum exploratores & auſcultatores (emiſſarii noſtri) odio iraue, aut ab inimicis eorum, quos accuſant, accepta pecunia, negatæue ab his indignatione adducti multa minime vera ſiniſtre fingere perhibeãtur, non modo quod egerint quidam indignum aliquod facinu[illegible]endumue ſibi propoſuerint; ſed quod etiam certi quidpiã dixerint, auditoue tacuerint, riſuque aut lachrymis dictum exceperint. Poſſem infinita id genus referre, quę ſi maxime vera ſint, tamen ea te apud homines liberos perſcrutari, vel tibi nũciari, indecorum eſt; quum, ſi te lateãt, damnum nullum adferant; relata vel inuito (quod cum aliis, tam Principe in-

dignum eſt) ſtomachum moueant. at hinc plurimos indicta cauſſa iudicioue ſubdole parato, iniuſtum reperiſſe exitium plerique autumant: neque teſtimonia, quæſtiones, aut alia cōtra illos vſurpata, pro veris habent. Hæc etſi nonnunquam iniuſte, tamen de omnibus ita capitali iudicio affectis vulgo memorantur, tuum eſt autem Auguſte, non modo nihil iniuſte agere, ſed ne videri quidem agere. Nā ſufficit priuato, non peccare: principem eniti conuenit, vt à culpa etiam hominum opinione abſit. Hominibus enim non belluis imperas: eaque eſt vnica beneuolentiæ ipſorum veræ conſequēdæ ratio, ſi hoc ipſis omnino perſuadeas, nemini eorum te nec data opera nec contra voluntatem animi facturum iniuriam. Cogi quidem ad metuendum aliquem homo poteſt, ad amandum autem perſuaſione opus eſt, ea beneficiis in eum collocatis, quæque aliis videat tribui, paratur. At qui iniuſte aliquem morte adfectum ſuſpicatur, eandem ſibi fortunam metuens, cædis authorem vt odio habeat, impellitur. Porro autem inuiſum eſſe ſubditis, neque honeſtum eſt, & minime expedit. Hæc quippe hominum eſt ſententia, priuato omnes iniurias eſſe perſequendas, ne vel cōtemptui inde habeatur, vel opprimatur: Principem vero debere ea, quæ in publicam rem peccantur, vlciſci; priuatim in ſe admiſſa tolerare, quum qui ita deliquerint, neque ex contemptu, neque ex incurſu poſſint ipſum tanta ſeptum cuſtodia, damno adficere. Quæ ego audiens, ac in ea intuens, parum abſum, quin tibi ſuadeam, vt neminem omnino ob huiuſmodi cauſſam vita ſpo-[illegible] Nam in hoc principatus inſtituti ſunt, vt ſalu-

ti ſub-

ti ſubditorum conſulatur; ne inuicem, aut ab exteris iniurias accipiant: non profecto vt offenſi à ſubditis aliqua re principes, perdendi; ſed omnes potius, ſi fieri poſſit, conſeruandi poteſtatem habeant. Ac legibus quidem, beneficiis & admonitionibus eos princeps inſtituere debet, vt in officio maneant, ac præterea nihil poſſint: vitioſis mederi quodam modo, ac ſanare, ne prorſus pereant. Eſt vero magni animi, eximiæque naturæ, vulgo peccata ferre: quæ ſiquis omnia pro meritis punienda cogitet, imprudens maiorem hominum partē occidet. Proinde tibi cōſulo, ne quem poſthac talis alicuius facinoris cauſſa capite plectas; ſed alio quodam modo caſtiges, ne quid in poſterum rei grauis admittere poſſit. Quid enim mali tibi inferat in inſulam quamdam deportatꝰ, aut in villa, vel oppido, non modo abſque pecuniæ & ſeruitiorū copia, ſed etiam in cuſtodia poſitus, ſicuti res id requirit. Nam agentibus in vicinia hoſtibus, mariue abalienato, aut ſi in ipſa Italia vrbes muris & armis munitæ eſſent, quo perfugere ſontes poſſent, iisue occupatis terrorem nobis incutere, alia ratio ineūda eſſet. nunc cum omnia armis & munitionibus bellicis vacent, ac longiſſime abſint hoſtes, tot maribus, terris, mōtibus ac fluminib. inuiis interiectis, quis certum aliquem hominem metuat nudum, priuatum, hic in medio tui Imperii, ac intra tua arma incluſum? Ipſa ſane neque cogitaturum tale quid vllum, neque ſi maxime quis inſaniat, agere poſſe cenſeo. Ergo ab his qui nunc inſidiarum apud te rei facti ſunt, periculum facere incipiamus. fortaſſis & hi mutabunt ſententiam, & alios meliores facient.

Vides Cornelium nobilem, & fama clarum eſſe, humaniter etiam peccatum eius expendi par fortaſſis ſit. Non omnia gladius perficit (magnum enim bonum is eſſet, ſi emẽdare homines, ac perſuadere valeret; & ad ſuſcipiendum ſincerum amorem adigere) ſed vt corpus alicuius abolere poteſt, ita cæterorum animos à cædis authore auertit; qui non propter ſuppliciũ ſumptum vindicem amare, ſed ob metum mali odiſſe ſolent. Contra, quibus delicti venia eſt donata, pœnitudine ducti benefactorem lędere in poſterum verentur; ſed ſpe conſequendi maiora prȩmia, eum ſuis officiis colunt. videlicet qui affectus iniuria, ſalutem inferenti eam conceſſerit; eum omnes putant beneficia ſummopere compenſaturum. Morem itaque, mi vir, gere mihi, propoſitumque muta; conſecuturus hoc quoque, vt cætera à te grauius facta, neceſſitatem tibi extorſiſſe iudicetur. quia tantam vrbem ex populari forma Reip. in vnius hominis poteſtatẽ redigere ſine ſanguine, impoſſibile eſt, ꝙ ſi cœpta ratione perſeueraueris, videbere hæc quoq; duriora ſponte feciſſe.

His Liuiæ verbis adductus Auguſtus, omnes reos verbis caſtigatos indemnes dimiſit, Cornelio etiam Conſule deſignato: eoque facto ita ſibi omnium animos deuinxit, vt non modo inſidiæ contra ipſum nullæ deinde componerentur, ſed opinio quoque omnis earum intercideret.

VVLCATII GALLICANI V. C. Avidivs Cassivs

Ad Diocletianum Auguſtum.

Avidivs

AVIDIVS Caſſius, vt quidam volunt, ex familia Caſſiorum fuiſſe dicitur; per matrem tamen; *auo genitus Auidio Seuero, qui ordines duxerat, & poſt ad ſummas dignitates peruenerat, cuius Quadratus in hiſtoriis meminit: & quidem grauiter; cum illum ſummum virum & neceſſarium Reipubl. aſſerit, & apud ipſum Marcum præualidum, nam iam eo imperante periſſe fatali ſorte perhibetur. Hic ergo Caſſius ex familia (vt diximus) Caſſiorum, qui in Caium Iulium conſpirauerant, oderat tacite principatum, nec ferre poterat Imperatoriũ nomen: dicebatq; eſſe grauius nomen imperii, quod non poſſet è repub. tolli niſi per alterum imperatorem. Denique tentaſſe in pueritia dicitur extorquere etiam Pio principatum; ſed per patrem virum ſanctum & grauem, affectationem tyrannidis latuiſſe, habitum tamen ſemper ducibus ſuſpectum. Vero autem illum paraſſe inſidias, ipſius Veri epiſtola indicat, quam inſerui. Ex epiſtola Veri: Auidius Caſſius auidus eſt imperii; quantum & mihi videtur, & iam inde ſub auo meo patre tuo innotuit: quem velim obſeruari iubeas. Omnia ei noſtra diſplicent: opes non mediocres parat; literas noſtras ridet. Te philoſopham aniculam, me luxurioſum morionem appellat. Vide quid agendum ſit: ego hominem non odi: ſed vide ne tibi & liberis tuis non bene conſulas, quum tales inter præcinctos habeas, qualem milites libenter audiunt, libenter vident. Reſcriptum Marci de Auidio Caſſio: Epiſtolam tuam legi, & ſollicitam potius quam imperatoriam, & non noſtri temporis. Nam ſi ei diuinitus debetur imperium, nõ

poterimus interficere, etiam ſi velimus. Scis enim, proaui tui dictum, Succeſſorem ſuum nullus occidit. Sin minus, ipſe ſponte ſine crudelitate noſtra fatales laqueos inciderit. Adde quod nõ poſſumus reum facere quem nullus accuſat, & (vt ipſe dicis) milites amãt. Deinde in cauſis maieſtatis hæc natura eſt, vt videantur vim pati etiã quibus probatur. Scis enim ipſe quid auus tuus Adrianus dixerit, Miſera conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide niſi occiſis nõ poteſt credi. Eius autem exemplum ponere quam Domitiani, qui hoc primus dixiſſe fertur, malui. Tyrannorum enim etiam bona dicta non habẽt tantum autoritatis quantum debent. Sibi ergo habeat ſuos mores: maxime cum bonus dux ſit & ſeuerus, & fortis, & reipub. neceſſarius. Nã quod dicis liberis meis cauendum eſſe morte illius, plane liberi mei pereant, ſi magis amari merebitur Auidius quam illi, & ſi reipubl. expedit Caſſium viuere quam liberos Marci. Hæc de Caſſio Verus, hæc Marcus. Sed hominis naturam & mores breuiter explicabimus. Neque enim plura de his ſciri poſſunt, quorum vitam illuſtrare nullus audet, eorum cauſsâ à quibus oppreſſi fuerint. Addemus autem quemadmodum ad imperium venerit, & quemadmodum ſit occiſus, & vbi victus. Propoſui enim, Diocletiane Auguſte, omnes qui imperatorum nomen ſiue iuſte ſiue iniuſte habuerunt, in literas mittere; vt omnes purpuratos Auguſtos cognoſceres. Fuit his moribus, vt nonnunquam trux & aſper videretur, aliquando mitis & lenis; ſæpe religioſus, alias contemptor ſacrorum; auidus vini, interim abſtinens; cibi appetens,

petens, & inediæ patiens; veneris cupidus, & caſtitatis amator. Nec defuêre qui illum Catilinam vocarent; cum & ipſe ſe ita gauderet appellari, addens futurum ſe Sergium, ſi dialogiſtam occidiſſet; Antoninum hoc nomine ſignificans: qui tantum enituit in philoſophia, vt iturus ad bellum Marcomannicum, timentibus cunctis, ne quid fatale proueniret, rogatus ſit non adulatione ſed ſerio, vt præcepta philoſophiæ ederet: nec ille timuit, ſed per ordinem parænesſeos, hoc eſt, præceptionũ, per triduum diſputauit. Fuit præterea diſciplinæ militaris Auidius Caſſius tenax, & qui ſe Marium dici vellet. Quoniã de ſeueritate illius dicere cœpimus, multa extãt crudelitatis potius, quam ſeueritatis eius indicia. Nam primum milites qui aliquid prouincialibus tuliſſent per vim, in illis ipſis locis in quibus peccauerãt, in crucem ſuſtulit. Primus etiam id ſupplicii genus inuenit, vt ſtipitem grãdem poneret pedum octoginta & centum, id eſt, materiam, & à ſummo vſque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incenſiſque aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluẽtem mergi iubebat, vel in mare. Idem multis deſertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites; dicens maius exemplum eſſe viuẽtis miſerabiliter criminoſi, quam occiſi. Quum exercitum duceret, & inſcio ipſo manus auxiliaria centurionibus ſuis auctoribus, tria millia Sarmatarum negligentius agentium in Danubii ripis occidiſſent, & cum prędа ingenti ad eum rediiſſent, ſperantibus centurionibus præmium, quod perparua manu tãtum

hoſtium, ſegnius agentibus tribunis & ignorantibus occidiſſent, rapi eos iuſſit, & in crucem tolli, ſeruilique ſupplicio affici; quod exemplum non extabat, dicens euenire potuiſſe, vt eſſent inſidiæ, ac periret Romani imperii reuerentia. Et cum ingens ſeditio in exercitu exorta eſſet, proceſſit nudus, campeſtri ſolo tectus; & ait: Percutite, (inquit) me, ſi audetis; & corruptæ diſciplinæ facinus addite. Tunc conquieſcentibus cunctis meruit timeri, quia non timuit. Quæ res tantum diſciplinę Romanis addidit, tantum terroris barbaris iniecit, vt pacem annorũ centum ab Antonino abſente peterent: ſiquidem viderant damnatos Romani iudicio ducis, etiam eos qui cõtra fas vicerant. De hoc multa grauia cõtra militum licentiam facta inueniuntur apud Æmilium Parthenianum, qui affectatores tyrãnidis iam inde à veteribus hiſtoriæ tradidit. Nam & virgis cæſos in foro & in mediis caſtris ſecuri percuſſit, qui ita meruerunt, & manus multis amputauit. Et præter laridum ac buccellatum atque acetum, militẽ in expeditione (quidquam) portare prohibuit: & ſi aliud quippiã reperit, luxuriem non leui ſupplicio affecit. Extat de hoc epiſtola Diui Marci ad præfectũ ſuum talis: Auidio Caſſio legiones Syriacas dedi diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes: quas totas excaldantes ſe reperiſſe Cęſonius Vectilianus ſcripſit, & puto me non erraſſe; ſiquidem & tu notum habeas Caſſium, hominem Caſſianæ ſeueritatis & diſciplinæ, neque enim milites regi poſſunt niſi in vetere diſciplina. Scis enim verſum à bono Poeta dictum & omnibus frequentatum,

Moribus

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſq;.
Tu tantum fac adſint legionibus abũde commeatus. quos (ſi bene Auidium noui) ſcio non perituros. Præfecti ad Marcum: Recte cõſuluiſti, mi domine; quod Caſſium præfeciſti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit, quam homo ſeuerior Græcanicis militibus. Ille ſane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo & ſinu, militi excutiet. Annona militaris omnis parata eſt, neque quidquam deeſt ſub bono duce: non enim multum aut quæritur aut impeditur. Nec fefellit de ſe iudicium habitum. Nam ſtatim & ad ſigna edici iuſſit, & programma in parietibus fixit, vt ſi quis cinctus inueniretur, apud Daphnem, diſcinctus rediret. Arma militum ſeptima die ſemper reſpexit, veſtimenta etiam & calciamenta & ocreas, delicias omnes de caſtris ſubmouit: iuſſitq; eos hyemem ſub pellibus agere, niſi corrigerent ſuos mores: & egiſſent, niſi honeſtius vixiſſent. Exercitium ſeptimi diei fuit omnium militum, ita vt ſagittas mitterent, & armis luderent. Dicebat enim miſerum eſſe, cum exercerentur Athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites; quibus minor eſſet futurus labor, ſi conſuetus eſſet. Ergo correcta diſciplina, & in Armenia & in Arabia & in Ægypto res optime geſſit: amatuſq; eſt ab omnibus orientalibus, & ſpeciatim ab Antiochenſibus: qui etiam imperio eius conſenſerunt; vt docet Marius Maximus in vita D. Marci. Nam & cum Bucolici milites per Ægyptum grauia multa facerent, ab hoc retuſi ſunt; vt idẽ Marius Maximus refert in eo libro, quem ſecundum de vita Marci & Antonini edidit. Hic Imperatorẽ

ſe in oriente appellauit, vt quidam dicunt, Fauſtina volente, quæ valetudini Marci iam diffidebat, & timebat, ne infantes filios tueri ſola non poſſet, atque aliquis exſiſteret, qui captã ſtatione regia infantes de medio tolleret. Alii autem dicũt hanc artem adhibuiſſe militibus & prouincialib. Caſſium cõtra Marci amorem, vt ſibi poſſet conſentiri; quo diceret Marcum diem ſuum obiiſſe. Nam & Diuum eum appellaſſe dicitur, vt deſiderium illius leniret, Imperatorio nomine cũ proceſſiſſet, eum qui ſibi optauerat ornamenta regia, ſtatim præfectum prætorii fecit; qui & ipſe occiſus eſt, Antonino inuito, ab exercitu: qui & Metianum, cui erat commiſſa Alexandria, quiq; conſenſerat ſpe participatus Caſſio, inuito, atq; ignorante Antonino interemit. Nec tamen Antoninus grauiter eſt iratus, rebellione cognita; nec in eius liberos aut affectus ſæuiit. Senatus illum hoſtem appellauit, bonaque eius proſcripſit; quæ Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit, quare Senatu præcipiente in ærarium publicum ſunt relata. Nec Romæ terror defuit, cum quidã Auidium Caſſium dicerent, abſente Antonino, qui niſi à voluptariis vnice amabatur, Romam eſſe venturum, atque vrbem tyrannice direpturũ; maximè ſenatorum cauſſa, qui eum hoſtem iudicauerãt bonis proſcriptis. Et amor Antonini hoc maxime enituit, quod conſenſu omnium præter Antiochenſes Auidius interemptus eſt: quẽ quidem occidi non iuſſit, ſed paſſus eſt, cũ apud cunctos clarum eſſet, ſi poteſtatis ſuæ fuiſſet, parſurũ illi fuiſſe. Caput eius ad Antoninum cum delatũ eſſet, ille non exultauit, non elatus eſt: ſed etiam

doluit,ereptam ſibi eſſe occaſionẽ miſericordiæ, cum diceret,ſe viuum voluiſſe illum capere,vt illi exprobraret beneficia ſua,eumque ſeruaret. Denique cum quidam diceret, reprehendendũ Antoninum quòd tam mitis eſſet in hoſtem ſuum, eiuſque liberos & affectus,atq; omnes quos conſcios tyrannidis reperiſſet,addente illo,qui reprehendebat, Quid ſi ille feciſſet? dixiſſe dicitur, Nõ ſic deos coluimus,nec ſic viximus, vt ille nos vinceret. Enumerauit deinde omnes principes qui occiſi eſſent, habuiſſe cauſas, quibus mererentur occidi:nec quenquam facile bonum vel victum à tyranno, vel occiſum; dicens, meruiſſe Neronẽ, debuiſſe Caligulã,Othonẽ & Vitelliũ nec imperare voluiſſe. Nã de Pertinace & Galba paria ſentiebat, cum diceret, In Imperatore auaritiã eſſe acerbiſſimum malum. Denique non Auguſtum, non Traianum, non Adrianũ, non patrem ſuum, à rebellib. potuiſſe ſuperari,cum & multi fuerint, & ipſis vel inuitis vel inſciis extincti. Ipſe autem Antoninus à ſenatu petiit ne grauiter in conſcios defectionis animaduerteretur, eo ipſo tempore, quo rogauit, ne quis ſenator temporibus ſuis capitali ſupplicio afficeretur: quod illi maximum amorem conciliauit. Denique pauciſſimis centurionibus punitis, deportatos reuocari iuſſit. Antiochenſibus qui Auidio Caſſio cõſenſerant,ſed & aliis ciuitatibus quæ illum iuuerant, ignouit: quum primo Antiochẽſibus grauiter iratus eſſet, hiſque ſpectacula ſuſtuliſſet, & multa alia ciuitatis ornamenta; quæ poſtea reddidit. Filios Auidii Caſſii Antoninus Marcus parte media paterni matrimonii donauit:ita vt filios eius auro,argen-

to & gẽmis honeſtaret. Nã & Alexãdriç filię Caſſii & genero Druentiano liberã euagãdi poteſtatem vbi vellent dedit: vixerũtq; non quaſi tyranni pignora, ſed quaſi ſenatorii ordinis in ſumma ſecuritate: cum illis etiam in lite obiici fortunam propriæ vetuiſſet domus, damnatis aliquibus ob iniuriam, quod in eos petulantes fuiſſent: quos quidem amitæ ſuæ marito commendauit. Si quis autem omnem hanc hiſtoriam ſcire deſiderat, legat Marii Maximi ſecundum librum de vita Marci, in quo ille ea dicit quæ ſolum Marcus mortuo iam Vero egit, tunc enim Caſſius rebellauit; vt probat epiſtola miſſa ad Fauſtinam; cuius hoc exemplũ eſt: Verus mihi de Auidio verum ſcripſerat, quod cuperet imperare. Audiſſe enim te arbitror, quod æruſcatores de eo nuntiarent. Veni igitur in Albanum, vt tractemus omnia diis volẽtibus, nihil timens. Hic autem apparet, Fauſtinam iſta neſciſſe: cum dicat Marius, infamari eam cupiens, quod ea conſcia Caſſius imperiũ ſumpſiſſet. Nam & ipſius epiſtola extat ad Verũ, qua vrget Marcum, vt in eum grauiter vindicet. Exemplum epiſtolæ Fauſtinæ ad Marcum: Ipſa in Albanum cras, vt iubes, mox veniã: tamen iam hortor vt, ſi amas liberos tuos, iſtos rebelliones acerrime proſequaris. Male enim aſſueuerunt & duces & milites: qui niſi opprimantur, opprimens. Item alia epiſtola eiuſdem Fauſtinæ ad Marcum: Mater mea Fauſtina patrem tuum Pium eiuſdem in defectione Celſi ſic hortata eſt, vt pietatẽ primum circa ſuos ſeruaret, ſic circa alienos. Non enim pius eſt Imperator qui non cogitat vxorem & filios. Commodus noſter vides in qua ętate ſit:

Pompeia-

Pompeian' gener & ſenior eſt & peregrinus. Vide quid agas de Auidio Caſſio & de eius conſciis. Noli parcere hominibus qui tibi nõ pepercerũt; & nec mihi, nec filiis noſtris parcerẽt, ſi viciſſent. Ipſa iter tuum mox conſequor: quia Fadilla noſtra ægrotabat, in Formianum venire non potui, ſed ſi te Formiis inuenire non potero, aſſequar Capuam: quæ ciuitas & meam & filiorũ noſtrorum ęgritudinẽ poterit adiuuare. Soteridam medicum in Formianum vt dimittas, rogo. Ego autem Piſitheo nihil credo, qui puellæ virgini curationẽ neſcit adhibere. Signatas mihi literas Calphurnius dedit: ad quas reſcribam, ſi tardauero, per Cæcilium ſenem ſpadonẽ, hominem (vt ſcis) fidelem: cui verbo mandabo quid vxor Auidii Caſſii, & filii, & gener, de te iactare dicantur. Ex his literis intelligitur Caſſio Fauſtinam conſciam non fuiſſe; quin etiam ſupplicium grauiter exegiſſe: ſiquidem Antoninum quieſcentem & clementiora cogitantem, ad vindictæ neceſſitatem impulit. Qui Antoninus quid reſcripſerit, ſubdita epiſtola perdocebit: Tu quidem mea Fauſtina religioſe pro marito & pro noſtris liberis agis; Nam relegi epiſtolam tuam in Formiano, qua me hortaris, vt in Auidii conſcios vindicem; Ego vero & eius liberis parcam, & genero, & vxori; & ad Senatũ ſcribam, ne aut proſcriptio grauior ſit, aut pœna crudelior. Nõ enim quidquã eſt, quod Imperatorem Romanum melius cõmendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæſarem deum fecit, hæc Auguſtum cẽſecrauit, hæc patrem tuum inprimis Pii nomine ornauit. Denique ſi ex mea ſententia de bello iudicatum eſſet, nec Auidi' eſ-

ſet occiſus. Eſto igitur ſecura: dii me tuentur, diis pietas mea cordi eſt. Pompeianum noſtrum in annum ſequentem conſulem dixi. Hæc Antoninus ad cõiugem. Ad Senatum autem qualem orationẽ miſerit, intereſt ſcire ex oratione M. Antonini. Habetis igitur P. C. pro gratulatione victoriæ generum meum conſulem, Pompeianũ dico: cuius ætas olim remuneranda fuerat conſulatu, niſi viri fortes interueniſſent, quibus reddi debuit, quod à repub. debebatur. Nunc quod ad defectionem Caſſianam pertinet, vos oro atq; obſecro P. C. vt cenſura veſtra depoſita meam pietatem clementiamque ſeruetis: Imo veſtram: neque quenquam vllum Senatus occidat, nemo Senatorum puniatur, nullus fundatur viri nobilis ſanguis: deportati redeant; proſcripti bona recipiant. Vtinam poſſem multos etiam ab inferis excitare. Non enim vnquam placet in Imperatore vindicta ſui doloris; quæ etſi iuſtior fuerit, acrior videtur. Quare filiis Auidii Caſſii & genero & vxori, veniam dabitis. Et quid dico veniam? cũ illi nihil fecerint. Viuant igitur ſecuri, ſciẽtes ſub Marco ſe viuere. Viuant in patrimonio parentũ pro parte donato: auro, argento, veſtibus fruãtur: ſint diuites, ſint ſecuri, ſint vagi & liberi, & per ora omnium vbique populorum circumferãt meæ, circũferant veſtræ pietatis exemplum. Nec magna hæc eſt P. C. clementia, veniam proſcriptorum liberis & coniugibus dari. Ego vero à vobis peto, vt cõſcios ſenatorii ordinis & equeſtris à cæde, à proſcriptione, à timore, ab infamia, ab inuidia, & poſtremo ab omni vindicetis iniuria: detiſque hoc meis temporibus, vt in cauſſa tyrã-
nidis

nidis, qui in tumultu cecidit, probetur occiſus. Hanc eius clemẽtiam Senatus his acclamationibus proſecutus eſt: Antonine pie dii te ſeruent: Antonine clemens dii te ſeruent, Antonine clemens dii te ſeruẽt. Tu noluiſti quod licebat; nos fecimus, quod decebat. Cõmodo imperium iuſtum rogamus; progeniem tuam robora. Fac ſecuri ſint liberi tui: bonum imperium nulla vis lędit. Commodo Antonino Tribunitiam poteſtatem rogamus, præſentiam tuam rogamus philoſophiæ tuæ, patientiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitatis tuæ, innocentiæ tuæ. Vincis inimicos, hoſtes exſuperas: dii te tuẽtur: & reliqua. Vixerũt igitur poſteri Auidii Caſſii ſecuri, & ad honores admiſſi ſunt. Sed eos Cõmodus Antoninus poſt exceſſum diui patris ſui, omnes viuos incendi iuſſit; quaſi in factione deprehenſos. Hæc ſunt quę de Caſſio Auidio cõperimus: cuius ipſius mores (vt ſupra diximus) varii ſemper fuerunt, ſed ad cenſuram crudelitatemque propenſiores: qui ſi obtinuiſſet imperium, fuiſſet non modo clemẽs, ſed bonus, ſed vtilis & optimus Imperator. Nam extat epiſtola eius ad generum ſuum iam Imperatoris huiuſmodi: Miſera reſpubl. quæ iſtos diuitiarum cupidos & diuites patitur miſera, Marc⁹ homo ſane optimus; qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere, quorũ ipſe non probat vitam. Vbi L. Caſſius, cuius nos fruſtra tenet nomẽ? Vbi Marcus ille Cato cenſorius? vbi omnis diſciplina maiorum? quæ olim quidem intercidit, nunc vero nec quæritur. Marcus Antoninus philoſophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honeſto & iuſto, nec ſentit pro republ. Vides

multis opus eſſe gladiis, multis elogiis, vt in antiquum ſtatum publica forma reddatur. Ego vero iſtis præſidibus prouinciarum, an ego proconſules, an ego præſides putem, qui ob hoc ſibi à Senatu, & ab Antonino prouincias datas credunt, vt luxurientur, vt diuites fiant? audiſti præf. prætorii noſtri philoſophi, ante triduum quam fieret, mendicum & pauperem; ſed ſubito diuitem factum. Vnde quæſo, niſi de viſcerib. reipubl. prouincialiumque fortunis? Sint ſane diuites, ſint locupletes; ærarium publicum reſarcient. tantum dii faueant bonis partibus. reddant Caſſiani reipub. principatũ. Hæc epiſtola eius indicat, quam ſeuerus & quam triſtis futurus fuerit Imperator.

IOHANNIS CHRYSOSTOMI
Homilia

In Eutropium eunuchum patricium ac cõſulem, præfectumq; cubiculi Arcadii Auguſti, cum offenſo principe deliteſceret ſub altari eccleſia, cui ipſe antea ius aſyli abrogare conatus fuerat.

Sigismvndo Gelenio *interprete.*

SI vnquam antea, nunc maxime licet dicere, Vanitas vanitatum, omnia vanitas. Vbi nunc inclytus ille conſulatus ſplendor? vbi illuſtres illæ faces? vbi applauſus illi ac choreæ, epulæq; & feſti conuentus? vbi coronæ & aulea? vbi ſtrepitus vrbis & ille Circenſium ſpectatorũ fauſtæ acclamationes atq; adulationes? omnia illa perierunt: procella vehemens folia deiecit, arborem ſpoliatam

tam

tam reddidit,iam radicitus vacillantem: tantaque vis venti impacta eſt, vt cum neruos eius vniuerſos concuſſerit, tum ipſam funditus proſternere minetur. vbi nūc fucati illi amici? vbi compotationes & cœnæ? vbi paraſitorum examen,& merum per totum diem exhauſtum, variæq; coquorum artes, & potentatus cultores, illi ad gratiam omnia dicere ac facere aſſueti? omnia illa nihil niſi nocturnum ſomnium fuerunt, apparente die euaneſcens. Flores fuerunt verni, vere exacto emarcuerūt omnia. vmbra erant & præterierunt. fumus erant, & ſoluta ſunt: bullæ erant,& dirupta ſunt: araneæ erant,& lacerata ſunt. Quapropter ſpirituale hoc dictum occinimus,indeſinenter dicentes, Vanitas vanitatum, omnia vanitas. hoc enim dictum in parietibus, in veſtibus,in foro, in ædibus, in viis, in feneſtris, in ianuis, ſed potiſſimum ipſa cuiuſque conſcientia continētet inſcriptum oportet, omniq; tempore cognitioni obſeruari: quandoquidem negotia fraudulenta & perſonata ac inimica veritatis opinionē apud pleróſque ſibi parauerunt, hoc dicto, in prandio, in cœna, in cætu hominum quemque proximum ſuum compellare oportebat, idemque ab illo viciſſim audire, nēpe quod vanitas vanitatū, omnia vanitas. An non aſſidue tibi dicebam fugitiuas eſſe diuitias? tu vero nos non ferebas. An non dicebam fugitiui ſerui naturam eas habere? tu vero credere nolebas. ecce experientia docuit, quod non ſolum fugitiuæ & ingratæ, ſed homicidę etiā ſunt, vt quæ in metum nunc te coniecerint. Nonne dicebam tibi cum me indeſinenter obiurgares vera monentem, quod ego tibi potius amicus

eſſem, quã adulatores, ego redargutor maiorem tui curam gererem, quam hi qui tibi per omnia obſequerentur? nonne & hoc addebam, fide digniora eſſe vulnera ab amicis, quam vltro ingerētia ſe oſcula inimicorum? Si mea vulnera tuliſſes haudquaquam tibi illorum oſcula hoc exitiũ attuliſſent. mea enim vulnera ſanitatem afferunt: illorum oſcula morbum immedicabilẽ tibi conciliauerunt. vbi nunc pocillatores tui? vbi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuaſq; laudes paſſim apud omnes deprędicabant? Tranſfugerunt, deſeruerunt tuam amicitiam, ſuam ſecuritatem tuis periculis quærunt. At non tales nos, ſed & nunc quamuis ægreferentem non deſtituimus, & nunc collapſum protegimus, accuramus. Eccleſia à te hoſtiliter habita expanſo ſinu te ſuſcepit: theatra autẽ magnis obſequiis à te culta, quorum cauſa ſæpius nobis infenſus fuiſti, & prodiderunt te & perdiderunt, attamen nunquam deſtitimus his te verbis alloqui. cur ita facis? in eccleſiam debaccharis, & teipſum in præcipitem agis & tu hæc omnia monita neglectim prætercurrebas, & Circenſis quidem multitudo exhauſtis in ſe tuis facultatibus gladium in te acuit: eccleſia vero tuo furore exagitata vltro citroque curſitat, ſi quo pacto te ex his caſibus implicitum extricare queat: & hæc nunc dico non quo proſtrato inſultem, ſed quod eos qui adhuc ſtant, tutiores reddere cupiam: nec vt plagas vulnerati refricem, ſed vt nondum vulneratos in ſanitate conſeruem: non vt iactatum fluctibus demergam, ſed vt eos qui ſecundis auris nauigant erudiam, ne forte cum ipſo nauigio in profundum deferan-

deferantur. Quo autem modo caueri poſſit? Nimirum ſi rerum humanarum mutabilitates conſideremus. Si enim iſte mutationẽ timuiſſet, nũc eam non pateretur. Sed quoniam iſte nec domeſticis nec alienis conſiliis corrigi potuit, vos ſalutem qui diuitiis extollimini huius calamitatẽ in veſtrum profectum cõuertite. Nihil enim eſt humanis rebus infirmius. quapropter quocunque nomine earum vilitatem ſignificaueris, minus quam pro rei veritate dixeris: vel ſi fumũ eas vel fœnum, vel ſomnium, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaueris: vſque adeo ſunt fragiles, & magis nihil quam nihil ipſum. Quod autẽ non ſolum nihil ſint, ſed & in præcipiti ſtent, vel hinc apparet. Quis hoc homine fuit excelſior? nonne in toto orbe diuitiis præcellebat? nõne ad ipſa faſtigia honorum conſcendit? nonne omnes eum formidabãt ac verebantur? Sed ecce factus eſt & vinctis miſerior, & ſeruis miſerabilior, & mendicis fame tabeſcentibus indigentior, per ſingulos dies gladios præ oculis habens in ſe exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam quæ ad ſuppliciũ ducit: ac neque memoria præteritarum voluptatum fruitur, immo ne lucẽ quidem communi, ſed meridie quoque tanquam in dẽſiſſima nocte anguſtiis parietũ incluſus, oculorum viſu priuatur: Et quorſum hęc commemorare attinet, cũ quantumuis adnitar, nullis verbis exprimere valeam quis illi animus ſit, per ſingulas horas capitis ſupplicium expectanti: aut quid noſtris verbis opus eſt, cũ ipſius calamitatis imago ob oculos noſtros verſetur? Nuper namq; miſſis ad eum à rege qui vel per vim hominem pertraheret, cum ad ſacra-

ria confugiſſet, buxo pallidior factus, nunc quoque nihilo meliorem quam mortui colorem obtinet. Accedit huc dentium arietatio, tremor totius corporis, vox ſingultiens & lingua titubans, in ſumma talis habitus, qualem oporteat habere animam quæ iam metu diriguiſſet. Hæc dico non exprobrandi cauſa, neque inſultans eius infortunio, ſed vt veſtrum animum molliam, & ad commiſerationem pertraham, eoſq; inducam, vt præſenti hominis pœna ſit cõtentus, quoniam enim multi ſunt è noſtris adeo inhumani, vt nos etiam incuſent, qui eum ſuſcepimus, illorum duritiem noſtris ſermonibus mollire volens, miſerias iſtius traduco. Quid enim eſt, quæſo, dilecte, quod indigne fers? dices: quia in eccleſiam confugit, qui eam indeſinenter impugnabat. Atqui hoc potiſſimũ nomine glorificandus erat Deus, quod permiſit eum in tanta cõſtitui neceſſitate, vt & potẽtiam eccleſiæ & clementiam diſceret: potentiam, eo quod tantam inciderit mutationem ob ſimultatem quam cum illa habebat: clementiam vero, quod infeſtatorem ſuum obiecto nũc ſcuto protegat, & alarum obtentũ tueatur, præteritarumque iniuriarum oblita, ſinus ei amantiſſime pandat. hoc enim quouis trophæo ſplendidius, quauis victoria illuſtrius. hoc Ethnicos, hoc Iudæos pudefacit. hoc placiditatem vultus eius oſtentat, quod hoſti captiuo parcat, & ab omnibus deſertum, & contemptum vt amantiſſima mater ſuis velamentis occultet, regis ſimul iræ, & intolerabili populi furori ac odio ſe opponens. Hoc ipſum eſt eximium altaris ornamentum. Dices: hoccine ornamentum hominem ſceleſtum, auarum, rapacem

pacem altaria contingere? Caue talia dixeris: quãdoquidem & meretrix pedes ipſius Chriſti contigit, inceſta illa & impurata: nec tamẽ hoc crimẽ domino Ieſu ceſſit, ſed in laudem magnam & admirationem: neque enim purum impura offendit, nec ſceleſtam meretricem purus & inculpabilis ſuo contactu purificauit: caue iniuriarum memineris ô homo. Crucifixi illius ſerui ſumus dicẽtis: Remittite illis: non enim ſciunt quid faciant. Dicent: at præcluſit huius loci refugium, legibus ſcriptis quibus hoc irritum facere conatus eſt. At nunc re ipſa didicit quale ſit quod fecit: & ſuomet facto legem ſuam primus abrogauit factus orbis totius ſpectaculum: & ſileat licet, omnes tamen admonet: nolite hæc facere, ne qualia ego, patiamini. Sua calamitate alios docet, & altare hoc ipſum illuſtrem ex ſe ſplendorem emittit, ac venerationem ſibi comparat, quod leonem vinctum contineat, quandoquidẽ & regię effigiei nõ tantum ornatus ex eo contingat, ſi ſolio rex ſublimis ſedeat purpuratus & diademate redimitus, quantum ſi ſub pedibus quoque regiis barbari manib. poſt terga reuinctis proni iacent, & quod hæc nõ verba modo ſint ad perſuadẽdum parata, voſmet feſtinatione veſtra ac concurſu atteſtamini. Etenim pręclarum hoc vobis ſpectaculum & hilaris cõuentus contigit: nec minorem nunc video populi frequẽtiam, quam in proxima ſacrata paſchæ celebritate, adeo exciti eſtis iſtius ſilentio, quod in præſentiarum quauis tuba clariorem ſonum emittit, & virgines penetralibus, & mulieres gynęceis, & viri foro vacuo relicto, vniuerſi huc cõcurriſtis, vt humanam naturam traduci videretis, &

ſecularium n[illegible]tiorum momentaneam mutabilitatem deteg[illegible]lamque in republica verſantium ſpeciem, heri ac nudiuſtertius præclariſſime ſplẽdentem, talis enim eſt ex alienis iniuriis felicitas, quauis anicula rugoſa deformior demonſtrata, mutatione reipublicę, ac ſi ſpõgia eius tectoria fucoſque abolente, tanta nempe eſt huius infortunii vis, quę virum felicem ac conſpicuum, nunc omnium abiectiſſimum reddidit. Introeat diues aliquis, & magnam vtilitatem percipiet: videns enim à tam celſo faſtigio delapſum eum qui totum orbem nutu concutiebat, ac formidine cõtractum, quauiſq; rana aut lepore timidiorem, & abſque vinculis columnæ huic hærentem, & vice catenæ timore affixum trementemque deprimet faſtum ſuum: & cõſideratis quæ in humanis caſibus conſideranda ſunt, diſcedet re ipſa doctus, quæ verbis ſcripturæ nos docent. Quale eſt illud: omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos eius decidit. Item illud: Sicut fœnum cito areſcent, & ſicut olera virentia cito decident: quoniam ſicut fumus dies eorum ſunt, & reliqua ſimilia. Cõtra pauper introgreſſus, & hoc ſpectaculum animaduertens, non diſplicet ſibi ipſe, neque ſortem ſuã deplorat: ſed gratias inſuper paupertati habet, quæ ſibi & aſyli vice ſit tutiſſimi & portus tranquilliſſimi, & arcis munitiſſimæ: & his viſis, ſi detur optio, mallet præſenti conditione contentus eſſe, quam omnium facultatibus pauliſper occupatis, mox in proprii ſanguinis periculum venire. Vides quod non parua vtilitas diuitibus & pauperibus, celſis & humilibus, ſeruis & ingenuis ex hoc iſtius refugio enata eſt? Vides vt cũ

remedio quiſque hinc abit, huius rei ſpectaculo affectus ſuos curaturus? Num igitur molliui veſtros animos, aut indignationem expuli? num inhumanitatem extinxi? num ad commiſerationẽ adduxi? quidem adduxiſſe me opinor: idq; ex vultibus veſtris ac lachrymis colligo, quandoquidem igitur terra cordis veſtri in pinguem & fertilem agrum verſa eſt, age iam fructum quoque miſericordiæ proferentes, flauenteſque commiſerationis ſpicas præ ſe ferentes, procumbamus regi ad genua: vel potius deprecemur benigniſſimũ Deum, vt molliat iram regis, & cor illi tenerum dare dignetur, quo hanc gratiã integrã ab ipſo auferre poſſimus: iam enim ex illo die quo huc confugit iſte, non parua eſt facta mutatio. Poſtquam enim cognouit rex eum ad aſylum hoc ſe recepiſſe, affluente milite & concitato ob eius crimina, depoſcente hominem ad ſupplicium, longam habuit orationem qua militarem indignationem compeſceret, poſtulans vt nõ culparũ modo, ſed etiam recte factorum rationem haberent: vt qui pro illis gratiam haberet, & ſiquid humanum ſecus accidiſſet, ignoſcendum duceret. cum autem illi de integro vrgerent ad vindictam læſi regis, clamantes, exilientes, ad mortem depoſcẽtes, haſtas vibrantes: tum vero ne à lachrymis quidẽ clementiſſimis ſuis oculis temperans & ſacroſanctæ menſę ad quam perfugerat, religionem illis incutiens, ægre tandem iram eorum ſedauit. Admoneamus igitur nos quoque quæ à nobis adhiberi par eſt. Qua enim ipſi venia digni eſſetis, ſi rege propriam iniuriam condonante & oblito, vos nihil tale paſſi in ira obſtinate pergatis? aut quomo-

do hoc cœtu ſoluto ſacramenta contrectabitis & precationem illam dicetis, qua rogare iubemur: Remitte nobis quemadmodum etiam nos remittimus debitoribus noſtris, ſi à debitore veſtro pœnas exigatis? iniuriis vos forte magnis affecit ac contumeliis? ne nos quidem iſtud inficias ibimus. Sed non tribunalis præſens eſt tempus, ſed miſericordiæ potius: non repetundarum, ſed clementiæ: nō examinationis, ſed condemnationis: non ſuffragiorum ac calculorum, ſed miſericordiæ ac gratiæ. Ne igitur quis veſtrum accendatur, neue ęgre ferat, ſed potius mitiſſimum Deum deprecemur, vt reo vitam proroget, eumque ex impendente cæde eripiat, vt ipſe errata ſua corrigat: & communi opera interpellemus clementiſſimũ regē pro eccleſia & altari, vnum hominem ſacroſanctæ menſæ donari obſecrantes. Quod ſi fecerimus, & regi gratum faciemus, & Deus vel magis quam rex factũ noſtrum approbabit, magnāq; nobis huius humanitatis mercedē retribuet. Sicut enim crudelem & inhumanum auerſatur & odit: ita miſericordem & humanum amplectitur & amat: eique ſiue iuſtus ſit, ſplendidiores plectit coronas: ſiue peccator, peccata eius diſſimulat, commiſerationis erga conſeruum rationem illi retribuens. Miſericordiam volo, inquit, & nō ſacrificium, & per vniuerſam ſcripturam vides eum ſemper hoc requirere, atque hanc peccatorũ medelā adhibere. Proinde nos quoque ad hunc modum illum propitiemus: ſic enim peccata noſtra redimemus, ſic eccleſiam ornabimus, ſic & regem clementiſſimum, vt dixi, demerebimur: ita fiet vt vniuerſus populus nobis applaudat, & vſque ad

fines

fines orbis terræ humanitatis & clemẽtiæ noſtræ rumor celebretur, mercedemq; ſimus vbiq; terrarum laudem noſtri facti recepturi. Vt igitur talibus bonis frui contingat, accedamus ad genua, obteſtemur, deprecemur: eripiamus è periculis captiuum, profugum, ſupplicem, vt & ipſi futura bona conſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum. Amen.

NIC. MACCHIAVELLI
Politicarum ad Tit. Liuium Diſputationum CAP. VI.
DE CONIVRATIONIBVS.

NON negligendam hoc loco exiſtimaui diſputationẽ de coniurationbus, quod eæ res ſint magni admodũ momenti, & periculoſæ cũ priuatis, tum principibus viris, vſque adeo, vt per haſce plures imperio vitaque ſpoliati fuerint, quã aperto bello. Cuius rei ratio eſt, quod aperto Marte cum principe dimicare pauci poſſunt: ſed aduerſus illum coniurare, quibuslibet licet. Quod etſi ita ſit, tamen nihil eſt in hoc vniuerſo mundo tam periculoſum homini priuato, pernicioſumque, quam ſi coniurationibus ſeſe implicuerit, atque miſcuerit. Nam quocunque modo illæ tractentur, tamen periculis vndique ſcatent maximis: atq; hinc fit vt multę quidem fiant coniurationes, ſed pauciſſimæ ſortiantur finem propoſitum. Itaque de illis copioſe diſputare decre-

ui hoc loco, cum vt principes diſcăt cauere ſibi ab earum periculis: tum vt priuati homines minus audaces ſint, ad coniurationes attentandas, magiſq; patiĕter ferant ſeruitutis iugum, quodcunq; fortuna illis impoſuerit. Veriſſimum enim eſt, quod inquit Cornelius Tacit⁹, res præteritas ſuſpiciendas, & in honore habendas eſſe, præſentes ferendas, bonos principes expetĕdos: ſed eos qui iam imperant ferendos tolerandoſque eſſe qualeſcunque fuerint. Qui ſecus faciunt, perſæpe in cauſſa ſunt, cum ſui tum patriæ interitus, atque ruinæ. Hanc igitur diſputationem aggrediemur nunc: & primo aduertemus, quinam vel aduerſus patriam, vel contra principem coniurare homines potiſſimum ſoleant: noſq; etiam de publico hoc genere potiſſimũ diſputabimus. Nam de iis coniurationibus, quibus vel vrbs aliqua obſeſſa hoſti traditur, vel ſimile quippiam perpetratur, antea ſatis diſputatũ eſt. Quæ aduerſus principem attentătur, variis de cauſſis fieri ſolent, ſed inter omnes alias maximum momentum habere ſolet populi odium, aduerſus Principem conceptum. Nam quem populus vniuerſus odit, eum neceſſe eſt multos læſiſſe, & multos habere, qui cum vehemĕter offenſi ſint, de vindicta cogitĕt: quorum cogitationes magis magiſq; confirmentur, ex communi totius populi odio. Itaque ad euitanda hæc pericula, cauere ſibi debĕt principes à populi odio, & eius beneuolentiã ſibi conciliare iis artibus, de quibus alibi diſputatum à nobis eſt. Quod ſi à communi plebe diligantur, non facile quicquam patientur, ſi vel maxime aliquos offenderint. Neque enim homines tanti facere ſolent iniurias

iniurias priuatim acceptas, vt propterea ſe tantis periculis exponere vindictæ cauſa, aut velint, aut poſſint: & ſi maxime id attentare cuperent, tamē metuunt communem illam populi beneuolentiam erga principem, eaque in officio cōtinentur. Cæterum quæ populo inferuntur iniuriæ à principibus, cauſæque ſunt, vt illos odio proſequatur ea lædere ſolēt ſubditorum aut vitam aut honorem, aut opes. Et vitæ quidem lædendæ ſolæ minæ principum plus odii concitant, magiſque periculoſæ ſunt quam ſi eorū executio inſtituatur. Nam qui è medio tolluntur vindicare iniuriam nequeunt: qui in viuis eſt, ſiquidem minatus illi princeps fuerit, neceſſitate ipſa cogitur, vel de inferenda vel de patienda iniuria cogitare: itaque principi ſuo fit maxime formidabilis. Secundum deinceps locum obtinent fortunæ & fama, quæ ſi lædantur, homines ad vindicandam vehementiſſime excitant. Itaq; abſtinere decet principem ab hiſce. Neque enim quemquam vſq; adeo nūdare fortunis poteſt, quin illi cultellus ad vindicandum remaneat: nec quemquam poteſt tantopere dehoneſtare, quin illi animum ad vindictam obſtinatum relinquere cogatur. Exiſtimant autem homines, tunc maxime læſam ſibi eſſe famā à tyrannis, cum vel mulierum violatur pudicitia, vel ipſi aliquo vituperio afficiūtur, & contemnūtur. Hæc enim cauſa fuit, quæ Pauſaniam aduerſus Philippū Macedoniæ regem excitauit, & multos alios aduerſus principes ſuos armauit. Ætate noſtra coniurauit Iulius Bellantius, aduerſus Pādolphum Senenſium tyrannum, ſocerum ſuum, ob nullam aliam cauſam, quam quod filia illum

N

ſpoliauiſſet, quam prius illi in matrimonium de-diſſet. Pazzii Florentię coniurarũt contra Mediceos,ob ademptam ſibi Ioãnis Bonerthomei hæreditatem. Præter haſce cauſas,mouentur etiam nonnulli ad coniurandum contra principes,deſiderio liberandæ patriæ, quæ per vim ab ipſis occupata ſit. Quo quidem modo Brutus & Caſſius ad Cæſarem percutiẽdum excitati fuere: & multi alii aduerſus Phalarim,Dionyſios, alioſque tyrannos commoti: nec vnquam tuti eſſe poſſunt tyranni,ab huiuſmodi coniurationibus niſi renũcient tyrannidi: quod cum pauci facere velint, pleriſque etiam euenit triſtis euentus,vt ex Iuuenalis ſententia:

Ad generũ Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendant reges & ſicca morte tyranni.

Sed qui coniurant, tamen ingentia pericula ſubeunt: quod & clandeſtina illa coniuratorum cõſilia, & eorum executio, & quæ poſt executionẽ ſequuntur, vehementer formidoloſa ſint omnia. Quod ſi vnicus ſit, qui tãtum facinus patrare decreuerit: coniuratio dici non poteſt, ſed firma quædã eſt animi diſpoſitio, & cogitatio, de Principe tollendo, ſolumque eius conſilium periculo caret: quandiu enim nemini cõmunicatur, principi innoteſcere nequit, quod penes eum ſolum conſiſtat, qui id perpetrare conatur: ſi ad executionem veniendum eſt,occurrunt eadem pericula quæ coniuratis. Poſſunt autem huiuſmodi conſilia cadere in quoſcunque homines, nobiles, ignobiles, familiares principi, aut ignotos: quod nullus tam humilis ſit, quin illi occaſio dari queat aliqua, principem alloquendi:

Et

Et cui poteſtas ſit loquendi cum principe, ei non deeſt occaſio occulti odii ignes euomendi. Pauſanias certe Philippum Macedoniæ Regem ad templum euntem, ſtipatum mille armatis ſatellitibus, medio loco inter filium & generum conſiſtentem, necauit. Erat autem ille nobilis & familiaris Regi. Sed Hiſpanus quidam, infimæ & abiectiſſimæ ſortis homo, auſus fuit Fernando Hiſpaniæ Regi cultrum in collum defigere: quod vulnus etſi non fuerit profundum, neque mortale: tamen indicio eſſe potuit, ab huiuſmodi infimæ ſortis hominib. poſſe etiam facinora tanta patrari. Deruiſius etiam quidam Turcicus ſacerdos, in Baiſetum Imperatorem Turcicũ, eius, qui nunc viuit Imperatoris patrem, telũ contorſit, quod etſi non feriit: oſtendit tamen à tali quoque homine, poſſe tantum ſcelus tentari. Nec dubium eſt quin plurimi extent ſubinde, qui de tali vindicta aduerſus tyrannos ſecum cogitent, eamque ſummopere cupiant: non auſi ſunt tamen prodire, & exequi, quod volunt, niſi pauciſſimi: iidemque fere omnes à tali facinore pereunt. Sed de hoc pertinaci vnius hominis conſilio hæc ſufficiant. Ad coniurationes iam veniemus: de quibus hoc primum pronuntiamus, quod illæ non niſi à magnis atque præpotentibus viris, quique principibus noti familiareſque ſint, fieri ſoleant. Cæteri enim nil tale tentare aut poſſunt, aut audent, niſi plane amentes fuerint: quod omnibus rebus deſtituantur, quibus coniuratio ad propoſitum finem perducatur. Neque enim clientes habent, aut alios fidos amicos, quibus poſſint ſecreta communicare conſilia; quod omnib.

rebus pluentur, quibus homines ad ſubeundã magna pericula incitantur: itaque quam primũ pluribus communicatum fuerit illorum conſiliũ, detegitur coniuratio, & ipſi pœnas luere coguntur. Quod ſi quandoque etiam tam fortunati eſſent, vt ſecreta conſeruare conſilia poſſent: tamẽ cum ad patrandum facinus veniendum eſt, tantã experiuntur rei difficultatem, cum principem libere adire nequeant, vt ipſi ſtupefacti, inter agendum pereant. Quod ſi enim magni & præpotentes viri, quibus ſemper patet aditus ad principem, tanta rei difficultate tamen opprimũtur: non dubium eſt, quin eadem res, hominibus tenuioris fortunæ, infinitis modis magis ardua, difficiliſque euadat. Itaque cum tantam rei difficultatem proſpiciant homines idiotæ, abſtinent à tam periculoſis facinoribus, contentique ſunt interim maledictis, quæ in Principem ſubinde iactant, expectantes, vt alii potentiores tyrãnidem vindicent. Quod ſi qui huiuſmodi tenuiorum hominum, aliquando contra tyrannos coniuraſſe deprehenduntur: eorum ſtudium & volũtas magis laudabilis eſt, quam prudentia. Plerunque igitur magni viri ſunt, qui coniurationem aduerſus principem tentant, & quidem ei familiares. Ex quibus permulti ad id faciendum, non minus beneficiis acceptis, quam iniuriis impelluntur: veluti Perennius aduerſus Commodum: Plautianus contra Seuerum: & aduerſus Tyberium Seianus. Nam hi omnes à ſuis Imperatoribus, ad tantas opes, honorumque gradus euecti erant, vt ipſis nihil deeſſe videretur; præter ſolos imperii faſces: quos vt etiam comparare poſſent, aduerſus

ſuos

ſuos quique principes cõiurarunt: Sed habuit eorum omnium coniuratio exitum tanta ingratitudine digniſſimum: Patrum tamẽ noſtrorum memoria, meliorem finem ſortita eſt Petri Appiani, contra Petrum Gambacurtum, Piſanorũ principem, coniuratio: à quo cum & educatus, & ad multos honores euectus eſſet, eũ tamen poſtmodum imperio ſpoliauit. Secus accidit Cappolo, poſtquam aduerſus Ferrandum Aragoniæ Regem coniuraſſet: nam cum eius quoque potentia iam tanta foret, vt nil illi præter regis nomen deeſſet: Id quoq; ſibi comparare commotus, vitam cum omnibus fortunis amiſit. Videbatur autem huic vel inprimis debuiſſe inſtituti ſui ratio ſuccedere, cum tanta exiſteret illius potẽtia, vt Regi propemodum æquaretur, ac proinde facile exequi poſſet, quicquid facere decreuiſſet. Sed cupiditas dominandi illos occęcat, non modo vt tanta facinora ſuſcipere auſint, verum etiam, ne id quod ſemel facere decreuerunt, recte cauteque tractare poſſint: quod ſi iſtæc ſcelera prudentia quadã tractare nouiſſent, non poſſet illis non euenire id, quod propoſuerant. Itaque diſcere hinc debent principes, ad euitandas cõiurationes, eos vel maxime ſibi metuendos, in quos plurima beneficia contulerunt: quod hi magis formidabiles ſint, quam qui plurimis iniuriis affecti fuere. Nam voluntas in vtriſq; ſimilis eſt, potentia in his, qui beneficia acceperũt, maior exiſtit: maiorq; furor eſt in dominandi cupiditate, quam in vindicandæ iniuriæ deſiderio. Eo autem pertinebit, ne amicorum quemquam nimium extollant: ſed curent, vt interuallum quoddã ſit ab eo gradu, quem quiſq;

tenet, vſq; ad ſummum imperium, ne ſi quid amplius appetant, ad imperium ipſum immediate aſpirent. Sed ad inſtitutum nunc redeundum eſt, & inquirendæ cauſæ variorum euẽtuum, qui huiuſmodi præpotentibus viris fœlices infœliceſq; euenere, cũ aduerſus principes ſuos coniuraſſent. Et quia periculum impendet, cum in cõſultando, tum in exequendo, & poſt executionem: itaq; rariſſime fit, vt omnia tria euitari queant, pauciſſimæque ſunt coniurationes, quæ ad fœlicem exitum perduci queant. In capiendis conſiliis de cõiuratione, ſumma & omnium maxima pericula exiſtunt, quod ni caute prudenterque tractentur, facile detegantur: ſiue id fiat per coniecturas aliquas, aut indicio alicuius coniuratorum, qui vel perfidia, vel ſtultitia ſua motus, conſilia coniuratorum aperiat & prodat, vehementerq; metuenda eſt hæc ſociorum perfidia. Neque enim conſilia communicare potes cum quoquam alio, quã cum iis, qui vel tibi ſunt fideles, taciturni, adeoq; prompti pro te mortem obire, vel certe qui principi vehementiſſime ſint infenſi. Tam fidos taciturnoſque amicos pauciſſimos inuenies: nec potes conſilium plus quam vni aut duobus communicare. Nam inſignem oportet eorum erga te amorem eſſe, ne metu periculi deterreantur. Quibus accedit, quod perſæpe errare liceat, vt exiſtimemus nos ab amicis magis amari, quam reipſa amemur. Nunquam enim de illorum ſingulari amore erga te certus eſſe potes, niſi per experientiam, eademque in hiſce quidem rebus periculoſiſſima eſt. Quod ſi in aliis, q̃ leuiora ſunt, cõprobetur per experientiam fides amicorum: nil prohibet,

hibet, quin in negotio longe difficiliori, deinde nos fallat. Quod ſi etiã expiſcari velis cuiuſquam erga principem odium: neceſſe eſt, vt ſimul illi tuum quoq; declares animũ: quo cognito, ille rationem habebit, vt principi reconcilietur, teque illi prodat; à qua re illũ nihil detinere poteſt, niſi forte ille aut principẽ vehemẽtiſſime oderit: aut te ſingulari amore proſequatur. Quo ſane fit vt plurimæ ſtatim à principio detegantur & opprimantur: & ſi quæ coniuratio multis communicata, diu tecta, ſopitaque conſeruetur, miraculi loco habeatur: cuiuſmodi fuit Piſonis cõtra Neronem, & cõiuratio Pazziorum aduerſus Laurentium & Iulium Mediceos, in quarũ ſingulis cõiurati circiter quinquaginta fuere: nec patefacti ſunt, donec ad ipſum factum & executionem conſiliorũ peruentum eſt. Per imprudentiam deteguntur coniuratorum conſilia etiam, ſi minus caute de hiſce rebus loquantur, vt eorum vel ſerui vel clientes animaduertãt: Quemadmodum accidit filiis Bruti, qui in tractandis conſiliis cum Tarquinii legatis, à ſeruo obſeruati, delatiq; fuerunt. Idem euenire ſolet, ſi leuitate ſua coniuratorum quiſpiam vel mulieribus, vel adoleſcentibus communicauerit, quemadmodum fecit Dinus: qui poſtquam vna cum Philota aduerſus Alexandrum Magnum coniuraſſet, Nicomacho puero, quẽ amabat, conſilium aperuit: iſq; Ciballino fratri, atque hic denique Regi idem detexit. Per coniecturas detegitur coniuratio eo modo quo patefacta eſt Piſoniana, contra Neronem ſuſcepta. Sceuinus enim coniuratorum vnus pridie eius diei, quo Neronẽ interficere debebat, teſtamentum fecit: per Mili-

chium libertum exacuere curauit antiquũ quendam pugionem: ſeruos omnes in libertatem aſſeruit, pecuniaque donauit: & faſcias deniq; ad deliganda vulnera, præparauit: quibus coniecturis Milichius rem animaduertens, dominum accuſauit. Itaque comprehenſus Sceninus, & Natalis, vnus itidem ex coniuratis vna cum illo (quod præcedenti die, loco ab arbitris remoto, hos ſimul lõgum ſermonem habuiſſe compertum foret) cum non in mentem veniſſet ipſis colloquium, quod ſuſpicionis cauſam prębuerat, aperte confiteri cõſilia coniurationis coacti ſunt, cum omnium coniuratorum exitio. Sed neque plane fieri poteſt, vt ab omnibus coniecturis caueamus, & vt ſigna illa omnia celentur, quę vel imprudentia, vel malitia aliqua interueniẽte, ſuſpicionem parere poſſunt, ſi modo coniuratorum numerus quaternarium ſuperarit. Quod ſi deinde ex coniuratis capti ſint plures, quam vnicus, neceſſe eſt eam patefieri, cũ ſeorſim interrogati, nequeant ad eũdem modum fingere omnes. Vnicus ſi forte capiatur, atque is vir fortis, ac conſtans fuerit, celare vtique poteſt conſilia: dummodo reliqui coniurati metu periculi non percellãtur, aut fugiant. Nam ſiue is, qui captiuus detinetur, ſiue ii qui liberi ſunt, iudicium aliquod præbuerint, actum eſt de omnibus conſiliis. Memorabile admodum eſt exemplum, Coniurationis in Hieronymum Syracuſanorum Regem factæ, ex cuius coniuratis, cum Theodorus captus eſſet, & torturæ ſubiectus, de ſeipſo faſſus eſt, conſcios celauit: & cum demum intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur, victum ſe ſimulans, auertit à conſciis in inſontes iudicium

dicium & Regis amicos accuſauit. Sed neque cõſciorum quiſquam quamdiu ſocius conſilii torqueretur, aut latuit aut fugit: tantum illis in virtute, ac fide Theodori fiduciæ fuit, tantumque ipſi virium ad arcana occultanda. Tanta ſunt igitur in tractandis huiuſmodi conſiliis pericula: antequam ad factum perueniatur: ad quæ euitanda tria in vniuerſum remedia extant. Primum, idemque etiam optimum eſt, ne ſpacium concedas cõiuratis, quo vel ſe mutuo indicare vel aliis conſilia communicare queant: ſed tunc primum illos tibi ſocios adiungas, cum facinus patrandum fuerit. Quam rationem quicumque obſeruarunt, euitarunt prima pericula, quæ in tractandis cõſiliis cadunt, omnia, & ex aliis quoque permulta: vt pleræque tales coniurationes ad fœlicem finem perductæ ſint. Exempla duo adducam, Nelematus, cum tyrannidem Ariſtotimi, Epirotarum Regis ferre non poſſet, cõuocauit in domum ſuam cognatos, amicoſque multos, eoſque hortatus eſt, vt vna ſecum tyrannum adirent, eumque necarent, ac patriam liberarent. Sed cum nonnulli eorum tempus peterent deliberandi, ſeque præparandi; Nelematus clauſis foribus, ne quiſquam diſcederet, omnibus indicauit, fore vt quicunque non iureiurando promitterent, ſe iam iam ſecũ ituros ad tyrãnũ occidendũ, Ariſtotimo captiui traderẽtur. Quo metu permoti omnes ſine mora profecti ſunt, & Nelemati mandata fœlici ſucceſſu expediuerũt. Cum Magus ille per dolum regnum Perſarum occupaſſet, eaque res Orthani, vni ex principibus regni innotuiſſet: conuocauit ille ſex alios principes, & conſilio habito de modo, quo

regnum è Magi tyrannide eripiendum foret: cum deliberandi ſpatium aliqui peterent, Darius vnus è ſex, quos Orthanes conuocauerat, aſſurgens, aut omnes, inquit, iam iam vna mecum ad necandum tyrannum venietis, aut ego tyranno vos captiuos tradam. Itaque profecti vna omnes, rem vti propoſuerant, perfecerunt. Similis prope fuit modus quem Ætoli obſeruarunt ad Nabidem Spartanorum tyrannum enecandum. Nam miſere illi veluti præſidii loco, Alexamenum cum triginta equitibus, & mille peditibus: eiq; ſoli in mandatis dedere vt ex occaſione tyrãnum opprimeret: cæteris vnicum ſub pœna exilii iniunxerunt; vt Alexameno parerent in omnibus. Is igitur cum Spartam perueniſſet, nec cuiquam conſilium aperuiſſet, antequam ſe occaſio offerret rei bene gerendæ: tyrannum commode oppreſſit. Hoc modo euitarunt iſti prima coniurationum pericula, & ne conſilia eorum aperirentur, effecerunt: hoc quicunq; imitari poterit, eadem euitabit. Piſoni certe, cuius ante fecimus mentionem, facile fuiſſet hos imitari. Nam erat ille vir magnæ apud Neronem autoritatis, & Nero ſępe ad illum in hortum veniebat, & cibũ capiebat. Licebat igitur illi, pro ea, qua pollebat, autoritate, viros fortes audaceſque ſibi conciliare, & cum præſens occaſio eſſet, eos verbis ad patrandum facinus adhortari, nec ſpatium cuiquam concedere, vel deliberandi, vel pœnitendi. Quod certe ſi feciſſet, non potuiſſet non obtinere id, quod propoſuerat. Idemq; multis aliis contigiſſet, ſi hos imitari voluiſſent, aut ſciuiſſent: ſed hæc eſt in rebus humanis calamitas, vt cum alias ſimus imprudẽtes, & imperiti rerum huma-

humanarũ: in hiſce arduis & extraordinariis negotiis plane cæcutiam⁹. Taciturnitate igitur opus eſt, nec cuiquam vnquam communicanda cõſilia, niſi vrgẽte neceſſitate, & cum negotium iam patrandum fuerit. At ſi cuiquam impertienda neceſſario fuerint, vnico tantum indicentur, de cuius fide per longã experientiam certus eſſe queas, aut quem cognoueris iiſdẽ cauſis permoueri, atque tu. Facilius enim vnum quempiam inuenire poteris talem, quam multos: minuſque periculi in appellando vno, quã multis. His accedit, quod etſi vnicus ille fallere te cupiat, non deeſt remedium defenſioni tuæ, contra quam accidat tunc, cum coniurati plures fuerint. Nam vt ſapienter quidam olim dicebat: cum vnico tuto communicari omnia poſſunt, quod etſi te fallere cupiat: tãtum tamen valebit, ſi tu factum negabis, quam ſi ille affirmet: niſi forte vſque adeo incautus fueris, vt propria manu tale quippiam ſcripto comprehendas. A qua vtique re, vnice cauere debes, quod nihil ſit, quo tam facile conuincaris: atque propria ſcriptura. Plautianus cum Seuerum Imperatorẽ, & Antoninum eius filium tollere vellet, dedit id mandatum Saturnino, tribuno militum. Sed ille cum accuſare mallet eum, quam dicto obediens eſſe: petiit ſibi id mandatum in ſcriptis dari. Plautianus ambitione ipſa occæcatus, mandatum propria manu ſcripſit: itaq; à Tribuno indicatus, & propria manu cõuictus eſt: quod ſi id non ſcripſiſſet, euadere vtique potuiſſet; vſq; adeo conſtanter negabat: vt hinc manifeſte diſcere liceat, conſilia cum vnico communicata aliqua ratione celari, negariq; poſſe. Erat in con-

iuratione Piſoniana, Epicaria mulier, Neronis olim amica, conſiliorum omnium particeps : quæ cum ex vſu eſſe, coniuratorum numero adiicere quendam triremium præfectum, putaret : appellauit eum, coniurationem aperuit : ſed coniuratos celauit. Itaque cum perfidus ille eam fefelliſſet, ac Neroni indicaſſet : tam conſtanter negauit fœmina, vt Imperator ſtupefactus eam dimiſerit. Quæ cum ita ſe habeant, tantummodo hæc pericula impendent ei, qui cōſilia vni ſoli impertiit, ne vel te ſponte accuſet, probareque poſſit factū: vel coactus indicet, ſi forte ob indicium aliquod ipſe capiatur, & torturæ ſubiiciatur. Eſtq; remedium aliquod aduerſus vtrumque: quod id maleuolentia, atque odio permotus fecerit : vel certe cruciatibus impulſus, vt falſa fateretur. Itaq, ſummæ prudentiæ fuerit, conſilia nemini communicare, donec ad factum ipſum veniendum ſit: & imitari exempla quæ iam ante propoſuimus. Aut ſi omnino communicanda ſint, ne pluſquam vni ſoli impertias: qua in re, etſi periculum non deſit: longe pauciora tamē ſunt, quam ſi negotium cōmunicetur pluribus. Proximum ac ſimile præcedentibus exemplis eſt: ſi quando tyranni violentia te cogit, vt tu illi id inferas, quod ipſe alioquin tibi illaturus fuerat : nec vllum detur vel ſpatium, vel occaſio, qua vtrumque hoc euitare poſſis. Nā hæc neceſſitas plerunque bonum finem ſortitur: vt iam exemplis manifeſtum euadet. Commodus Imperator Prætorianis militibus Lætū Electumque duces præfecerat, quibus familiariſſime vtebatur : & Martiam concubinam præ cæteris diligebat. Sed quia iidem hi vitæ ſuæ turpitudinem

quande-

quandoque reprehẽdebant: decreuit eos omnes, & alios quoſdam vna cum illis è medio tollere, quos omnes eo ordine in ſchedula deſcriptos habebat. Quam ſchedulam cum puluinari ſubieciſſet, eamq; puer, illi familiaris, in cubili ludẽs, mane inueniſſet: & ex cubili egreſſus, Martiæ, quæ obuiam forte occurrebat, tradidiſſet; Accidit, vt illa vna cum Lęto atq; Electo; cognito inde, quod omnibus imminebat, periculo, ſequenti nocte Commodum oppreſſerit. Antoninus Caracalla etiam, cum in Meſopotamia cum exercitu eſſet, & Macrinum copiarum ſuarum ductorem ſecum haberet, hominem politicum magis, quam militarẽ: accidit illi, quod cęteris quoque tyrannis euenire ſolet, vt metueret, ne, quod maxime merebatur, aliquis imperium inuideret, aut inſidias ſtrueret. Itaque datis ad Maternianum, amicum ſuum, literis, rogauit eum, vt Romæ ab Aſtrologis expiſcaretur, num quis eo tempore eſſet, qui ad imperium aſpiraret, idque ad illum perſcriberet. Maternianus igitur reſcripſit, Macrinũ illum eſſe, qui eo tẽpore aſpiraret ad imperium. Eæ literæ, cum prius ad Macrini, quã Imperatoris manus perueniſſent, certiorẽ eum de periculo, quod imminebat, fecerunt: itaque cum aut moriendũ ſibi cerneret, aut occidendum Antoninum, antequam aliæ literæ Roma afferrẽtur: Martiali amico certo cuius fratrem ante paucos dies Imperator necauerat, negotium demandauit, qui illum è medio commodiſſime ſuſtulit. Eſt enim hęc neceſſitas, quę nullam moram patitur, ſimilis Nelemati conſilio de quo ante fecimus mentionem. Sed interim obſeruatione dignum eſt, per eadem

hæc exempla, manifeſte cõprobari id, quod principio huius diſputationis monuimus, minas plus nocere principibus, & vehementiores excitare coniurationes contra ipſos, quam iniuriæ ipſæ, vt ſemper cauendum ab iis ſit. Homines enim beneuolentia continendi ſunt in officio: Quæ ſi nõ profit, ita puniendi ſunt, ne amplius nocere queant: nunquam autem eo adducendi, vt videant vel ſibi pereundum eſſe, vel alium tollendum. In exequendis conſiliis coniurationis, impendent pericula ex hiſce maxime cauſis: ſi vel ordo, vel methodus agendi immutanda ſit in ipſo actu, ex aliqua occaſione: vel ſi percuſſoribus animus deſit: vel ſi iidem per imprudentiam errent: aut ſi non omnes interimantur, qui necandi fuerant. Nam primum quidem quod attinet, exiſtimare debemus nihil plane eſſe, ex quo humanæ actiones tantopere impediantur, quàm ex ſubita mutatione ordinis, ac methodi quæ ad agendũ iam dudum concepta animo, atq; conſtituta fuerat. Et ſi vſquam nocet, in rebus certe bellicis, quæq; iis ſimiles ſunt, pernicioſiſſima eſt. Nam ad patrandum tale quoddam facinus, nihil magis neceſſarium exiſtit, quam vt coniuratorum ſinguli, iam ante longo tempore de ſuo officio cogitent, vt quiſque ſciat, quid, quo loco, quo tempore, & ex qua occaſione agendum. Quo fit vt poſtquam in certum quendam modum agendi oculos diu intentos habuerint: atque is ſubito mutandus ſit: conſilia omnia periclitentur ac perturbentur. Itaque etſi occaſio requirere videtur aliquam ordinis mutationem: longe tamen melius eſt, facinus ſecundum præſcriptam prius methodũ perpetrare,

perrare, quam ordinis ſubita mutatione, tot pericula ſubire. Quod ſi tempus ſuppetat, mutari & ordinari omnia poſſunt: ſed mutationes ſubitæ vehementer periculoſæ ſunt. Exemplum notum eſt ex coniuratione Pazziorum contra Laurentium & Iulianum Mediceos: in qua hæc erat à coniuratis præſcripta methodus agendi, vt Cardinalem S. Georgii prandio exciperent, & in eo conuiuio necarent, quos vellent: erantq; iam diſtributa coniuratorum officia, & conſtitutum qui percuſſores eſſe deberẽt: qui occupare palatium: & qui excurrere per vrbem, ad populum conuocandum, & publicam libertatem denuntiandã. Sed cùm inſtaret tempus patrandi facinoris, ac coniurati in ſummo templo forte ſacris intereſſent, vna cum Mediceis Florentiæ: compertum eſt, Iulianum non ſolitũ prandere: qua re cognita coniurati ſubito conuenerunt, & quod prius conſtituerant domi inter prandendum facere: id in templo patrandum cenſuerunt: quæ res vniuerſam methodum perturbauit. Nam Ioannis Baptiſtæ de ſicco monte, in templo cædis particeps eſſe noluit: itaque alium illi ſurrogare, & ſingulis officiis nouos miniſtros aptare & quærere oportuit: qui in agendo tantopere errârunt, vt coniurati in ipſo actu oppreſſi fuerint. Percuſſoribus deeſt animus, quandoque ob maieſtatem vultus eius, qui necari debebat: quandoque ob timiditatem, percuſſori inſitam. Nam tanta ſolet eſſe maieſtas, ac grauitas vultus, in quibuſdam principibus, vt percuſſorem vel metu ſubito terreant, vel alioquin eius animum humanitate aliqua à tanto facinore auertant. C. Mario, cum à

Minturnenſibus captus teneretur, immiſſus ſeruus, qui illum necaret: tanta vultus maieſtate, & nominis recordatione perterritus fuit, vt vires ad percutiendum deeſſent. Itaque ſi tantum potuit autoritas, & grauitas vultus hominis captiui, & tanta fortunæ aduerſitate vexati, quid ſentire debemus de maieſtate liberi principis, qui magnifico illo cum apparatu, multis ſatellitibus comitatus ingrediatur: Poteſt profecto hæc vel audaciſſimum quemque terrere, & crudeliſſimum miſericordia permouere. Fuere quidam, qui aduerſus Sitalcem Thraciæ Regem coniurarunt, ac cum ſimul eſſent iam omnes in eum finem congregati, vt illum necarent: nullus quicquam in regem tẽtare auſus eſt: ſed cũ ſe mutuo tantũ intuerentur, Regẽq; aſpicerent, re infecta diſceſſerũt: nec cauſam intelligebant, cur nihil facere potuiſſet: patefacta itaque coniuratione, pœnas ſoluerunt pro illo ſcelere, quod, cũ decreuiſſent, patrare noluerant. Aduerſus Alfonſum quoque Ferrariæ ducẽ, coniurauerant bini ipſius fratres, & vtebantur opera Ioannis presbyteri muſici eius: qui etſi Ducem, vt poſtulauerãt, ſæpe ad ipſos deduceret, amplaque illis poteſtas ſæpe foret illum enecandi: nõ auſus eſt tamen eorum quiſquam id perpetrare: ex qua re factum, vt aperto tandem eorum conſilia meritas pœnas malitiæ, ſtultitiæque ſuæ ſoluerint. Neque vero alia de cauſa iis hoc accidit, quã ꝙ vel perterrefacti principis maieſtate, vel illius aliqua humanitate ad miſericordiam cõmoti fuerint: videntur errores hi dependere, vel ex timiditate, vel imprudentia, ac ſtupore quodam quibus perturbati Coniuratorum animi, aliud quiddam faciunt,

faciunt, ac dicunt, quam debebant, atq; volebãt. Hunc ſtuporem deſcripſit Liuius in Alexameno, cuius ante fecimus mentionẽ. Nam cum occaſio veniſſet patrandi aduerſus Nabidẽ facinoris, conſiliumque ſuis iam communicaſſet, tunc vt Liuius ait, colligit & ipſe animum, confuſum tantæ cogitatione rei. Solent enim etiã viri fortes, quique arma tractare conſueuerint, in tam arduis crudelibuſque negotiis perturbari: quo fit vt percutiendi partes, non niſi audaciſſimo cuique, & cuius animi crudelitas per experientiam comperta ſit, demandari debeant. Nam tanta vis eſt illius animi perturbationis, vt vel arma ex manibus excutere tibi queat, vel verba quædã proferre, quibus totum negotium prodatur, & opprimatur. Lucilla, Commodi ſoror Quintiano prouinciam interficiendi eius demandauerat. Is igitur Commodum expectauit præ foribus Amphitheatri, atq; hic cum ſtricto pugione obuiã factus: hunc, inquit, tibi Senatus mittit. Sed hoc elocutus, cõprehẽſus fuit priuſquã pugione vulnꝰ inferre poſſet. Antoninus Volaterranus, cui in Pazziorum coniuratione datæ partes erant necandi Laurentii Medicei, cum illum inuaſurus eſſet, proditorẽ magno cum clamore eum nominauit: quæ vox emiſſa Laurentio ſalutis cauſa extitit, coniuratis vero perniciei. Sed neque perfecte exequi licet conſilia coniurationis, quotieſcunque in plures, quam in vnum coniuratur: quod propemodum fieri nequit, vt vno eodemque tempore in diuerſis locis, idem facinus perpetretur: diuerſa vero tempora expectari non poſſint, cum facinus vno loco patratum, alterum facile impedire queat.

O

Quod ſi igitur contra vnum principem facta cõiuratio, res dubia eſt, periculoſa & ſtulta: quæ aduerſus duos fit, plane temeraria exiſtit. Et niſi Herodiani autoritas mihi perſuaderet, nũquam crederem quod ille narrat de Plautiano: videlicet, mãdaſſe eum Saturnio Tribuno prouinciam necãdi & Seuerum & Antoninum, diuerſis locis habitantes: quod hæc res rationi plane aduerſetur. Iuuenes quidam Athenienſes coniurauerant aduerſus Dioclem & Hippiam eorum tyrãnos: cum ad factum ventum eſt, Dioclem interfecerũt. Sed Hippiæ pœnas luerunt ſuæ temeritatis. Chion & Leonides Heraclienſes, Platonis diſcipuli coniurarunt contra Clearchum & Satyrum tyrannos: Clearchum occiderunt, ſed ab altero puniti fuere. Pazziis quoque non ſucceſſit coniuratio cum Iulianum tantum ſuſtuliſſent: Laurentius periculo ſe eripuiſſet. Itaq; ab huiuſmodi coniurationib. vehemẽter abhorrere debent omnes boni: quod iis neq; patriæ, neq; ſibi quicquã proſint, ſed plurimum noceant. Nam qui periculum effugiunt tyranni, poſtea longe crudeliores fiunt: vt ſatis apparet vel ex iis exemplis, quæ iam adduximus; coniurationum Florentiæ, Athenis, atque Heracleæ factarum. Itaque admirabilis magis videri debet Pelopidæ coniuratio, contra patriæ ſuæ tyrannos, quod illi non vnus, ſed decem occidendi eſſent: præterea cum eſſet exul, difficillimus illi patebat ad tyrannos aditus. Sed ille tamen ſuperatis omnibus hiſce difficultatibus, & Thebas venit, & tyrannos necauit, & patriam liberauit; Curionis videlicet cuiuſdam opera vſus, qui tyrannis familiaris conſiliarius erat. Sed eſt hoc exemplum nemi-

homini imitandum, quod pro miraculi loco celebretur, ob ſuperatas tantas difficultates. Accedit hiſce, quod impediri etiam poteſt executio eorũ, quæ in coniuratione decreta ſunt, caſu aliquo, ac fortuita quapiam ſuſpicione: cuius generis illud fuit quod Brutum ſocioſque commouit eo die, quo in Senatu Cæſarem necare decreuerant. Nã cum Cæſar in Senatum iturus incidiſſet in Cn. Popilium coniurationis conſcium, & cum eo longo tempore collocutus fuiſſet: metuebant cæteri coniurati, qui id obſeruaſſent, ne forte Popilius Cæſari rem aperiret. Itaque in eam ſententiam adducebantur, vt eo ipſo loco impetum in eum facerent: idque omnino facturi erant, niſi colloquendi finem feciſſent, & diſcedentes à ſe mutuo, nullum periculi ſignum oſtendiſſent. Plurimum autem poſſunt huiuſmodi ſuſpiciones: itaque habenda vtique fuerit earum ratio, tãto accuratius, quanto facilius eſt ſuſpicari iis hominibus, qui conſcii ſibi ſunt ſuorum ſcelerum. Nam qui tales ſunt, quoſcunq; vident colloqui, de ſeſe loqui putant: poteſtque facile euenire, vt vox aliqua in alium finem emiſſa, ipſis ſuſpicionem moueat, tãquam ſi de aliquo coniurationis negotio pronũtiata foret. Ex qua re, vel per fugam conſilia patefacias: vel maturando executionem, in aliud aliquod abſurdũ incidas, præſertim cum plures fuerint coniurationis conſcii. Caſus etiam fortuiti conſiderandi ſunt, quod ii perſæpe actiones coniuratorum impediant. de quibus etſi nil certi docere queas: propoſitis tamen exemplis documentum quoddam, atque cautelam præbere poſſumus. Iulius Bellantius Senenſis, vt ſupra memi-

nimus, Pandolphum ſocerum interficere decreuerat: quod filiam, quam ei matrimonio iunxerat, ademiſſet. Ad id autem peragendum, hanc ſibi methodum præſcripſerat: vt quia Pandolphus ſingulis dieb. viſitādi amici cuiuſdā qui ęgrotabat, cauſa domū Iulii pręteriret: cōiurati intra portam domus, eū armati expectarēt, & in ſuperiori ædiū parte quendā cōſtituerāt, q. p feneſtrā obſeruaret Pādolphi aduētū, vt cū portę appropinquaret, ſigno id cęteris ſignificaret. Sed cū Pādolph9 iā veniret, & ſignū coniuratis daretur ab illo, qui p feneſtrā obſeruabat aduentū eius, forte accidit, vt antequā ad portam Iulii perueniſſet, amicus quidam obuiam factus eum ſalutando aliquantum detineret. Itaque egreſſi cum impetu coniurati, antequam perueniſſet ad portam: coniurationē armorum ſtrepitu prodiderūnt: ex quo accidit, vt Pandolphus periculum euitare potuerit, coniurati vero fuga exilioque ſibi ſalutem quærere cogerentur. Hoc igitur ſolo caſu fortuito impedita, atque irrita facta ſunt omnia Iulii conſilia, & Pādolpho ſalus quæſita. Superſunt ea pericula nūc, quæ poſt patratum facinus conſequuntur: quæ ex eo ſolum dependent, ne relinquantur qui necatum principem vlciſcantur, & facinus coniuratorum puniant. Huiuſmodi eſſe ſolēt vel fratres, vel filii aut alii conſanguinei, ad quos principatus hæreditario iure aliquando peruenire queat, ſiue illi coniuratorum negligētia, ſiue alio aliquo caſu pericula euadant, ac ſuperſtites maneant, vt de coniuratis pœnas ſumant. Quemadmodum accidiſſe nouimus Ioanni Andreæ Lampognano, qui vna cum aliis quibuſdam coniuratis, Mediolani du-

ni ducem ſuſtulerat: ſed cum ſupereſſent bini eius fratres & filius vnus, non defuit vindicta ſuo tempore. Sed neque poſſunt coniurati prouidere omnibus caſibus, quibus aliqui alii conſeruantur. Nam ſi per negligentiam tales quoſdam in viuis relinquerent: vehementer errarent, ac omni vituperio digni eſſent. Fuere quidam in foro Liuio coniurati, qui Girolamum comitem, propriũ dominum ſuſtulerunt: Catharinam coniugem cum liberis infantibus in vincula coniecerunt. Sed cum arcem, ſine qua tutos ſe eſſe non putabant, occupare etiam conarentur: neque præfectus illam tradere vellet: perſuaſit illis Catharina ex vinculis, vt retẽtis liberis pro obſidibus ipſam in arcem intro mitterent: ita enim effecturam vt arx ipſis traderetur. Sed cum in arcem ingreſſa fuiſſet, mariti cædem illis exprobrauit minataq; eſt coniuratis ſeueram vindictam: ac ne metu liberorum amittendorum putarent abſterritam iri à vindicando: membra genitalia illis per feneſtram oſtendit, aſſerens ſibi modum eſſe adhuc alios liberos procreandi, ſi forte impias manus ab illis non abſtinerent. Cõiurati igitur tarde nimium ſuæ imprudentiæ moniti, perpetuo exilio ſibimet pœnas temeritatis ſuæ iniũxerũt. Sed maximum vindictæ periculum tunc impendet coniuratis, cum populus principem amat, in cuius caput facta eſt coniuratio. Tunc enim vindictam euitare nunquam poſſunt. Exemplo eſſe poteſt C. Cæſaris cædes. Nam cum is populum Romanum beneuolum habuiſſet, vindicata ab illo eſt cædes Cęſaris, & percuſſores omnes vrbe pulſi, & diuerſis in locis necati. Quæ vero aduerſus patriam fi-

unt coniurationes: auctoribus ſuis longe minus periculoſæ ſunt, quam quę aduerſus Principes tyrannoſque tentantur. Nam in tractandis eorum conſiliis parum periculi eſt: in iis exequẽdis tantum, quantum in iis quæ fiunt contra principes: poſt patratum facinus, nullus amplius ſupereſſe poteſt metus. Parum periculi eſt in conſultando, quod ciuis vires ſuas ſenſim augere, & copias cõparare, ſine ſuſpicione queat, ſenſimque ſe preparare ad facinus ipſum perpetrandum, abſque impedimentis. Quod ſi aliquando lex aliqua ob aliam cauſſam lata, impedimẽto ſit tuis conatibus: differri illi in aliud tempus poſſunt, donec cõmodior occaſio detur. Sed hęc omnia intelligere debemus, ita fieri poſſe in iis ſolum Rebuſpublicis quibus ſerpere iam cœpit corruptela morum. Nam in quibus incorrupti adhuc ſunt mores hominum: veriſimile eſt, nullum ciuem huiuſmodi conſilia tractaturum. In corrupta autem Repub. multę patent vię, & rationes ad principatum abſque vllo ſingulari periculo aſcendendi: quod magiſtratus tarde moueatur ad reſtinguenda huiuſmodi incendia, & longe cauti ſunt quam principes. Reuereri etiam ſolent ſuos ciues potẽtiores: ex qua illis deinde audacia maior accreſcit. Nota omnibus eſt Catilinaria coniuratio, à C. Saluſtio deſcripta: ſed eadem iam detecta iam erat, cum Catilina nõ modo in vrbe tutum ſe eſſe putabat, ſed in Senatum venire, & patribus cõſuliq; maledicere audebat: tantum ſcilicet ſolebat ea Reſpublica ciues ſuos reuereri. Quin etiam tunc, cũ vrbe exceſſiſſet Catilina, & eſſet in exercitu, nequaquam capti fuiſſent Lẽtulus, cæterique coniurati,

iurati, ni literis, eorum propriis manibus ſcriptis, conuicti fuiſſent. Hanno potentiſſimus Carthaginenſium Reipub. ciuis, aſpirabat ad tyrãnidem, cuius aſſequendæ cauſſa, decreuerat in nuptiis filiæ Senatũ vniuerſum veneno tollere. Ea re cognita, Senatus nõ aliter proſpexit huic malo, quã quod lata lege, nuptiarũ ſumptibus modum poſuit talem, ex quo eius conatus impediretur: tanti hunc ſuum ciuem faciebant. In exequẽdis contra patriam coniurationis cõſiliis, magna difficultas, magnumq; periculum eſt. Nam raro accidit, vt vnicus ciuis tanta potẽtia ſit, quæ patriam ſubiugare queat: cum hic aduerſus multos oporteat, neque etiam ſæpe accidit, quod contigit C. Cæſari, Agathocli & Cleomeni, vt in promptu habeas inſtructiſſimum exercitum ad patriam ſubito occupandam, ſed cum vires coniuratis deſunt, tunc arte aliqua & dolo tentant, aut exterorum implorant auxilium. Dolo artificiali vſus eſt Piſiſtratus. Nam cum victis Megarenſibus magnam ſibi apud plebem beneuolentiam comparaſſet: prodiit domo ſua, quodã die mane, in publicum vulneratus & coram populo queſtus eſt de iniuriis, quas ab optimatibus accepiſſet petiitque vt liceret ad cuſtodiam corporis ſui armatos aliquos ſecum habere: ex qua re conceſſa per imprudentiam: paulatim ſummum imperium per tyrannidem occupauit. Pandolpho Petruccio, cum ex militia Senas cum aliis quibuſdam rediiſſet, ſenatus cuſtodiam fori demandauit, remq; tunc contemptus eſſet: ſed ille, opera ſuorum ſatellitum, tantam ſibi conciliauit authoritatem, vt principatum vrbis, breui tempore occupauerit. Alii aliis

quodam modo, ac diligenti induſtria idem præſtiterunt, ſine vllo tumultu, ſed qui per vim, aut auxilia peregrina patriam occupare conati ſunt, varios habuerunt euentus, prout illis fortuna magis aut minus aſpirauit. Catilina certe occubuit. Háno, de quo ſumus locuti paulo ante cum propinandi veneni occaſio illi erepta eſſet, multos clientes alioſque ſuæ factionis homines armauit, & cum iis omnibus oppreſſus eſt. Thebani quidam ciues, cum aduerſus patriam coniuraſſent, aduocato in auxilium Spartanorũ exercitu, voti compotes facti ſunt, & patriç imperium occuparunt. Omneſq; adeo coniurationes contra patriam factæ aut ſucceſſerunt ſuis autoribus, aut in ipſo facto oppreſſæ ſunt: dum tractabantur eorum conſilia, nil ſenſerunt periculi. Poſtquam patratum facinus fuerit, & coniurati voti compotes facti; non eſt aliud periculum metuendũ vllũm, quam ea ipſa, quæ cum tyrãnide coniuncta alioquin eſſe ſolent: de quibus euitandis iam ante à nobis diſputatum eſt. Hæc ſunt quæ de iis coniurationibus docendum putaui, quæ ferro ad propoſitum finem tendunt: de iis qui veneno vtuntur, nil dixi, quod iiſdem principiis innitãtur, eademque methodo progrediantur. Magis vero etiam periculoſæ eſſe ſolent coniurationes, quæ vtuntur veneno, magiſque de ſuo exitu incertæ, cum ob eam cauſam quod communicare neceſſe ſit conſilium cum iis qui veneni naturam nouerunt, quique eius propinandi commoditatem habent, tum quod multis de cauſis fieri queat, vt venenũ ſumptum tamen non enecet. Tale fuit poculum, Commodo Imperatori propinatum. Nam cum

id vomitu eieciſſet, neceſſe fuit coniuratis, ſi ſublatum illum vellent, vt illum laqueo interficeret. Principes certe viri, ſummam peſtem exiſtimare debent coniurationes, & ab illis ſummopere cauere. Nam cum ſemel in principem coniuratum fuerit: aut ipſi pereundum eſt, aut alias cum quadam infamia viuendum. Si enim res coniuratis ex animi ſententia ſuccedat, interficitur princeps: ſin detegatur coniuratio, & ſupplicium de coniuratis ſumatur: tunc cadit princeps in crudelitatis ſuſpicionem, & putatur ſæuitia ſua, aut auaritia, in inſontes ſæuiiſſe, non meritas pœnas de malignis, ac perfidis hominibus ſumpſiſſe. Monendos autem cenſeo omnes principes ac Reſpublicas: vt ſi quando aduerſus illos cõiuratum fuerit: diligenter expendant coniuratorum vires, antequam ad illos puniẽdos accedant. Nam ſi magnas illas eſſe compertum fuerit, nihil aperte aduerſus illas tentandum, ſed diſſimulanda omnia, donec auxilia compararint, ad extinguendum hunc ignem ſufficientia. Quod ſi aliter fecerint, exitium ſuum accelerabunt. Nam cõiurati, cum detecta eſſe vident conſilia ſua, metu periculi, extrema quæque tentare ſolent. Exemplum igitur licebit imitari populi Romani. Nam, cum is aliquando binas legiones Capuæ in hybernis reliquiſſet, vt præſidio eſſent cõtra Samnites, atq; eorum duces contra Campanos coniuraſſent: populus Romanus re cognita, & Rutilio conſuli demandata, euulgauit fore, vt iidem milites ſequenti quoque anno iſthic hybernaturi eſſent. Coniurati igitur ſe ſpatium nactos putabant, cõſilium, quando vellent, exequendi, atque ita ſedata quieuit in præſentia

ſeditio, donec Conſuli ſpatium daretur, coniuratorum præcipuos quoſque, tanquam id ob alias cauſas fieret, à cætera turba ſeparandi, atq; ita cõiuratorum robur minuẽdi, vt cum poſtea exequi decreuiſſent inſtituti ſui rationem, vires non haberet. Singulare profecto exẽplum omnibus ad cognoſcendũ, quam lente progredi ſoleãt res humanæ, quando nullum in mora periculum videtur: & è contra quam feſtinare ſoleamus, cum in eadem mora multum periculi eſſe exiſtimamus. Hæc igitur prudentiſſima ratio fuerit, coniuratos ſuſpendendi, vt conſilii executionem in alia tempora differant, tibique ſpatium ad occurrendum concedant: ſiquidem illis fucatam quãdam occaſionem obiicias, qua alio tempore commodius, quam nunc, voti compotes fieri poſſe videantur. Qui aliter coniurationibus ſeſe oppoſuerint, interitum perniciemque ſuam accelerabunt: perinde vt accidiſſe nouimus Duci Atheneo, & Guilielmo Pazzio: quorũ ille, cum aduerſus ſe factam coniurationem intellexiſſet, re non aliter conſiderata, ex coniuratis vnum cœpit: cęteri cognito, quod ipſis immineret periculo, ſumptis armis, cõmitem imperio ſpoliarunt. Guilielmus aũt Chianæ vallis præfectus, anno Domini 1501. cognouit Aretii coniurationem factam, vt ea vrbs, Florentinis erepta, Vitelliis traderetur. Itaque Aretium ingreſſus, de coniuratorum viribus prius nihil cogitauit, ſed coniuratorum vnum in vincula coniecit, conſilio vſus Epiſcopi, filii ſui: qua re permoti cæteri coniurati, ſumptis armis vrbem occuparunt, & Guilielmum præfectum in vincula coniecerunt. Cum infirmæ ac debiles fuerint cõ-

iurato-

ſuratorum vires, optimum eſt illas quam primum opprimere: neque imitanda ſunt exempla vel Athenei ducis, vel Dionis Syracuſani: quorum ille ciuem quendam à quo coniuratio patefacta fuerat, interficiendum curauit, vt cæteri putarēt eum nihil ſuſpicari, ac proinde beneuoli illi fierent: Dion autem, de quorundam erga ſe animo, & voluntate dubitans, Calippo, cui plurimum confidebat, in mandatis dedit, vt ſimularet ſe coniurationem eſſe facturum contra ſeſe ac videret, quos in eam ſententiam pertrahere poſſet. Vterq; autem horum vehementer errauit. Nam primus effecit, ne quiſquam coniuratos accuſare auderet: atque illi proinde ad coniurandum audaciores eſſent. Alter viam coniuratis oſtendit, qua interficeretur. Nam Calippus eam nactus occaſionem, abſque vlla ſuſpicione Dionem imperio ſimul & vita ſpoliauit.

SCIPIONIS AMMIRATI NEAPOLITANI

Magn. Etrur. Duc. à Conſiliis

Ex Libro XIX. Diſcurſuum Italice in Corn. Tacitum ſcriptorum

DISPVTATIO X.

Rariſſime, imo fere nunquam ſe excuſare poſſe eos, qui coniurant aduerſus ſuum Principem.

EX ore eius qui mentiri nequit, miſſa eſt illa ſentētia; Neceſſario euenire ſcandala, ſed in-

felices eſſe illos, per quos ea euenerint. Equidem haud ſcio, an identidem dicere liceat nobis reperiri Principes ſceleratos, etiam puniri atq; exterminari neceſſe eſſe: verum infeliciſſimos eſſe illos, qui virum Principem è medio tollunt. Id voluit Tacitus cum dixit: Haud dubie intererat Vitellium vinci: ſed imputare perfidiam non poſſunt, qui Vitellium Veſpaſiano prodidêre, cum à Galba deſciuiſſent. Inter multas rationes quæ hac de re in mediū proferri poſſunt, princeps eſt hæc: Quod fortaſſis nunquam, vel certe rariſſime cōiuratio facta eſt aduerſus Principem vlla, ſolo libertatis amore. Vnde haud inſcite dictum eſt: Fruſtra obtentui ſumi libertatis titulū ab iis, qui priuatim degeneres, in publicum exitioſi nihil ſpei niſi per diſcordias habent. Et alibi: Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alienum ſeruitium & dominationem ſibi conquiſiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet. Ideoque & illud optime dictum, vtpote de re veriſſima quamuis deterrimi conſilii, Multos vt imperium euertant, libertatem præferre, ſi euerterint, ipſam quoq; aggreſſuros. Rebellauerat Rex Armeniæ aduerſus Aſtyagen regem Medorum, cui poſteaquā ab eo reiectus eſſet, factus erat tributarius, promiſeratque ſe, quoties neceſſitas poſtularet, ſecuturum illum in bellū aduerſus quoſcunque, quin etiam nullum in regno ſuo exſtructurum impoſterum propugnaculum. Poſtea vero arma in eum ſumſit Cyrus Aſtyagis è filia nepos; qui poſtquam non ſolum eum prælio vicerat, verū etiam ipſummet ceperat, interrogauit, quæ illum res ad rebellandum impuliſſet? Reſpondit,

ſpondit, Armenus: Quod libertatem affectabam, quodve mihi omnium pulcerrimum videbatur liberum eſſe, eamdemq; libertatem filiis ac poſteris relinquere. Ad hæc Cyrus, Rem inquit profecto pulcerrimam atq; omni laude dignam exiſtimare debemus, pugnare de libertate. At enimuero dic mihi quæſo, ſi quiſpiam in prælio victus fuerit, aut ſi alicunde alicui contigerit, in alterius poteſtatem incidere, hunc, ſi ſe ſubtrahere victoris dominio conetur, vtrum virum bonum eſſe exiſtimas, an vero tanquam hominem iniuſtum atque latronem ſeueriſſime punias. Haud inficiari potuit Armenius, quin pœnam eſſet promeritus, ſi domino velut ſurripiens ſuarum eum rerũ poſſeſſione ſpoliauiſſet, quas belli iure optimo acquiſiuerat. Quod ſi hoc ita eſt, vt certe eſt, quanto magis delinquit is qui non rebus modo ſuis aliquem, ſed etiam vita priuatum it? Sed enim dicat aliquis, Quid igitur faciam, ſi mihi ſub Tyranno viuere ſors obtigerit? Illud nimirum quod Cerialis ſuaſit Treuiris atque Lingionibus: ſicuti inquit, ſterilitatem aut nimios imbres, & cetera naturæ mala, ita quoque luxum vel auaritiam dominantium tolerate. Cui conuenit, quod multi olim Senatores dixerant M. Liuii iracundiæ mitigandæ: Non minus acerbitatem patriæ quam patrũ tolerandam eſſe. Neque abſimile eſt illud Marcelli; ſe bonos Imperatores voto expetere, qualeſcũque tolerare. Et Claudius Imperator dicebat Parthorum legatis: Ferenda eſſe regũm ingenia, neque vſui crebras mutationes. Atqui ita comparatum eſt, vt multi nullo ſint contenti imperio, aut Reipub. genere: qui vix dum hodie vnum exper-

ti ſunt, poſtridie aliud affectant, quod poſtea idẽtidem euertant: Id quod magis tribuendum eſt ipſorum inconſtantiæ atque inſolentiæ, quam Principum. Neq; dici conſueuit, quia multo præſtet in libertate quam ſub Principe viuere, hanc eſſe cauſam mutationum, cum reperti olim fuerint ex Iuuentute Romana multi nobiles qui exuto ſeruitutis iugo & libertate parta, tam peruerſo fuerint ingenio, vt in animũ induxerint & patriam, parentes, templa Deorum, omnia denique humana & diuina, ſuperbiſſimo quondam ipſorũ regi, & tunc acerbiſſimo exuli prodere. Imo ipſos Iudæos, poſtquam excuſſerãt iugum Pharaonis, non potuit non pœnitere recuperatæ libertatis. Neque eſt quod ſe excuſent, propterea, quod ſub tyranno via ſibi præcluſa ſit perueniendi ad honores, quos virtus ipſorum meretur; quandoquidem alibi demonſtrauimus, vel ſub peſſimo Principe alicui licere magnum atque honoratum eſſe: Quin imo eo ſunt ingenio viri magni, quique virtute ſua viam ſibi ad veram gloriam patefecerunt, vt illibenter talia moliantur. Imo qui ſapiũt, ab hiſce rebus ſibi cauent, tanquam à periculoſiſſimis ſcopulis, ad quos pauci appulerunt, qui non rationes ſuas omnes adflixerint. Hic mihi obiiciat aliquis, me nunquam guſtaſſe dulcedinem libertatis, ideoque imprudenter hac de re garrire. Cui ego reſpondeo: Si libertate cunctis theſauris pretioſiore non recte liceat vti: neq; vero liceat recte vti niſi inter homines bonos atque præſtantes, atque horum noſtro ſæculo magna ſit penuria; equidem eo conſilii deſcenderem, vnum, vt mallem, quam multos tyrannos ferre, ſi tamen talis

lis eſſet is, ſub quo viuerem. Sed omiſſis hiſce diſputationibus: Mehercules, ſi quod hominũ genus eſt, qui minus excuſare poſſint rebelliones, atque aduerſus ſuum principem coniurationes, ii nos Chriſtiani ſumus: quippe non ſolum edocti obtemperare iuſto & legitimo Magiſtratui, verum etiam improbo & inſolenti (ſi quis forte talis nobis contingeret) morem gerere, eiuſque ſuperba aſperaque imperia patienter ferre: quandoquidem nemo noſtrum neſcit, Deum immortalem ita velle, cuius in manu ſunt corda Principum. Quod ſi hic multos ſinit eiuſcemodi regnare Principes, quanto magis nos id æquo animo tolerare debemus.

LIBET HIC ADTEXERE eiuſdem Ammirati aliam diſputationem, & cum ſuperiori quaſi gemellã facere, ex Lib. XVII. *Diſc.* IIII. *Continet enim præcepta de vitandis & cauendis coniurationibus vtiliſſima, exemplisq́; breuiter illuſtrata. Ideoq́; eſt ab eo hæc Diſputatio ſic inſcripta*

QVAS RES CAVERE VEL curare Principes debeant, ne ſubditos ſuos offendant.

IN fine pulcherrimæ illius & prudentis orationis, qua Piſonem Galba alloquitur in adoptando eo & ſucceſſore imperii deſignando, monet eum quiddam, quod quiuis vt Princeps factus eſt, ſtatim in omnibus cubiculorũ foribus inſcriben-

dum curare deberet, ne vnquã ex animo ipſi exciderет. Cogita, quid aut nolueris ſub alio Principe, aut volueris. Tacit. libro 1. Hiſtor. Idem ferè & Mæcenas apud Dionem ſuadet Auguſto in extremo orationis, his verbis: Nulla in re laberis, ſi ea ipſe libenter feceris, quæ velles alium facere, ſi eius imperio ſubiectus eſſes. Dio libro LII. Quæ præcepta mire congruunt cum illo nobiliſſimo Chriſti Seruatoris noſtri, Qvod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quam ſententiam tanti fecit Alexander Seuerus Imperator, quamuis minimè Chriſtianus, vt non in ore ſolum eam perpetuo haberet, ſed etiam in Palatio, aliiſque publicis operibus vrbis Romæ inſcribi iuberet. Lamprid. in eius vita. Hoc præceptum ſi recte memoria teneretur, Principeſq; cubiculariis ſuis mane ad ſe intrãtibus iniungerent, ita iis ſubiicerent, Memento, Princeps, quid Galba Piſonem monuerit. quemadmodum feciſſe quemdam regis Perſarum cubicularium legimus, cum ei identidem mane diceret, Meminiſſet ea, quæ præcepiſſet ei aliquando Meſoromaſdes: Plut. lib. inſtitut. Principum. Verum enimuero, quoniam nemo eſt, qui talia cogitet, & Principibus proponere oportet res (vt vulgo loquimur) bene digeſtas: ad ſpecialia deſcendam. Ac primũ admonito plerumque grauius à nobis accipi contemptum, quam damnum, ita illis dixerim. I. Si aliquem incõmodo adficere vultis, ne contemnitẽ tamen eum. non enim aliam ob rem Caligula interfectus eſt à Caſſio Cheræa, quem is pro effeminato habebat, quam, quia ſignum more militiæ petenti, Priapum dare ſolebat: agentiq; gratias

tias de aliqua re, manum ei porrigebat formatam in obſcænum modum. Suetonius in vita Calig. eademq; cauſſa Quintiliano fuit aduerſus Neronem coniurandi: Tacit. lib. XV. teſte. II. Vbi remedia legum in promptu ſunt, nolite vi imperii & dominationis vti: nam, nullo fructu, Tyranni nomen vobis conciliabitis. III. Quoties ciuib. aut militibus veſtris promitteris præmia, & remunerationes, ne difficiles & tardi in exſoluendo ſitis. nam initium rebellionis contra Imp. Galbā fuit, donatiui toties promiſſi, nec vnquam repræſentati dilatio. Deſperatione delati toties donatiui, inquit Tacitus lib. I. Hiſtor. IV. Ne iniurias ſubditis veſtris illatas ab iis, qui apud vos gratia valent, facile largiamini. nam cum quis ſe adfectum iniuria à priuato videat, à Principe vero cōtemptui habitum, magis in Principem ira incitatur, quam in priuatū. quæ cauſſa Pauſaniam impulit, vt Philippum regem Macedoniæ interficeret. V. Si quem offenderitis aliqua in re graui, ne eum vobiſcum verſari ſinite, ſic, vt nocere vobis queat. quod Imp. Lamberto adcidit, qui in venatione defeſſus cum ſomnum caperet cuſtode Vgone, cuius patrem Maginfredum occiderat, ab eo eſt in tanta opportunitate necatus, patriſq; vltioni mactatus. vt Luitprand. lib. XVI. refert. VI. Ne quem diutius metu crudelitatis veſtræ aut odii torqueatis: nam vnuſquiſque timens ne id ſibi eueniat, quod euenilſe aliis vidit, conſilia celeriter in vos capit, præoccupatque. quod contigit Antonino Caracallæ, vt eſt lib. IV. Herodiani. VI. Vxores, liberi, vel ſorores ſubditorum veſtrorum pudicitiam à vobis integram & inuiolatam

ſeruent: nullum. n. vitium pernicioſius eſt Principibus. qua de cauſſa à ſuis eſt Oddus Antonius, Vrbini Dux, popularium conſpiratione occiſus. Simonetta libro VII. cap. V. teſte. Quidam Principes adeo omnes impudentię limites migrant, vt poſtquam ipſi libidinem ſuam exſatiauerunt, in partem prædæ vocet etiam aulica miniſteria: potiſſima quæ cauſſa fuit exitii Ioh. Galeacii Sfortiæ Ducis Mediolani. vt eſt in part. ſexta Hiſtoriarum Corii. VII. Ne vnum alterumue, nouos præſertim homines, in immenſum attollite, cæteris proceribus regni quaſi à tergo relictis; quorum animos rumpi dolore, atque iracundia, neceſſe eſt: neq; alia res magis Henrici Tertii Galliarum regis cædem maturauit, regnoque maximas clades peperit. VIII. Veſtras etiam vxores ipſas ne contumelia adficite. nam cum & liberum aditum ad vos, & perſonæ veſtræ vſum habeant, ad hoc cum participes maieſtatis & potentiæ veſtræ ſint, vtpote vxores, acerrime poſſunt ſe ipſæ vlciſci: quẽadmodum Roſimunda egit in Albuinum, primum in Italia regem Longobardorum: lib II. Pauli Diaconi. IX. Similiter nec fratres veſtros durius aut contumelioſius tractate, quãuis non æquali matre natos. ob hanc cauſſam enim Petrus Caſtiliæ rex ab Hẽrico fratre eius eſt & regno & vita ſpoliatus, vt Roderic. Epiſ. cap. XVIII. commemorat. X. Regna alieno ſanguine parare ne conamini; ſæpe enim cum proprio ſanguine amittuntur. exemplo ſit Carolus Tertius rex Neapolitanus, qui cum regnum Iohanæ reginæ extorſiſſet propinquæ ſuæ, clam eius iuſſu ſtrangulatæ, paullo poſt eſt ab Hungaris in omnium cõſpectu trucidatus.

datus. XI. Bonis neminem ſpolietis, in quibus humanæ vitæ ſunt adminicula. Pleriq; enim vitam iis ſubſidiis ſpoliatam præcipites cum periculis exponunt, vt morte ſe ærumnis atq; ignominiæ ſubtrahant: ſicut ille, non ita pridem, furioſus, qui interfecit Mehemetum Viſirum, magnis regibus potentia comparandum. XII. Si Principes noui eſtis, ſatis habete vim imperii retinere, nec ſimulachra quædam inania, vel oſtentaméta curate: id enim conſpirationis contra Cæſarē cauſſa fuit, quod apud Suetonium legimus. Hæc ita mihi in mentem venerunt, quibus præceptum illud explicarem Imp. Galbæ, Cogita quid aut nolueris ſub alio Principe, aut volueris. Sed contra hoc præceptum, contraq; omnia quæ ſupra monuimus, obiicitur nobis à quibuſdam intelligentibus viris, Aliud eſſe Principis perſonam, aliud priuati gerere. eamque ob rem multos, cum ad dominatum perueniſſent, ſententiam, atque ingenium immutauiſſe. Reſpondeo, verum id quidem eſſe, Aliter Principum res, quam priuatorū incedere; Sed tamen omnes in melius: id eſt, in id, quod magis magnanimum eſt, quod fortius, quod iuſtius, quod magnificentius, non autem in id, quod deterius eſt, dirigi oporteret. Non vltra tibi neceſſe eſt adſentari Principibus, non vltra diſſimulare, nō vltra indignitates alias ferre. Tu, priuatus cum eſſes, lites immortales reprehendebas: odio tibi erat aulicorum licentia, diſplicebāt mercatorum rapinæ, latrocinia militum ferre nō poteras æquo animo: cur igitur Princeps iam factus non iis remedium adfers, eaque tollis? Tibi priuato moleſtiam adferebant viæ male ſtratæ ac

munitæ,itinera intuta,publicanorum impudentia,cauponum velut piratica, aliaq; plurima, quæ miſeros viantes morantur atque adflictant: cur, dominatione parta, cum poſſis, non iſta ad rectũ ordinem reuocas? an quia leuia tibi videntur? atqui non ita Romanis illis viſę ſunt, qui vias ita curarunt, vt magnificentia cum vtilitate certare videretur. Verum eſt illud Galbæ præceptum: qui ex priuato ad imperium cum veniſſet, nondum oblitus erat infirmitatis ac vitiorum, quæ in aliis Principibus perſpexerat; ideoque Piſonem, vt idẽ meminiſſet, admonebat. Amplius dico: multo maiorem habere rationem eorum conſiliorum debes, quibus priuatus vtebare, quam eorũ, quæ Principi facto ſe recens inſinuauerunt. Nam vt illa, cum tu vnus è populo eſſes, ordinata & moderata erant, ex communi quodam totius populi conſenſu, vnde non temere dictum eſt, Vocem populi vocem Dei eſſe: ſic iſta, quibus velificatur dominandi licentia, poſtquam ſemel regnandi dulcedinem ſenſiſti contemnereque priores cibos cepiſti, auferunt te per licita atque illicita, velut ebrium, ſine vllo freno aut diſcrimine, quocunque libido rapit, atque impellit.

INDEX OMNIVM CONiurationum, Defectionum, Rebellionũ, & Proditionum, quæ ab initio mũdi, ad nouiſsima vſq; tempora variis in locis, ciuitatibus, Imperiis ac regnis exortæ ſunt:

Ant. Contii IC.

Prin-

PRINCIPIO, vt fabulæ fingunt in ipſo mundi primordio, nondum conſtitutam fuiſſe maieſtatem in cœlo, diis minoribus Ioui cedere detrectãtibus, ita veritas ſacri nos eloquii docet apoſtatas angelos, eorumque principem SATANAM, quæ vox Hebraica rebellem & aduerſarium ſignificat, diuinæ ac ſummæ maieſtati cedere nolentem, & ſimilem ſe altiſſimo iactantem duce Michaele archangelo, ac iuſtorum angelorum legibus fuiſſe oppreſſum & de cœlo deiectũ, & igni ſempiterno deſtinatum. Ea prima fuit perduellio rebellioque & animatio hoſtilis aduerſus Deum, cum homines nulli dũ eſſent. Cuius perpetuo conſcius ille angelus præuaricator, homines poſtea ad conſimilem defectionẽ & ruinam ſolicitare non deſtitit nec deſiſtit. Hoc vnum damnationis ſuæ quærens præmium & ſolatium, ſi cum de ſalute ſua deſperârit, omnium hominum ſalutem in dubium reuocet, ac in præceps barathrum demergat, ſi aurem callidis eius ſuſurris præbuerint. Nam & ipſos primos homines non ad tranſgreſſionem tantum præcepti, ſed etiam ad læſionem & vſurpationem maieſtatis diuinæ inſtigauit, falſo prædicens fore vt poſt tranſgreſſionem viuerent oculis apertis, & eſſent ſicut dii ſcientes bonum & malum. Sed mihi conſilium non eſt varias diuinæ maieſtatis læſæ ſpecies enumerare, quas ab hoc crimine maieſtatis, iudicii & pœnæ genere antea monui diſcretas. Itaq; ne audax illud facinus latius commemorabo, quo turrem vſq; ad cœlum erigere tentarunt primi poſt diluuium homines & gigantes, partim nominis

& gloriæ parandæ cauſa, partim etiam muniendi aduerſus diluuium, ſi rediret præſidii. Quam etiam rebellionem poetæ, & fabulæ in bellum gigantum transformarunt. Ouid. 1. Metam.

Affectaſſe ferunt regnum cœleſte gigantes,
Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſydera montes.
Tum pater omnipotens miſſo perfregit olympum
Fulmine, & excuſſit ſubiectum Pelion oſſæ.

Sed nos veritas ipſa docet nullius fulminis præſidio, ſed ſola labii, id eſt, linguarum confuſione eos ab incepto fuiſſe præpeditos.

CONIVRATIONES autē perſonarum, quæ in fabulis & tragœdiis referuntur, & quę fabuloſis temporibus tribuuntur prætermittēs, eas percurrā, quę ab hiſtoricis ſinceriore fide referuntur.

PRIMVS Seſoſtris regis Ægypti frater, ei apud ſe cum vxore, & filiis cęnāti inſidias parauit. Diod. lib. 1. parte ſecunda.

2 POSTEA Ninus matri Semiramidi, per Eunuchum inſidias parauit, quas authore Diodoro euaſit, ſed Trog. contra exiſtimat ob adpetitum filii concubitum, ab eodem interfectā. narrat Oroſius lib. 1. cap. 4. eam publico ſcelere, nefandam ſuam libidinem obtexiſſe, & legem tuliſſe, qua inter parentes liberoſq; coniugia permittebantur.

3 AD videndum Sardanapalum (quod nemini antea permiſſum erat) præfectus eius Arbaces ægre admiſſus, cum eum inter ſcortorum greges inueniſſet omni fœmina molliorem & laſciuiorem, indignatus tanto probro cum ſociis de bello illi inferendo coniurat. In quo victus Sardanapalus, ſe cum omni gaza in pyram coniicit, & in eius locum idem ipſe Arbaces rex ſtatuitur, Iuſtinus libro 1.

bro 1. Oroſ. lib. 1. cap. 19. Diodorus lib. 2.

4 Aſtyages meriti, id eſt, ſceleris in Harpagũ admiſſi, cum in vltionem ſeruati Cyri nepotis, filium ſuum epulandum dedit, ipſi Harpago ſummam belli contra Cyrum committit, qui acceptũ exercitum ſtatim Cyro per proditionem tradit, regis crudelitatem perfidia defectionis vltus. Iuſtinus lib. 1. Oroſ. libr. 1 ca. 19. Cyrus etiam, victo auo regnum abſtulit, eumque maximę genti Hircanorum prępoſuit, nepotem magis quam victorem ſe gerens.

5 Vxor Candaulis Lydiæ regis, cum Gyge regis amico, ſuoque adultero, de interficiendo marito coniurauit. Id fuit nuptiarum cum Gyge futurarũ prępmium: Nam mariti ſanguine dotata regnum viri & ſe pariter adultero tradidit. Iuſt. Herodot.

6 Magus quidem delegatum ſibi facinus à Cãbyſe de ipſius fratre Mergide interficiẽdo, etiam Cambyſe mortuo perpetrat, proſtratoque Mergide cui regnum debebatur, fratrem ſuum oris lineamentis perſimilem ſubiecit Oropaſtem, ac nemine ſubeſſe dolum arbitrante, rex Oropaſtes diu pro Mergide creditus fuit. Iuſtinus lib. 1. Herodotus libr. 3. paulo aliter: quem ſequitur Euſebius in Chronicis.

7 Ea falſi Regis ſubiectio poſtea Hoſtani viro inter Perſas nobili, cognita, eum impulit vt cum ſex Optimatibus coniuraret, eoſq; in cædem falſi Regis impulſos, Sacramento religionis obſtringeret: Quo occiſo, de Rege ex ipſorũ numero eligendo concordare potuerunt, Regnum ad Dariũ Hiſpalis filium, vnum ex coniuratis peruenit: A-

lius ex coniuratis, nomine Zopirus, dolo Babyloniam ingreſſus, vrbē Dario Regi prodidit. Iuſtin. lib. 1. in fine.

Pisistratvs victis Megaris, quaſi ſibi non Patriæ viciſſet, tyrannidem per dolum occupat: quippe verberibus voluntariis domi adfectus, laceratoq; corpore in cōciónē prodit, vulnera oſtēdit, quæ à Principibus ſimulat accepta, obtinet ad cuſtodiam corporis ſui ſatellitium, & cuſtodum cohortem, cuius munimento, & vi occupata tyrannide, annos regnat xxxiv. cuius duo liberi Diocles & Hippias, ille ob ſtupratam virginem, à fratre virginis interfectus eſt, hic ob crudelitatem quæſtionis, de fratre virginis & conſciis habitæ regno pulſus, ducem ſe Dario ad bellum patriæ infer ndū obtulit, & eum aduerſus patriam concitauit. Iuſti. lib. 2. Euſeb. ad annum 17. Tarquin. Sup. notat Hipparcum & Hippiam Athenis tyrānidem exercuiſſe, eoſque tandem ab Armodio & Ariſtogitone interfectos: & Leenam meretricē amicam eorum, cum tormentis cogeretur, vt ſocios proderet, linguam ſuam mordacitus amputaſſe. Et paulo poſt apud Samum tres fratres, Polycratem, Sylum & Pantagnoſtum Lones, cum eſſent coloni ab Athenienſibus deducti, in auxilium tamen Regis Xerxis venerunt aduerſus Athenienſes, quos vt rebellantes aduerſus conditores ſuos, Themiſtocles increpans, perfecit vt in ipſo prælio pugnę ſe paulatim ſubtraherent. quorum defectio cæterorum animos fregit. Iuſti. libro 2.

Docvmento fuit Themiſtocles poſſe dolo bono interdum noſtra cōſilia hoſtibus nūciari: nam

cum

cum Græci audita Xerxis fuga conſilium iniſſent intercumpendi pontis quem ille Abido, velut victor maris fecerat, vt intercluſo aditu, aut deleretur, aut ad pacem petendam cogeretur: Themiſtocles contra metuens ne deſperationem in virtutem verterent, & iter quod aliter non pateret, ferro patefacerent, conſilium Græcorum Xerxi indicat: ille perculſus nuncio Abidum fugiens, & ſolutum pontem hibernis tempeſtatibus offendens, piſcatoria ſcapha traiecit trepidus. Iuſtinus lib. 2. de Themiſtocle.

PAVSANIAS dux Lacedæmoniorum in bello aduerſus Xerxem, pro ducatu Regnum Græciæ adfectãs, proditionis præmiũ cum Xerxe, nuptias filiæ eius paciſcitur. Scribit præterea Xerxi, quoſcunque ad ſe nuncios miſiſſet, interficeret, ne res loquacitate hominũ proderetur. Sed dux Atheniensium Ariſtides belli ſocius electus, collegæ conatibus obuiam eundo, ſimul in rem ſapienter conſulẽdo, proditionis cõſilia diſcuſſit. Nec multo poſt accuſatus Pauſanias damnatur, non ſolo Argilii iudicis iudicio, ſed & proprio: & in templo quodam eſt concluſus, vt in eo ſub Dino interiret. Probus in Pauſania. Iuſtinus lib. 2. in fine.

ARTABANVS Xerxis præfectus, cum ſeptem robuſtiſſimis filiis Regiam Xerxis veſperi ingreſſus, eum trucidat: mox etiã Artaxerxem puerum impellit, Darium adoleſcentem fratrem interficere, perſuadens à Dario patrem Xerxem interfectum: quo perpetrato, veritate rei geſtæ poſtea cognita, Artaxerxes ſe quoque ad necem vltimũ appeti ſciens, & verens numerum filiorum Artabani, exercitũ iubet eſſe paratum, quaſi recogni-

turus militum numerum: ibi armatum Artabanum, iubet ſecum commutare loricam, ſimulans ſe breuiorem habere, exuentem ſe, ac nudatum gladio traiecit: tum etiam filios eius corripi iubet. Iuſtin. lib. 3. in principio.

Pericles Athenienſis dux belli, in Lacedæmonios electus proſpiciens, & populo prædicens fore, vt ad conflandum illi proditionis infamiam, Lacedæmonii eius agros relinquerent intactos in populatione cæterorum, ſuos agros dono reipublicę, antequam ad bellum proficiſceretur, dedit. Iuſtinus lib. 3.

Triginta viri, deuictis Athenienſibus, impoſiti à Lacedæmoniis, qui rempublicã Athenienſium tractarent; cum primo cepiſſent peſſimum quemque, & omnibus inuiſum indemnatum necare, poſtea vbi licentia creuit, iuxta bonos & malos libidinoſe interficere cœperunt, & tyrãnidem in ciues exercuerunt, ſibi tria millia ſatellitum ſtatuentes: Itaque populus, qui de bono illorum initio lætabatur, ſtultæ lætitiæ pœnas tandẽ dedit: ſed his tandem ab exulibus Athenienſibus eiectis, & bello victis, alii decẽuiri ſubſtituti ſunt, qui nihil exemplo prioris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggreſſi ſunt, & dignum etiam cœptis audacibus vitæ exitum nacti, vt pacis victimę trucidati, reuocatis in vrbem his qui emigrare iuſſi erant, & ἀμνηςία iureiurando ſancita, & lege à Thraſibulo lata, ne quis anteactarum rerum accuſaretur, neue multaretur, quam legem obliuionis appellarunt: Probus in Thraſybulo, quem facit harum rerum auctorem. Iuſtinus lib. 5. Saluſtius in Catilin. in oratione Cæſaris.

In

IN BELLO Thebanorum & Athenienſium aduerſus Lacedęmonios, Pauſanias alter Lacedęmoniorum dux, proditionis accuſatus, in exilium abiit.

PAVSANIAS nobilis ex Macedonibus adoleſcens, vel certas ob cauſſas Philippo patri Alexādri ſubiratus, vel ab Olympiade expulſa immiſſus, ipſum Philippum quo die nuptias filiæ ſuæ Cleopatræ cum Alexandro Epiri Rege çelebrabat, obtruncauit. Ob quod facinus crucifixus cum eſſet, eius in cruce pendentis capiti coronam impoſuit Olympias, eadem nocte qua venit titulo officii ad exequias mariti: ſed & paucos poſt dies refixum corpus eius inter reliquias mariti cremauit, & ei tumulum eodem in loco fecit, parentariq; quotannis curauit: & gladium quo Rex interfectus fuerat, Apollini ſub nomine Martialis conſecrauit: quod nomen antea illi paruulæ fuerat.

PORTENTOSA fuit Darii in Artaxerxem patrē, à quo viuente Rex factus fuerat coniuratio, cum quinquaginta fratribus parricidis, qua detecta, omnes cum vxoribus diis paternæ maieſtatis vltoribus pœnas dederunt: Ochus poſtea regnum adeptus, timens parem coniurationē, regiam cognatorum cæde replet, nullo ſexus, ſanguinis, ætatis diſcrimine, ſcilicet, ne innocentior fratribus haberetur. Iuſtinus lib. 10.

ANTIPATER per inſidias Alexandrum Mag. veneno extingui curauit. Iuſtinus lib. 12.

PANETIVS primus in Sicilia arripuit tyrannidem. Hieron. poſt Galeonem Syracuſis tyrannidem exercuit. Euſebius Chronic. ad annum 2. Tarquinii Priſci: & ad annum 5. Xerxis.

Accvsatvs fuit Athenis Miltiades proditionis, quod cum parum expugnare poſſet, à Rege corruptus, infectis reb. à pugna deceſſiſſet: cauſſa cognita capitis abſolutus, pecunia multatus eſt, lite quinquaginta talentis æſtimata, hanc pecuniam quia ſoluere non poterat, in vincula publica coniectus eſt, ibique diem obiit ſupremum. Sed aliam fuiſſe cauſam damnationis ait Probus: nempe quia eius potentiam & dominandi aſſuetudinem, magnam auctoritatem apud omnes ciuitates, nobile nomen laudem rei militaris ſuſpectam habuerunt Piſiſtrati tyrannidis memores. Probus in Miltiade. Valer. Max. lib. 5. cap. de ingratis, hoc addens. Imo ne corpus quidem eius ſic expirare coacti, ſepulturæ prius mandari paſſi ſunt, quam filius eius Cimon eiſdem vinculis ſe conſtringendum traderet, hanc hęreditatem paternam Maximi ducis filius, & futurus ipſe ætatis ſuæ dux Maximus, ſolam ſe creuiſſe, cathenas ſcilicet & carcerem gloriari potuit: ſic enim locus emendandus eſt ex manuſcriptis libris, qui vulgo deprauatus circumfertur. Filius quoque eius Cimon poſt multa in ſuam rempublicam beneficia, teſtarum ſuffragiis, quod illi oſtraciſmum vocãt, decem annorum exilio multatus eſt: Probus in Cimone. Themiſtocles etiam pari ingratitudine proditionis abſens eſt damnatus: vt antea retulimus in l. quiſquis. cap. 1. de quo ſcribunt Thucidides, Plutarchus, Iuſtinus, Probus, Val. Max. lib. 5. cap. de ingratis.

Sed & Ariſtidem qui cognominabatur Ivstvs, teſtula ſeu oſtraciſmo decem annorũ multarunt: quæ damnatio, non tam ſcelus, quam liuorem

uorem tyrannidis indicabat, teſte Plutarcho.

SED & Timotheus Conouis filius proditionis damnatus eſt Athenis, liſque æſtimata centum talentis, ſed poſt huius mortem in Chalcide, populus nouem multæ partes detraxit, & decem talenta Conouem filium eius ad muri refectionem dare iuſſit. Probus in Timot.

DIONYSIVS tyrannus pater, cum dixiſſet Medicis ſe, ſi maiore in periculo vitæ eſſet, velle partiri regnum cum Dione, idque Dionyſius filius à medicis reſciſſet, fraude filii diem ſupremum obiit: nam is medicos coëgit patri dare ſoporem, ſeu ſoporiferam potionem, ne agendi cum Dione eſſet poteſtas. Hunc Dionem cum tyrannidē poſtea arripuiſſet, Callicrates quidam Athenienſis, homo callidiſſimus, & ſine vlla religione & fide mire circumuenit. Nam cum ei perſuaſiſſet è re ſua eſſe quendam ex ſuis emiſſarium habere, qui ſe ſimularet ei inimicum, hocque prætextu omnium ſiniſtros de illo ſermones colligeret, ad eumque deferret vt pœnas darent, has ipſe partes excepit, & ſe Dionis imprudentia armauit. Nam ſerio ſocios ad illum interficiendum conquirit, & coniurationem confirmat: & quamuis à ſorore & vxore Dion certior eſſet factus, tamen ea fieri præcepto ſuo dixit: nec dubitauit ipſe Callicrates in æde Proſerpinæ mulieribus iurare, nihil à ſe periculi fore Dioni, & poſtea peierare, & Dionem dolo aggredi, & facinus maturare atq; perficere. Probus in Dione.

Φάρμακον ὑπνωτικόν.

EPAMINONDAS accuſatus quod contra legem Thebanam, quæ morte multabat, ſi quis Imperiū diutius retinuiſſet, quam lege præfinitum eſſet,

quatuor menſibus diutius quam populus iuſſerat imperium geſſiſſet, confeſſus eſt, ſed petiit vt in periculo ſuo, id eſt, *ſententia, iudices inſcriberet, ſe idcirco morte multari, quod Thebas & Græciã eo facto in libertatem vindicaſſet: quibus auditis nullus Iudex auſus eſt ferre ſuffragium. Probus in Epaminonda.

** Vt notaui ad l. 1. C. de ſenten. expo-riculo recit.*

PHOCION, propter ſuſpicionem proditi hoſtibus Piræi, damnatus, traditus eſt vndecimviris (more Athenienſium) vt ad mortem duceretur: in hoc tantum fuit odium multitudinis, vt nemo auſus ſit ſepelire. Probus in Phocione. Valerius Maximus libro 5. cap. 3. de ingratis, in fine.

THIMOLEON Corinthius, cum frater eius Timophanes dux à Corinthiis delectus, tyrannidẽ per milites mercenarios occupaſſet, particepsque regni poſſet eſſe, tantum abfuit à ſocietate ſceleris, vt antetulerit patriæ libertatem fratris ſaluti, ideoque fratrem tyrannum interficiendum curauerit. Idem Dioniſium tyrannum, qui Dione interfecto rurſus Syracuſarum potitus erat dux in eum miſſus ſuperauit, & tota Sicilia depulit, cum interficere poſſet, noluit, tutoque Corinthum vt perueniret effecit, quod vtrorumque Dioniſiorum opibus Corinthii ſæpe adiuti fuerant: Ciuitatibus leges libertatemque reddidit: arcem Syracuſis, quam muniuerat Dionyſius, ad vrbẽ obſidendam, à fundamentis diſiecit: cætera tyrannidis propugnacula demolitus eſt. Probus in Thimoleonte.

Ex Romana hiſtoria.

PERMITTENDVM exiſtimaui Numitoris in Amu-

Amulium vetus odium,& regnandi certamen,& Romuli ac Remi aduerſus Amulium,maiorem auunculum coniurationem de eo interficiendo,eiuſque regno Numitori auo ſuo materno, vtpote ſtirpis Maximo,& cui regnum Proca iure legarat, reſtituendo, propterea ꝙ aliquis prætextus forte ad eam irruptionẽ defendendã excogitari poſſet.

ILLVD primum maieſtatis minutæ exemplum referri poteſt, & ſuppliciũ quo Remus, quamuis Regis frater, & Regiæ quodammodo dignitatis particeps,ob neglectam,irriſam, & calcatã fratris legẽ de non tranſiliendo muro, à Fabio Celere Cẽturione raſtro fertur occiſus. Tit.Liuius lib.1. Plin. de viris illuſtr. l.vlt. ff. de rerum diuiſione. Græci ad l.pen.ff.ad l.Iuliam maieſtatis.

SEQVENS maieſtatis ſeu perduellionis iudiciũ fuit in perſona Horatii,ex trigeminis Horatiis ſuperſtitis & victoris: qui rediens ouans à victoria trigeminorum Curatiorum ſororem, alterum ex Curatiis ſibi deſponſum lugẽtem, interfecit: Mirari video nonnullos cur id perduellionis iudiciũ, ac non potius cædis, aut ſaltẽ parricidii Liuius appellet: ſed ſi quis attentius animaduertat,comperiet fuiſſe illam primam maieſtatis ſpeciem (quæ tunc perduellio dicebatur) quæ proponitur lege prima Digeſtis eodem: & cuius reos Philippenſes Diuinus Paulus fecit, à quib. indemnatus vinctus verberatus eſſet: quod vel Dionyſius aperte indicat, optimus Liuii interpres: Ait enim eum, qui ſanguine ciuili ſuas manus polluiſſet, tũc pro perduelle habitum,non autem,vt quidã falſo aſtruũt, ait,parricidii fuiſſe accuſatum: tametſi & parricidio id crimen eſſet, & ſit etiam proximum, & par-

ricidium tunc temporis ad omnem ciuis cædem, ex lege Numæ extenderetur, quæ ita concepta erat: Qvi hominem libervm sciens morti dvit, parricida esto, vt ait Feſtus, qui hauddubie hoc iudicium de parricidio inſtitutum cum ait euidenter oſtendit homicidium hominis ciuis ac liberi ad crimen perduellionis pertinuiſſe: quod verius mihi videtur. Sed in ancipiti cauſſa Rex, ad quem, more Romano, de capite ciuis ad eum vſque diem poteſtas ſtatuendi erat, vt tam inuidioſum iudicium euitaret, poteſtatem ſuam populo dedit, ad quem ſcilicet à Duumuiris ab ipſo creatis prouocatio eſſet. Itaq; eo primum tempore, de capite ciuis populũ cognoſcere cæpiſſe, teſtatur Dionyſius: Cum enim à Duumuiris à Rege creatis, damnatus eſſet Horatius, vtpote cædis manifeſtæ confeſſus, prouocauit non ad regem ſed ad populum, à quo magis propter meritum victoriç ab hoſtibus Albanis reportatæ, quam ob ius cauſæ & innocentiam, eſt abſolutus. Legem autem de perduellione hanc fuiſſe, ait Liuius, à Romulo ne, an à Numa, Tullo ne latam in dubio relinquens: Duumuiri Perduellionem iudicẽt, ſi à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato: ſi vincent caput obnubito, infœlici arbore reſte ſuſpendito, verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Videtur quidem Mar. Tull. Cicero eam legem, Regi Tarquinio Superbo acceptam ferre, ſed tamen id magis ſpecioſe, quam vere dictũ intelligi vult, vt amplificationi inſtitutæ ſeruiat: Sicuti & alio loco Orationes ſuas pro Dogmatibus, Regulis, & aliis multis accipi vetat. Hoc ipſo iudicio, quia contra

ius

ius quodammodo abſolutus eſt Horatius, iuſſit Rex cædem manifeſtam aliquo ſaltem piaculo & expiatione lui, qualem lex pro cæde inuoluntaria introducit, teſte Dionyſio, id eſt, pecunia publica, & quibuſdam piacularibus ſacrificiis, & ſub ſigillum, id eſt, ſub iugum miſſo Horatio.

PROXIMVM inde fuit Metii Fuſetii, Albanorum dictatoris iudicium proditionis ſeu defectionis, & hoſtium concitationis: ob quod crimen quadrigis, iuſſu Regis Tulli religatus, ac in diuerſa diſtractus eſt: Idē ſcilicet paſſus corpore, quod animo prius agitauerat, quem inter Fidenatē Romanamque rem, cui ſoli ex fœdere à ſe icto conſulere debebat, ancipitem geſſerat. Id ſupplicium quod fabulæ olim in Hippolytū, id eſt, verę Chriſtianorum hiſtorię in Hippolytum martyrem exercitum tradunt, ac noſtra ætas in Franciſci Delphini, ac Ducis Guiſiani perditiſſimos ſicarios, & maleficos repeti vidit: ait Liuius eſſe exempli parum memoris legum humanarum. Adderem lubens, & conditionis, fragilitatiſque humanę. in aliis autem gloriari licere nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas: quam tamen pœnæ exacerbationem, ſic Virgil. excuſat lib. 8.

— At tu dictis Albane maneres.

Sed & in proditionis conſcios animaduerſum eſſe, tradit Dionyſius, lege de proditoribus.

SEQVVTA eſt deinde Ancri regis filiorum cōſpiratio & inſidiæ, aduerſus Tarquinium Priſcum Ancri ſucceſſorem, quem per duos paſtores ferociſſimos interficiendum curarunt, regnū eo mortuo ad ſe rediturum arbitrati: Sed ſpe fruſtrati, cū regnum iuſſu Senatus Seruio Tullo delatū eſſet,

& ſceleris miniſtri comprehenſi, Sueſſam pomeriam exulatum ierunt. Liuius lib. 1. Dionyſius lib. 3. in fin.

Tarqvinivs exinde Superbus Seruium gradibus Curiæ deiici, & domum refugientem interfici iuſſit: quo facto per vim ſine populi iuſſu, ſine auctoritate patrum, regnum vſurpauit, idq; in tyrannidem conuertit, eius quoque vxor Tullia, Seruii filia ſuper ipſum corpus trucidati patris carpentum egit. Liuius libro primo. Plin. de viris illuſtribus.

Idem Tarquinius, vt ſuo parricidio quæſiit, ita filii Sex. Tarquinii adulterio perdidit regnū. Nam ob ſtupratam ab eo Lucretiam, Regii iuuenes, inter quos Iunius Brutus erat, in exitium regum coniurarunt, Bruto qui cultrum ex Lucretiæ vulnere extractum tenebat, Iuſiurandum præeunte, ſe, L. Tarquinium Superbum, cum ſcelerata coniuge Tullia, & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni, & quacunque vi poſſet exacturum, nec alios nec quenquam regnare Romæ paſſurum. Hi itaque Romæ, conuocata multitudine perfecerunt, vt populus imperium regi abrogaret, exuleſque eſſe iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis. Hocque exilio necem Lucretiæ vindicarunt.

Sed cum de reducēdis in vrbem regibus, Bruti fratriſque eius filii cum Aquiliis & Vitellis coniuraſſent (quippe luxu & libidine regia, cum liberis regis viuere ſoliti) Brutus eos virgis cæſos ſecuri percuſſit. Nam pœnæ capiendæ de ſuis liberis miniſterium conſulatus impoſuit. Liuius libr. ſecundo. Plinius, de viris illuſtribus, de Bruto. Seruo quoque Vitelliorum, totius rei indici, cui Vindi-

ci

ti nomen fuit, præmium dedit, pecuniam ex ærario, libertatem & ciuitatem dedit. Vindicta ab eo dicta, qua ideirco qui liberantur, in ciuitatem accipi videntur. Romanis qui cum tyranno aufugerant liber reditus, intra viginti dies datus, ni intra eum diem redirent, perpetuum exilium cum bonorum publicatione indictum. Dionyſ.

BRVTI illius collega in cōſulatu Publ. Valerius Poplicola leges populares tulit, de prouocatione aduerſus magiſtratum, ad populum, ſacrandoque cum bonis, capite eius, qui regni occupandi conſilia iniſſet. Liuius libro ſecundo.

MVCIVS SCOEVOLA veniam transfugiendi ad hoſtium caſtra, vt præclarum facinus patraret, à Senatu petiit ne traheretur vt transfuga. Liuius libro ſecundo.

POST TARQVINI mortem & bellum graue cum Etruria poſitum, cum ſeruili imperio patres iam plebem exercerent, de vita atque tergo, regio more conſulerent, agro pellerent, & cæteris expertibus, ſoli Imperio agerent: his & aliis ſæuitiis & maxime fœnore oppreſſa plebs, cum aſſiduis bellis & tributum ſimul & militiam ageret, armata montem ſacrum (vt Liuius & Pomponius leg. 2. de orig. Iuris) vel Auentinum, vt Piſo & Saluſt. malunt, inſedit, ibique Tribunos Plebis & alia iura ſibi parauit. Hæc prima fuit ſeceſſio, cuius autor maxime fuit Sicinius. Non dubium eſt autem hanc eſſe ſpeciem læſæ maieſtatis, qualis fere refertur l. 1. in fi. ff. ad l. Iul. maieſt. Sed hanc & cæteras ſeceſſiones plebis, non tam graues eſſe putant, quam Gracchorū, Lepidi, Sullæ Marii & ceterorum ſeditiones, aut Catilinæ & ſeruilium coniu-

rationes. Harum ideo colore,ſe defendere conatur Catilina apud Salluſtium. Sæpe (inquit) ipſa plebs, aut dominandi ſtudio permota, aut ſuperbia magiſtratuum armata à patribus ſeceſſit. Exiſtimo tamen poſt hanc ſeceſſionem reconciliatā; latum, ſcitumue fuiſſe,ne cui fraudi eſſet,vt in ſecunda ſeceſſione,de qua poſtea.

Coriolanvs, cum ob ſæuitiam in plebē abſens damnatus eſſet,in Volſcos exulatum abiit. & cum his bellum patriæ intulit, & eos aduerſus ciues ſuos concitauit,omiſſo bello vt proditor occiſus eſt. Plin. de viris illuſtribus. Liuius libro 2. ait Fabium ſcribere vſq; ad ſenectutem vixiſſe dicentem,multo miſerius ſeni exilium eſſe. Dionyſius ait eum per factionem Actii Tullii ducis Volſcorum apud Volſcos lapidibus obrutum eſſe.

Sp. Cassvs Conſul legem Agrariam promulgauit primus, hanc viam ad tyrānidem adfectans, hancque regni mercedem ſociis & plebi oſtentans. Itaque cum primum magiſtratu abiit, damnatus necatuſque eſt, vel priuato & paterno iudicio, à quo verberatus veritatis eruendæ cauſſa, necatuſque eſt peculio Cereri conſecrato, vel publico populi iudicio de perduellionis dicta, dirutis publice ædibus, è ſaxo Tarpeio deiectus eſt. Valerius lib. 6. c. 3. Senatus populuſque Romanus non contentus, capitali eum ſupplicio afficere interempto domum ſuperierit, in ſolo autem eodē Telluris fecit: ſed Senatus liberos eius, qui à morte, aut exilio, aut infamia, ob ſcelus vnum patris, aut perduellionem, liberi ſuſtinerent, duraſſe ad ſua vſq; tempora, quibus qui eum diſſoluere conati ſunt proſcriptorum à Sylla filios arcentes

centes honoribus, non impuniti à Diis fuerunt, inquit, in ſummam miſeriã delapſi, & omni maſcula ſobole in poſterum orbati.

GRÆCOS contrario iure regi, apud quos liberi damnatorum aut vna interficiuntur, aut in perpetuum exilium mittuntur, quaſi natura non ferat, vt boni ex malis, aut mali ex bonis naſci videantur.

AP. HERDONIVS ſeruos & exules ad libertatem reuocans, Capitolium occupauit, vbi & interfectus eſt, & multi ex eius coniuratis viui capti, & ita Capitolium receptum. Liuius. lib. 3.

DECEMVIRI ferendarum duodecim tabularum cauſſa creati, cum complura impotẽter feciſſent, magiſtratum noluerunt deponere, & in tertium annum retinuerũt, & priuati, faſces & regium imperium habuerunt. Apius etiam ad hæc intolerabilem iniuriam ac infamẽ in filiam Virginii adiecerat, vnde diſceſſio exercitus, ſeceſſioque plebis in Auentinum orta eſt, quæ tamen ne cui fraudi eſſet Senatus cenſuit. Idem à ſignis & plebs ſciuit. Sed reſtituta Tribunitia poteſtate, & conſulatu & plebe reconciliata, Virginius tunc Tribunus plebis diem Apio dicit, maieſtatis (vt puto) accuſat, quod cõtra leges à ſe poſitas decreuiſſet, & dediſſet vindicias ab libertate in ſeruitutem, ſed is in carcere ſibi mortem conſciuit * vt & alius ex collegis, cæteri, exilii cauſa ſolum vertetunt, bona publicata ſunt.

Plin. de viris illuſtr. & Pompon. de orig. iur. necatũ in carcere traductũ.

SP. MELIVS largitione frumenti, regnum adfectans, à Seruilio Ahala magiſtro Equitum eſt obtruncatus, quod & præter regni crimen, ad Dictatorẽ vocatus à magiſtro militum, non veniſ-

ſet, domus eius ſolo æquata. Id Æquimelium appellatum. Liuius libro quarto, Plinius libro de viris illuſtribus. Lucius Municius index boue aurata donatus.

ANNO vrbis 336. Seruitia coniurarunt, vt vrbem incenderent, & Capitolium occuparet, Sed indicio duorum comprehenſi ſontes, pœnas dederũt iudicibus dena millia grauis æris, ex ærario numerata, & libertas præmium fuit. Liu. lib. 5.

QVIDAM authores (vt ait Liuius) tradunt Duumuiros creatos, qui de perduellione Manlii Capitolini iudicarent, & damnatum de ſaxo Tarpeio deiectum eſſe, adiectis notis, publica vna vt domus eius in Capitolio nunquam à quoquam patricio inhabitaretur, gentilitia altera, ne quis deinde gentis Manliæ Marcus *Manlius vocaretur. Liuius lib. 6. Valerius capite Tertio ſexti.

Capitoli. ſcribit. Plin. de viris illuſtribus.

FVRIO Camillo non tam iniquitas prędæ diuiſæ quam albentes quadrigæ triſte exilium Ardeaticum peperere, qua damnatione, quaſi adfectatæ tyrannidis, populus ingrati crimen non vitauit. Symmachus lib. 1. epiſt. Plin. de viris illuſtribus. Valerius lib. 5. cap. 2. Dio. lib. 62.

QVINTVS Fabius, magiſter equitũ vetitus à Dictatore contra Samnites pugnare, proſpere pugnauit, eam ob rem Dictator, cũ de eo ſupplicium ſumere vellet, Fabius Romam perfugit, & cum cauſa parum proficeret, precibus populi donatus eſt. Liuius lib. octauo, Plinius de viris illuſtribus, capite 31.

VLTIMA plebis ſeceſſio in Ianiculum fuit, propter æs alienum, poſt graues & lõgas ſeditiones. vnde à Q. Hortenſio Dictatore deducta eſt: & lege

& lege ab eo lata Plebiſcita pro legib. valere cœperunt. Inſtit. de iure naturali. Florus epitome Liuii libr. 11.

TITVS Manlius Torquatus Cõſul, bello Latino, filium ſuum quod cõtra Imperium pugnaſſet, ſecuri percuſſit. Plinius de viris illuſtribus.

CLAVDIA ſoror Claudii pulchri, qui contemptis auſpiciis male pugnauerat, reuertẽs à ludis, cum turba premeretur, dixit: vtinam frater meus viueret, iterumque claſſem duceret: ob eã cauſam mulcta ei dicta eſt. Florus epitome libr. 19. Titi Liuii. Sueton. in Tiberio. Gel. lib. 10.

HIMILCO dux Carthaginenſiũ, victus Carthaginem fugit, & à Senatu Carthaginenſi petiit quid faciendum cenſerẽt, omnibus, vt pugnaret, adclamantibus: Feci (inquit) & victus ſum: ſic pœnam crucis effugit. Nã apud Pœnos dux male geſta re, puniebatur. Plinius de viris illuſtribus.

POST cladem Cannenſem, cum à nobilibus adoleſcentibus conſilium de relinquenda Italia iniretur, Publius Cornelius Scipio Tribunus militum, Africanus poſtea dictus, ſtricto ſuper capita deliberantium ferro, iurauit ſe pro hoſte habiturum eum, qui in verba ſua non iuraſſet, effecitq; vt omnes non relictum iri à ſe Italiam iureiurando adſtringerentur. Liuius libr. 22.

MANLIVM Statilium transfugere ad hoſtes volentem, equo & armis donatis, retinuit Q. Fabius Maximus Cũctator. Plinius de viris illuſtribus capite 43.

MANCINVS auctor Tib. Gracchо quæſtore in leges hoſtium, fœdus percuſſit, quo per Senatum improbato, Mancinus Numantinis dedi-

tus,nec receptus,augurio in caſtra deductus,prę-turam poſtea conſequutus eſt.

Cvm Senatus Campanorũ ob defectionem deligatus eſſet ad palos, vt ſecuri feriretur, literas à Senatu miſſas Q. Fuluius proconſul, quibus iubebatur parcere, antequã legeret, in ſinu poſuit, & lege agi iuſſit, & ſupplicium peregit. Liuius libro 26.

Ti.Gracchus Trib.Pl.legem tulit ne quis plus mille agri iugera haberet. Octauio collegæ intercedenti,nouo exemplo,magiſtratum abrogauit. Sic Triumuir creatus diuidendis agris, cum prorogare ſibi poteſtatem vellet,aduerſis auſpiciis in publicum proceſſit, ſtatimq; Capitolium petit, plebemq; ad defenſionem ſalutis ſuæ manu caput tangens, hortatus, præbuit ſpeciem regnum ſibi & diadema poſcentis, atque ita duce Scipione Naſica, concitato in arma populo, quaſi iure oppreſſus eſt. Eius corpus Lucretii Ædilis manu in Tiberim miſſum, vnde ille* Vispillo dictus. Naſica, vt inuidiæ ſubtraheretur,per ſpeciem legationis in Aſiam ablegatus eſt. Liuius li. 58. Plinius de viris illuſtribus. Flor.lib.3.cap.14.

Forte legendum eſt Beſpalio, id eſt, νεκροθάπτης.

C. Martienvs accuſatus eſt apud Tri. plebis quod exercitũ in Hiſpania deſeruiſſet, damnatusque ſub furca diu virgis cęſus eſt,& ſeſtertio nummo veniit.Liuius lib. 55.

Seditiones à Triumuiris F. Flacco, G. Graccho & C. Carbone agro diuidundo creatis excitatæ,Gracch fretus comitum manu fatale familiæ ſuæ Capitolium inuaſit, ab Opimio conſule oppreſſus eſt : inſultatum quoque mortuis reliquiis & illud ſacroſanctum caput Tribuni plebis,per-

bis, percuſſoribus auro penſatum eſt. Liuius lib. 59. & 61. Florus lib. 3. cap. 15. L. Opimius accuſatus apud populum à Q. Decio Trib. plebis, quod indemnatos ciues in carcerem conieciſſet, abſolutus eſt, Liuius lib. 61.

SEDITIO denique Apuleiana, Druſianaque à Floro Appiano, &c. prolixe explicatur. Vt & bella ſocialia & ſeruilia ab eodem Floro, & Spartacũ bellum, bellaque ciuilia, Marianum, Syllanum, Cinnacum, Sartorianum ciuile ſub Lepido Cæſaris, & Pompeii, Octauii Lepidi, & Antonii Bruti & Caſſii, & Sex. Pompeii, quæ ſigillatim referre nimis longum, nimiſque ſuperuacuum fuerit.

MEMORABILE quoque vindicatæ diuinitus rebellionis exemplum eſt in ſacris literis, De Core, Dathan, & Abiron, quos imperium Moſis detrectantes, terra dehiſcens abſorbuit, & vorauit, in infernum viuos deducens, cum tabernaculis, & vniuerſa ſubſtantia. *Num. 16.*

SED nunc ad coniurationes Romanas veniẽdum. Catilinæ cõiuratio prior breuiter à Salluſtio perſtringitur, quia quod nimium is properaſſet ſignum dare antequam frequentes armati cõueniſſent, ea erumpere non potuit. Huius coniurationis participes Craſſum & Cæſarẽ dicere videtur Suetonius in Iulio Cæſare, cap. 9.

POSTERIOR coniuratio ſic erupit. Cæſare & Figulo Coſs. Catilina patritius conuocatis XI. Senatorum ordinis viris (ex quibus Lentulus & prætor erat) & IIII. equitibus Romanis, conſilia ſua aperit, vt interficere conſulem, & ſe conſulem gerere, incendere vrbem, donare prouincias, tabulas nouas, proſcriptionem locupletum, magi-

ſtratus,ſacerdotia inſtituerit. Fit coniuratio & omnium iureiurando firmatur. Eam prima detexit Fuluia, per quam deinde Cicero effecit vt Q. Curius Fuluiæ ſtuprator particeps & ipſe coniurationis, conſilia omnia Catilinæ ad Ciceronem deferret, illectus præmiis à conſule promiſſis, & præter hæc impunitate. Sed & inſidias in ipſius Ciceronis caput paratas,vt ſub ſpecie ſalutādi domi mane eum occidere decreuiſſent, ipſi patefecit.Cicero initio nihil horum in publicum effert, ſed cognito Manlium iam in Etruria homines ſolicitare & cogere, rem tam vulgi rumorib. agitatam in Senatum defert. Senatus decernit, Dent operam consvles, ne qvid respvblica detrimenti capiat. Quo Senatus Conſulto maxima poteſtas Conſuli permittitur, bellum gerere, de capite ciuis iudicare, domi militiæque imperium & iudicium ſummum habere,aliter,ſine populi iuſſu,nulli harum rerum Cōſuli ius eſt. Indici pręterea præmium decernitur,ſeruo,libertas,& ſeſtertia cētum,libero,impunitas,& ſeſtertia ducenta millia. nemo tamen ex tam populoſa ciuitate, quamuis plerique ſcirent, tantum ſcelus patefecit,nec ex caſtris Catilinę quiſquam omniū diſceſſit. Senatus,lectis literis Catuli, auditaque eius ad Mānliana caſtra profectione, cum faſcibus & cæteris Imperii inſignibus; Catilinam et Manlivm hostes ivdicat.cætere multitudini diem ſtatuit,antequam liceret ſine fraude ab armis diſcedere,pręter rerum capitalium damnatos. Decernit etiam vt Conſules delectum habeant.

Primū Sen. Conſul.

Sententia Sen.

Allobroges primum, indicium profitentur ſe

ad

ad belli ſocietatem per Lentuli literas inuitatos, quas Cicero intercipi, & ſibi reddi curat. Has in Senatum ſimul & earum latores adducit: ſigna à Lentulo, & aliis coniuratis recognoſcuntur: ita palam conuictos & confeſſos, pronunciat Senatus CONTRA REMP. feciſſe eoſque in liberas cuſtodias dimitti iubet. Legatis Allobrogum ob verum indicium præmia decreta. L. Tarquinii indicium (quia Cæſarem inter coniuratos nominauerat,) vt falſum, reiectum: iſq; eo nomine in vinculis retentus. Iterum Cicero cõuocat Senatum, rogans quid fieri placeret de his qui in cuſtodiis erant, ſententiis varie dictis in Catonis itum eſt. De cõfeſſis ſicut de manifeſtis rerum capitalium, more maiorum, ſupplicium ſumendum. Itaque inſtanti nocte Cicero Lentulũ & ſocios in carcerem curat deduci, eiſque per Triumuiros capitales laqueo gulam frangi, tametſi more maiorum puniri, ſit nudi hominis ceruicẽ inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi. Sueton. in Nerone cap. 49. Sex. Aurel. Victor in Nerone, Catilina vero nefarie contra rempub. armatus, in acie à iuſte armato populi exercito, cum reliquiis cõiurationis trucidatus eſt.

Aliud Sen. Conſul.

Coniuratio in Cæſarem.

CONSPIRATVM eſt in C. Iulium Cæſarẽ, perpetuum Dictatorem à ſexaginta amplius, C. Caſſio Marcoque ac Decio Bruto principibus cõſpirationis, qui omnes in curia Pompeii ſpecie officii eum circumſtantes, per Cimbrum Tullium & Caſcam ſicarios interfecerunt. Fuerat animus cõiuratis, occiſi corpus in Tiberim trahere, bona pu-

blicare, acta reſcindere, ſed metu Antonii Conſulis, & Lepidi magiſtri equitum deſtiterant, percuſſorum fere neque triennio quiſquam amplius ſuperuixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes, alius alio caſu periit, pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violauerant, interemerunt. Sueto. in Iulio cap. 80. & ſeq. & ca. vlt.

Coniurationes in Auguſtum.

Conivrationes diuerſas prius quam inualeſcerent, indicio detectas compreſſit, alias alio tẽpore. Lepidi iuuenis, deinde Varronis, Murenæ, & Fannii Cępionis, mox M. Egnatii & ceterorum. Nam nec vltimæ quidem ſortis hominum conſpiratione & periculo caruit. Sueto. in Aug. cap. 19.

Coniurationes in Gaium Caligulam.

Vna aut altera coniuratione aduerſus eum detecta, aliis cunctantibus, duo conſilium communicauerunt, perfeceruntque non ſine conſcientia potentiſſimorum libertorum, præfectorumque prætorii. Cumque placuiſſet Palatinis ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea Tribunus cohortis ſcortoriæ depopoſcit. Is ceruicem gladio cęſim grauiter percuſſit: dehinc Corneli⁹ Sabinus, alter è cõiuratis Tribunus, ex aduerſo traiecit pectus. Sueton. cap. 56. & 57. & 58. in Gaio.

Coniurationes in Claudium Cæſarem.

Clavdivs & à ſingulis & per factionẽ, & denique

niquè ciuili bello infeſtatus eſt: è plebe homo nocte media, iuxta cubiculũ eius cũ pugione inuentus eſt: reperti & equeſtris ordinis duo in publico, cũ dolone ac venatorio cultro, præſtolantes, alter vt egreſſum theatro, alter vt ſacrificantẽ apud Martis ædem adoriretur. Conſpirauerant autem ad res nouas, Gallus Aſinius & Statilius Coruinus Pollionis ac Meſſalæ oratorum nepotes, aſſumptis plurimis libertis ipſius atque ſeruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatię legatus: verum intra quintam diem oppreſſus eſt. Suet. in Claudio. c. 13.

Defectio à Nerone.

NERONEM tyrannum perditiſſimum perpeſſus orbis terrarum, per quatuordecim annos tandem deſtituit, initium facientibus Gallis, duce Iulio Vindice, qui tum eam prouinciam pro prætore obtinebat. Galba deinde cũ tota Hiſpania deſciuit. Poſtea quoque nunciata ei eſt cæterorum exercituum defectio. Nouiſſime etiam Senatus hoſtem eum reipub. iudicauit, & quæſiit vt puniretur more maiorum: & cũ ei quid hoc eſſet, ambigenti, dictum eſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus, duos pugiones quos ſecum tulerat, arripuit, & vt ſenſit adeſſe equites, qui eum attraherent viuũ, vt præceptum erat, ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis. Sueton. in Nerone cap. 40. 42. 47. 49. Sex. Aurel. Victor in eodem.

Coniuratio in Galbam & Vitellium.

OTTHO Senator indignatus quod Galba Piſo-

nem Iuuenem adoptaſſet, & Cæſarem deſignaſſet, in necem Galbæ coniurat cum multis, & eum ſexto poſt die iugulandum curat. Sueton. in Galba cap. 17. & 20. Xiphili. in Galba, qui & Piſonem tum quoque interfectum eſſe ait. Otthone mortuo, Vitellius inuaſit principatum: contra quem Veſpaſianus, qui contra Iudæos bellum gerebat, Mucianum in Italiam miſit: poſt multas inſidias & aggreſſiones, tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus eſt, & vnco in Tiberim tractus. Suet. in Vitel Dio. Xiph. in eodem.

Coniuratio in Domitianum.

Ob multas crudelitates, terribilis cunctis & inuiſus Domitianus, tãdem oppreſſus eſt, amicorum libertorumque intimorum conſpiratione, ſimul & vxoris. Stepha. Domicillæ, eius vxoris procurator, profeſſus conſpirationis indicium, & ob hoc admiſſus in cubiculum circa horam ſextã noctis, legenti traditum à ſe libellum, & attonito, ſuffodit inguina. Saucium ac repugnantẽ adorti Clodianus Cornicularius, & Maximus Parthenii libertus, à Parthenio immiſſus: & Saturius decurio cubiculariorum, & quidam à gladiatorio ludo vulneribus ſeptem contrucidauerunt. Suetonius in Domitia. cap. 14. & 15. Sex. Aurel. in eodem: poſtea ſub Nerua quamuis eo prohibente, milites Petrouium vno ictu, Parthenium vero demptis prius genitalibus, & in os coniectis, iugulauere.

Coniurationes in Neruam.

Crassvs Calphurius in Neruam coniurauerat. Hunc cum cæteris coniuratis dum ludi ederentur,

rentur, aſſidere iuxta ſe voluit. & neſcientibus patefactam coniurationem gladios obtulit, vt pertentarent ſatiſne acuti eſſent, ſignificans nō multum ſibi curæ eſſe, ſi vel tunc ab illis interficeretur. Sed & Ælianus Caſperius PP. tumultuantes prætorianos aduerſus Neruā concitauit hoc conſilio, vt per ſpeciem vltionis quoſdam eorum, ceu hoſtes Cæſaris, ad mortem poſceret. Sed Nerua adeo reſtitit, vt denudato collo iugulum confodiendum porrigeret, &c. Xiphilin. in Nerua.

Coniurationes in Hadrianum.

HADRIANVS initio Imperii Palmam, Celſum, Nigrinum & Luſium occidi voluit, quia in venatione illi inſidias ſtruxiſſe dicebantur. Dio. in eodem.

Coniurationes in Pium.

PVBLICATIONES bonorum rariores ſub eo, ita vt vnus tantum proſcriberetur affectatæ tyrānidis, hoc eſt Attilius Titianus, Senatu puniente, à quo conſcios requiri vetuit, filio eius ad omnia ſemper adiuto. Periit & Priſcianus reus affectatæ tyrannidis, ſed voluntaria morte. De qua coniuratione quæri vetuit Capitolinus in Pio.

Coniurationes in Marcum.

ANTONINVS non eſt ſatis motus defectione Caſſii, nec in affectus eius ſæuiit: quamuis ille à Senatu hoſtis eſſet iudicatus, bonis publicatis, ſed & caput eius humari iuſſit. Metianum tamen filium Caſſii, cui Alexandria erat commiſſa exercitus occidit: in conſcios defectionis vetuit grauiter vindicari: ſimul petiit ne quis Senator, tempore principatus ſui occideretur, ne eius pollue-

retur Imperium. Capitol. in Marco. Ignouit & ciuitatibus quæ Caſſio conſenſerāt, & Antiochenſibus, qui multa in Marcum pro Caſſio dixerant: indulſit eodē modo & Alexandrinis: ipſum Caſſium pro clementia occidi paſſus eſt, non occidi iuſſit. Deportatus eſt Heliodorus filius Caſſii, & alii liberum exilium acceperunt, cum bonorum parte: filiæ autem Caſſii & amplius media parte acceperunt paterni patrimonii, & auro atque argento adiutę, mulieres autem etiam ornamentis: ita vt Alexandria filia Caſſii, & Druncianus gener, liberam vagandi poteſtatem haberet. Doluit denique Caſſium extinctum, dicens, voluiſſe ſe ſine ſenatorio ſanguine Imperiū tranſigere. Capitolinus in Marco. Vulcatius Gallicanus in Caſſio. Sed Drunciani bona fiſco poſt mortem vindicari voluiſſe Marcum dicit Paulus l. 6. C. hoc titulo.

Coniuratio in Commodum.

CRVDELITAS vitæ Commodi, Quadratū & Lucillam cōpulit ad eius interfectionem conſilia inire, non ſine præfecti prætorio Tarrutini Paterni conſilio. Datū eſt autem negocium peragendæ necis Claudio Pompeiano propinquo, qui ingreſſus ad Cōmodum, diſtricto gladio, cū faciendi poteſtatem habuiſſet, in hæc verba prorumpens: Hunc tibi pugionem Senatus mittit; detexit facinus fatuus, nec impleuit: multis cum eo participātibus cauſam. Lamprid. in Commodo. Nouiſſime Q. Ælius Lætus præfect⁹, & Martia concubina, per venenum & *athletam ſtrangulauerunt. Lampridius, ibidem Statuæ abolitæ,

Huius athletæ nomē fuit Narciſſus

nomen

nomē à publicis priuatiſq; monumentis eraſum. Sex. Aurel. Victor.

quem Seuerus Leonib obiecit. Spar

Coniurationes in Pertinacem.

INSIDIAS parauit ei Falco, volēs imperare, de quo conqueſtus eſt in Senatu, quod quidem Senatus credidit. Sed Pertinaci factio præparata eſt per Lætum præfectum Prætorio, & eos quos Pertinacis ſanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat, quod Imperatorem fecerat Pertinacem. Trecenti armati de caſtris ad Imperatorias ædes venere cuneo facto: tantū autem omnium aulicorum in Pertinacem odium erat, vt ad facinus milites hortarentur: ad eos cōpeſcendos Lętus P P. miſſus, eis declinatis adoperto capite domum ſe recepit: Pertinax cum ad eos proceſſiſſet, graui oratione fere placarat, cū Tauſius quidam haſtam ei in pectus obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit, atque à cæteris cōfoſſus eſt. Caput eius conto fixum, milites qui eum occiderant, per vrbem in caſtra pertulerunt: reliquiæ eius, recuperato capite, in ſepulchro aui vxoris locatæ ſunt. Capitolin. in Pertinace. At Sex. Aurel. Victor ait, ſcelere Iuliani ſucceſſoris ſui, multis vulneribus obtruncatum.

Coniurationes in Didium, Iulianum, & ipſius in Seuerum.

SÆPE ACCIDIT vt tibi fiat quod alteri feceris. Reus factus Iulianus cōiurationis, cum Saluio contra Cōmodum, à Commodo (quia multos iam nobiles, ac potētes occiderat in cauſis maieſtatis) ne triſtius grauaretur, abſolutus erat, ac-

cuſatore damnatò. Sed & rumor fuit Iuliani conſilio Pertinacem interemptum. Ergo & cum Imperator poſtea factus eſſet, mortuo Pertinace, ab eo Peſcennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico cum exercitibus, quibus præſidebant, deſciuere. Addit præterea Dion. Albinum deſciuiſſe eodem tempore in Britannia. Iulianus impetrauit à Senatu, vt Seuerus hoſtis renunciaretur, eiuſq; militib. dies præſtitueretur, vltra quē ſi cū Seuero fuiſſent, hoſtium numero haberentur. Miſſus eſt & Seuero ſucceſſor: miſſus & Centurio qui illum occideret. Sed cum Seuerus ad vrbem infeſto agmine veniret, Senatū rogauit Iulianus, vt Veſtales & ſacerdotes cum Senatu obuiam exercitui prodirent, eumq; pro Iuliano rogarent. Sed Fauſtius Quintilianus conſularis Augur cōtradixit, aſſerens non debere imperare eū, qui armis aduerſario nō poſſit reſiſtere: cui multi Senatores conſenſerunt. Nouiſſime cum omnia conſilia de vi cogendo Senatu, & eo mutato, de participatione imperii à Senatu impetrāda & Seuero, de clam interficiendo Seuero & Albino cōſumpſiſſet, & Seuerus hoſtem ſe Iuliano eſſe mallet, quam participem, breui deſertus ab omnibus eique à Senatu abrogato imperio, & Seuero delato, in abditis Palatii balneis, iuſſu Senatus, vel, vt alii volunt, Seueri, extenta damnatorū modo ceruice, decollatus eſt per gregariū militem, caputq; eius in roſtris poſitum. Spart. in Didio Iuliano. Sex. Aurel. Victor in eodem. Diony. in eod.

Coniurationes in Seuerum.

Niger contra Seuerum etiam, tum Imperatorem

torem à Senatu confirmatum rebellauit, atque ideo hoſtis cum Æmiliano eſt appellatus. Promiſit Seuerus Nigro tutum exilium ſi vellet, Æmiliano autem nō ignouit. Itaque eius iuſſu occiſus eſt. Seuerus conflixit cum Nigro, eumque apud Cyzicum interemit, caputque eius pilo circumtulit. Filios Nigri poſt hoc, quos ſuorum libertorum cultu habuerat, in exilium cum matre miſit, neq; quemquam Senatorum, qui Nigri partium fuerant, præter vnum ſupplicio adfecit. Antiochenſibus iratior fuit, quod & adminiſtrantem ſe in Oriente riſerant, & Nigrum etiam victu iuuerant. Denique multa his ademit Neapolitanis, etiam Paleſtinenſibus ius ciuitatis tulit, quod pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animaduertit præter ordinem Senatorium, qui Nigrum erant ſecuti.

Multas etiam ciuitates eiuſdem partis, iniuriis adfecit & damnis. Eos Senatores occidit, qui cum Nigro militauerunt, Ducum vel Tribunorum nomine. Arabes, Parthos, Adiabenos in ditionē redegit, qui omnes cum Nigro ſenſerant. Exorto mox alio contra Albinum ciuili bello, filios Nigri cum matre exules occidi iuſſit.

Albinum hoſtem iudicauit, & qui ad illū mollius ſcripſerunt vel reſcripſerunt. Albinum bello vicit.

Senatorum, qui in bello erant interempti, cadauera, diſſipari iuſſit.

Deinde corpore Albini allato, pene ſeminecis caput abſcindi iuſſit, Romamque deferri, idque literis proſequutus eſt. Reliquum cadauer eius, ante domum propriam, exponi ac diuidi iuſſit. E-

quum prætereà ipſe reſidens, ſupra cadauer Albini egit, expaueſcentemque admonuit, vt effrenatus audacter protereret. Alii addunt quod idem cadauer in Rhodanum abiici præcepit, ſimul etiam vxoris liberorumque eius. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes ciuitatis, multæ fœminæ illuſtres fuere, omnium bona publicata ſunt, ærariumque auxerunt, tum Hiſpanorũ & Gallorum proceres multi occiſi. Deniq;, totum genus Albini extinxit. Spartianus in Seuero.

Coniuratio in Getam.

BASSIANVS alter ex Seueri filiis, fratrem Getam in palatio fecit occidi, poſt patris mortẽ: conqueſtus apud milites ſe eius inſidiis circumueniri, & ſibi ab eo venenum parari: dicẽtibus cunctis ſe duobus fidem promiſiſſe liberis Seueri, duobus ſeruare debere. Papinianũ iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum, vna cum filio, quod parricidium excuſare noluiſſet, in conſpectu ſuo occidi iuſſit, & præfectum quidem ſuum, ne homini per ſe & per ſcientiam ſuam magno, deeſſet & dignitas. Spartia. in Seuero & Baſſiano. Ob illam cauſam, quia imperator ab hominibus puniri nõ poterat, furore pœnas dedit Dirarum inſectatione, quæ non immerito vltrices vocantur; à quo poſt furore conualuit. Sex. Aurel. Victor in Caracalla.

Coniuratio in Baſſianum, Antoninum Caracallam.

BASSIANVS cum ad requiſita naturæ, ſeu officia naturalia receſſiſſet, inſidiis à Macrino PP. poſitis, qui poſt eum inuaſit imperium, interemptus eſt.

eſt. Conſcii cædis fuerunt Nemeſianus & frater eius Apolinaris,& plerique officialium,cum ex equo,leuandæ veſicæ cauſa,deſcendiſſet,atque inter protectores ſuos coniuratos cædis agerent: itaque euenit quod Papinianus prædixerat, cum ad mortem raperetur, ſtultiſſimum fore, qui in ſuũ locum ſubrogaretur,niſi adpetitã crudeliter præfecturam vindicaret. Spartianus lib.eod.

Coniuratio in Macrinum.

CVM Macrinus, cum Diadumeno filio ab exercitu eſſent creati Imperatores, ab eodem exercitu,anno ſequente obtruncati ſunt,eo quod Macrinus militarem luxuriam, ſtipendiaque profuſiora comprimeret.

Coniuratio in Heliogabalum ſeu Pſeudentonium,& Sardanapalum.

HELIOGABALVS tumultu militari occiſus eſt, corpus more canis à milite tractum eſt, & nouiſſime in Tiberim proiectum, adiecto pondere ne vnquam emergeret. Sex.Vict.

Coniuratio in Seuerum.

ALEXANDER occiditur Magonciaci tumultu militari. Sunt qui à Maximino immiſſos tyrones dicant,qui eum cum matre occiderent. Is cum ſe deſeri à ſtipatoribus ſuis videret, occurrenti percuſſori ceruices ſuas præbuit. Victor.Lamp.

Coniuratio in Maximinos.

APVD Aquileiã ſeditione militum diſcerptus eſt Maximinus pater, vna cum filio, cum primus ex corpore militari ſine Senatus authoritate ab exercitu Imperator electus eſſet. Vict. Euſ. chroni. Huius imperio Gordiani pater & filius princi-

patum arripientes, vnus poſt vnum interiere. Pupienus etiam & Balbinus regnum inuadētes perempti ſunt, & in palatio occiſi, ingreſſo Romam Gordiano. Euſeb. chr. Victor.

Coniuratio in Philippos.

Ambo tumultu militari & fraude Decii, alter Veronæ, alter Romæ interfecti. Oroſ. lib. 7. c. 20. Euſeb. chronic.

Coniuratio contra Decios, Gallum & Voluſianum.

DECIVS cum filio in medio Barbarorum ſinu interfectus, Gallus & Voluſianus dum contra Æmilianum res nouas molientem bellum exercēt, occiſi ſunt. Oroſ. lib. 7. cap. 21. Euſeb. chron. Sex. Aurel. Victor.

Coniurationes contra Galienum & Valerianum.

SVB his Principibus triginta Tyranni contra Imperatores legitimos rebellarunt, quorum vitas ſcripſit Trebell. Poll.

Coniurationes contra Aurelianum.

Is fraude ſerui ſui ab amicis ſuis interfectus eſt, metu falſarum literarum, Victor.

Coniuratio in Probum.

HIC Sirmio in turre ferrata, militari tumultu occiditur. Oroſ. libr. 7. cap. 24. Victor. Saturninus tyrannus ab eo oppreſſ[illegible] Proculus & Bono-[illegible] Oroſ. Euſeb[illegible]

[illegible]rian[illegible]

[illegible] r inſidias [illegible] eſt

eſt occiſus. De quo Apro poſtea Diocletianus ſupplicium ſumpſit.

Coniurationes in Diocletianum, ſeu Imperium Romanum, ſeu quietem Galliarum.

DIOCLE. ruſticorũ multitudine oppreſſa, quæ factioni ſuæ Baugaudarum nomen indiderat pacem Gallis reddidit. Idem Carauſium, qui ſumpta purpura Britannias occuparat. Item Achilleum qui in Ægyp. Narſe qui in Orien. quinquagentianos, qui in Afric. rebellabant, auxilio Cæſarum ſibi aſſumptorum compeſcuit. Euſeb. chr. Oroſ. li. 7. cap. 25.

Al. Baaudarũ, quidam hoc verbum ſignificaſſe tumultum putant.

Coniurationes Arrianorum in Catholicos, Principes & eccleſiam atque Sacerdotes.

Ex QUO tempore Conſtantius tertius, inter liberos Conſtantini Auguſtus, in hanc hæreſim delapſus eſt, impietas Arriana illius præſidio fulta exiliis, carceribus, & variis afflictionibus, primum Athanaſium, deinde omnes non ſuæ partis Epiſcopos perſecuta eſt. Euſebius chronic. Iiſdem fere temporibus Vetranio & Nepotianus cõtra Imperatores rebellarũt, & dignum factis exitum inuenerunt, proſcriptis eorum conſciis. Sed & Syluanus in Gallia res nouas molitus extinctus eſt. Omnes pene toto orbe Eccleſiæ, ſub nomine pacis, & regis Arrianorum conſortio polluuntur. I-
Euſeb. Anno etiam 12. Theodoſii imperii,
ſul in magiſtratu ob eandem cauſam
men eius faſtis eraſum. Socrates
ſt. hiſt.

Coniurationes ſub Valentiniano & Valente, & Theodoſio.

Procopius qui apud Conſtantinopolim hoc tempore tyrannidem inuaſerat, apud Phrygiem ſalutarem extinctus eſt, & plurimi Procopianæ partis cæſi atque proſcripti. Hieron. in Chronic. appen. Sed & Firmus qui apud Mauritaniam regnum inuaſerat, extinctus ope Theodoſii, in Imperii ſubſidium acciti. Sext. Aurel. Victor. Oroſ. lib. 7. cap. 33.

Eo tempore Maximus apud Britanniam tyrannide arrepta in Gallias tranſmiſit, Gratianum extinxit: quem Theodoſius poſtea vltus interfecit cum Victore eius filio. Eugenium etiam tyrannum & Arbogaſtem idem Theodoſius ſuperauit. Sex. Aurel. Victor.

Coniurationes contra Archadium & Honorium pueros Auguſtos.

Gildo Comes minimam in paruulis ſpem fore ratus, Affricam in ditionem ſuam aſſerit, hic à fratre contra ſe miſſo ſuperatus, ſtrangulatus poſt aliquot dies eſt. Rufinus Orientalis aulæ tutor tyrannidem affectans, occiſus. Stilico filio ſuo Eucherio Imperium procurans ſimilem reperit exitum, vna cum filio Eucherio. Anno 11. Imperii Theodoſii Iunioris, Herodiani illius anni Cõſulis memoria, ob crimen perduellionis damnata fuit, eo in magiſtratu occiſo, & nomine eius faſtis eraſo. Hinc fit vt l. 6. C. de iuriſd. Lucium tantum ſubſcriptum habeat.

Coniurationes omnium gentium aduerſus Imperium maxime occidentale.

Saxo-

SAXONES, Wandali & Alani Galliarum partem, quod reliquum eſt, Conſtantinus tyrannus, poſt Gratianum tyrannum obſidebat, ipſa deniq; orbis caput Roma, deprædationi Gotthorum fœdiſſimæ patuit. Proſper Chronic. hoc tempore diuerſi tyranni exorti ſunt; Gerontius Comes, Maximus, Iouinus cũ fratre Sebaſtiano, Atauulfus, Salluſtius, Alaricus, Heraclianus Comes Africæ: Ioannes ex primicerio Notariorum. Oroſ. Proſper Chronic.

GALLIA vlterior * Batonem, principẽ rebellionis ſecuta, à Romana ſocietate diſceſſit, à quo tracto initio omnia pene Galliarũ ſeruitia in Bagaudam conſpirauere: ſed ſequente anno capto Batone & cęteris ſeditionis principibus victis vel necatis, Bagaudarum cõmotio conquieſcit. Proſper Chronic. Vtinam in Gallia non iterum ſuſcitati eſſent Bagaudæ. Attila Gallias vt proprias vindicat, graui clade accepta tandem recedit.

Sunt adhuc apud Bituriges quidam huius nominis ſuperſtites qui ab iſtone ortum habuerint, affirmare non auſim.

ÆTIVS etiam & Maximus in Valentinianum exarſerunt, poſt quorum exitum, capta Roma eſt à Genſerico: ſed Ætio fraude Maximi iam perierat: Valentinianus dolo Maximi truncatus: hic Maximus tertio tyrannidis ſuæ menſe, membratim à pop. Rom. eſt diſcerptus & in Tiberim deiectus.

AVITVS in Galliis aſſumit Imperium, qui deinde Placentię captus eſt à magiſtro militum Ricimere. Leuatus eſt etiam Imperator Maioranus, vt in chronicis manuſcriptis notatur: quo Maiorano immiſſione Ricimeris occiſo, Seuerus in eius locum Imperator ſubſtituitur: qui quarto Imperii ſui anno fraude etiam Ricimeris peremptus

eſt. Leuatus eſt Imperator Anthemius. Seruãdus Gallorum præfectus Imperium tentans inuadere, iuſſu Anthemii perimitur: anno ſequente Romanus ſimiliter Imperium adfectans capite cæſus eſt. Aſpar adfectans tyrannidem Conſtantinopoli à Leone Imperatore occiditur, cum Ardabure & Patritiolo filiis. Bellum deinde ciuile geſtum eſt Romæ inter Anthemium Imperatorem & Ricimerem: Anthemio occiſo, loco eius Olybrius, eo adhuc viuo, leuatus eſt Auguſtus: qui etiam Gundibaldum Rauennæ fecit Imperatorem, eodemque Gundibaldo hortante Glicerius (alias Lucretius, alias Licerius, alias Liarius) plus præſumptione quam electione Cæſar factus eſt. Anno deinde ſequenti Nepos patricius, Lucerio expulſo & Epiſcopo Salonis ordinato, Imperium arripuit. Leone Imperatore mortuo, & Zenone Imperãte, Oreſtes pater Auguſtuli, Nepotem Imperio expulit, & filium ſuum Auguſtulum Imperio præfecit. Sequenti anno ab Odoacre occupatur Italia & Imperiũ, & Oreſtes cum fratre Paulo necatur. Odoacer nomen Regis adſumpſit, Auguſtulum in exilium miſit. Hic Imperatorum Romanorũ veteris Romæ finis fuit, Gotthorum dehinc regibus Romam obtinentibus: regnat Odoacer nullo inquietante 14 annis. Paul. Diac. Iornandes: Comes Marcellinus: Sigebert. &c.

Theodericus Rex regnum Italiæ ſibi à Zenone donatum, vt ſibi retineret, vt Gotthi ſcribunt & plerique Hiſtorici, ſeu vt legitimo Imperatori, id eſt ipſi Zenoni ſeruaret & reſtitueret, vt Baliſarius ait apud Procopium in Gottichis, Odoa-

Odoacrum quarto certamine ſuperauit: & cum in fide ſuſceptum truculenter peremit.

EODEM Zenone imperante Ilus & Leontius tyranni effecti in partibus Siriẹ & Iſauriæ debacchabantur: ſed nõ multo poſt ab exercitu Zenonis capti, decollatiq; ſunt, & capita eorum Conſtantinopolim allata, præfixaq; haſtilibus, tabuẽre.

Coniurationes contra Regem Francorum.

LEONE imperante, Franci cõtra Regem ſuum Hildericum Merouei filium, quod filias eorum inſolenter & luxurioſe conſtupraret, regno deturbãt. Qui data aurei medietate amico ſuo Vindiomaro, reconciliationis ſperatæ ſymbolo, apud Baſinum Thoringorum Regem latuit annis octo. Franci vero Egidium ducem Romanorum, Regẽ ſibi præficiunt: ſed cum Francos plus iuſto hic opprimeret, eius iam regno Francis graui Vindiomarus miſſa aurei medietate, clam Hildericum reuocat, eique reſtitutionem in regnum conciliat. Eodem tempore, Franci poſt Vuandalos & Alanos, poſt Gotthos & Hunnos inceſſant Gallias, non tantum vt habeant direptioni, ſed vt ſibi ſint perpetuæ habitationi: qui capta Colonia Agrippina, fugato de bello duce Egidio, multos Romanorum occidunt: mox Treuerim ad Moſellam capiũt, & altero poſt anno Hildericus Aurelianam vrbem deuaſtat, & biennio poſt Andegauenſem ciuitatem: eius quoque filius Clodoueus Sueſſione cum Syagrio Romanorum duce congreditur: hic victus Toloſam ad Alaricum fugit, à quo Clo-

Regnũ Francorum. doueo repoſcenti remiſſus occiditur. Clodoueus vero quicquid Galliarum ſub iure erat Romanorum, ad ius Fräcorum transfert, & primum vſque ad Sequanam, poſtremum etiam vſque ad Ligerim regnum dilatat, & caſtrum Maledunum occupat ad Sequanam: tandem etiam Burgundiã ſibi fecit tributariam, victo eius Rege Gundebaudo. Itaque ab Anaſtaſio Imperatore codicillos cõſulatus & coronam auream, cum gemmis, & tunicam *blatteam accepit, & Conſul ex ea die & Auguſtus eſt appellatus. Ipſe quoque Rex miſit Romæ S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ corona in hunc vſque diem regnum appellari ſolet. Sigibert. chronic. Ex his liquet iam inde ab initio Imperium Occidentale in ius ac ditionẽ Francorum Regum ceſſiſſe: accedente etiam Orientalium Imperatorum ratihabitione: quod & ex Procopio in Gotthicis liquet, nõ autem à ſolis Caroli Mag. temporibus: atque idcirco à regno Francorũ nomen Imperii Occidentalis auelli nõ potuiſſe, quin & regnũ ipſum extingueretur. ſed ea de re diligẽtior à nobis perſcripta eſt tractatio.

*Id eſt, ex ſerico chrame ſynoneto textam.

Coniurationes contra Anaſtaſium Imperatorem.

Bella ciuilia aduerſus Anaſtaſium à Vitaliano excitata ſunt, propter Eutychianam hæreſim Deo & hominibus exoſam. Anaſtaſius fulmine eam ob rem à Deo percuſſus interiit.

Coniurationes contra Iuſtinum & Theodericum.

Ivstinvs Imperator inhiantes regno ſuo Amantium & Andream ferro; Miſaelem & Ardaburem

butem exilio puniuit. Theocritum Amantii ſatellitem, ſaxis contiſque cæſum, ſalſum in gurgitem iecit, ſepultura & Imperio eum priuans: fœdus cũ Vitaliano percuſſit, & ad ſe euocatum, magiſtrum militum præſentalem & conſulem ordinariũ fecit, quem rurſus in ſuſpicione habẽs prioris facti, ſedecim vulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo ſatellit. confoſſum perimit.

BOETIVS annitente ſibi Symmacho cum auctoritatem Romani Senatus contra Theodericum Regem Italiæ tueri nititur, ab ipſo in exilium pellitur, vbi librum de conſolatione Philoſophię ſcripſit, Sigib. chronic. Pau. Dia. Sed & lõgo exilio fatigati, tandem ab eodem perimuntur. Sigib. addit Diaconus & Ioannem Papam ab eodem peréptum, quod eum Theodericus catholicæ pietatis defenſor honorifice ſuſcepiſſet, ſed vltione diuina non multo poſt ſubita morte Theodericum fuiſſe percuſſum.

Coniurationes contra Iuſtinianum.

Hypatium Pompeium & Probum, Imperium adfectantes, quinta ſceleris die trucidari iuſſit, & ſocios eorum proſcripſit aduerſus Theodatũ, qui Amalaſuntam in balneis ſtrãgulari iuſſerat, Beliſarium in Italiam mittit. Beliſarius apud Iuſtinianum affectatæ tyrannidis defertur, & ab eodem abſoluitur. Sub Iuſtino Iuſtiniani filio Narſas rebellauit, & Longobardos in Italiam introduxit.

SCIPIONIS GENTILIS ORATIO PRO C. CÆSARE.

retur Imperium. Capitol.in Marco. Ignouit & ciuitatibus quæ Caſſio conſenſerāt, & Antiochenſibus, qui multa in Marcum pro Caſſio dixerant: indulſit eodē mōdo & Alexandrinis: ipſum Caſſium pro clementia occidi paſſus eſt, non occidi iuſſit. Deportatus eſt Heliodorus filius Caſſii, & alii liberum exilium acceperunt, cum bonorum parte: filiæ autem Caſſii & amplius media parte acceperunt paterni patrimonii, & auro atque argento adiutę, mulieres autem etiam ornamentis: ita vt Alexandria filia Caſſii, & Druncianus gener, liberam vagandi poteſtatem haberet. Doluit denique Caſſium extinctum, dicens, voluiſſe ſe ſine ſenatorio ſanguine Imperiū tranſigere. Capitolinus in Marco. Vulcatius Gallicanus in Caſſio. Sed Drunciani bona fiſco poſt mortem vindicari voluiſſe Marcum dicit Paulus l.6. C. hoc titulo.

Coniuratio in Commodum.

CRVDELITAS vitæ Commodi, Quadratū & Lucillam cōpulit ad eius interfectionem conſilia inire, non ſine præfecti prætorio Tarrutini Paterni conſilio. Datū eſt autem negocium peragendæ necis Claudio Pompeiano propinquo, qui ingreſſus ad Cōmodum, diſtricto gladio, cū faciendi poteſtatem habuiſſet, in hæc verba prorumpens: Hunc tibi pugionem Senatus mittit, detexit facinus fatuus, nec impleuit: multis cum eo participātibus cauſam. Lamprid. in Commodo. Nouiſſime Q. Ælius Lætus præfectꝰ, & Marcia concubina, per venenum & *athletam ſtrangulauerunt. Lampridius, ibidem Statuæ abolitæ, nomen

*Huius athletæ nomē fuit Narciſſus.

nomē à publicis priuatiſq; monumentis eraſum. Sex. Aurel. Victor. *quem Seuerus Leonib. obiecit. Spar.*

Coniurationes in Pertinacem.

INSIDIAS parauit ei Falco, volēs imperare, de quo conqueſtus eſt in Senatu, quod quidem Senatus credidit. Sed Pertinaci factio præparata eſt per Lætum præfectum Prætorio, & eos quos Pertinacis ſanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat, quod Imperatorem fecerat Pertinacem. Trecenti armati de caſtris ad Imperatorias ædes venere cuneo facto: tantū autem omnium aulicorum in Pertinacem odium erat, vt ad facinus milites hortarentur: ad eos cōpeſcendos Lętus P P. miſſus, eis declinatis adoperto capite domum ſe recepit: Pertinax cum ad eos proceſſiſſet, graui oratione fere placarat, cū Tauſius quidam haſtam ei in pectus obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit, atque à cæteris cōfoſſus eſt. Caput eius conto fixum, milites qui eum occiderant, per vrbem in caſtra pertulerunt: reliquiæ eius, recuperato capite, in ſepulchro aui vxoris locatæ ſunt. Capitolin. in Pertinace. At Sex. Aurel. Victor ait, ſcelere Iuliani ſucceſſoris ſui, multis vulneribus obtruncatum.

Coniurationes in Didium, Iulianum, & ipſius in Seuerum.

SÆPE ACCIDIT vt tibi fiat quod alteri feceris. Reus factus Iulianus cōiurationis, cum Saluio contra Cōmodum, à Commodo (quia multos iam nobiles, ac potētes occiderat in cauſis maieſtatis) ne triſtius grauaretur, abſolutus erat, ac-

cuſatore damnatò. Sed & rumor fuit Iuliani conſilio Pertinacem interemptum. Ergo & cum Imperator poſtea factus eſſet, mortuo Pertinace, ab eo Peſcennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico cum exercitibus, quibus præſidebant, deſciuere. Addit præterea Dion. Albinum deſciuiſſe eodem tempore in Britannia. Iulianus impetrauit à Senatu, vt Seuerus hoſtis renunciaretur, eiuſq; militib. dies præſtitueretur, vltra quē ſi cū Seuero fuiſſent, hoſtium numero haberentur. Miſſus eſt & Seuero ſucceſſor: miſſus & Centurio qui illum occideret. Sed cùm Seuerus ad vrbem infeſto agmine veniret, Senatū rogauit Iulianus, vt Veſtales & ſacerdotes cum Senatu obuiam exercitui prodirent, eumq; pro Iuliano rogarent. Sed Fauſtius Quintilianus conſularis Augur cōtradixit, aſſerens non debere imperare eū, qui armis aduerſario nō poſſit reſiſtere: cui multi Senatores conſenſerunt. Nouiſſime cum omnia conſilia de vi cogendo Senatu, & eo mutato, de participatione imperii à Senatu impetrāda & Seuero, de clam interficiendo Seuero & Albino cōſumpſiſſet, & Seuerus hoſtem ſe Iuliano eſſe mallet, quàm participem, breui deſertus ab omnibus eique à Senatu abrogato imperio, & Seuero delato, in abditis Palatii balneis, iuſſu Senatus, vel, vt alii volunt, Seueri, extenta damnatorū modo ceruice, decollatus eſt per gregariū militem, caputq; eius in roſtris poſitum. Spart. in Didio Iuliano. Sex. Aurel. Victor in eodem. Diony. in eod.

Coniurationes in Seuerum.

Niger contra Seuerum etiam, tum Imperatorem

torem à Senatu confirmatum rebellauit, atque ideo hoſtis cum Æmiliano eſt appellatus. Promiſit Seuerus Nigro tutum exilium ſi vellet, Æmiliano autem nō ignouit. Itaque eius iuſſu occiſus eſt. Seuerus conflixit cum Nigro, eumque apud Cyzicum interemit, caputque eius pilo circumtulit. Filios Nigri poſt hoc, quos ſuorum libertorum cultu habuerat, in exilium cum matre miſit, neq; quemquam Senatorum, qui Nigri partium fuerant, præter vnum ſupplicio adfecit. Antiochenſibus iratior fuit, quod & adminiſtrantem ſe in Oriente riſerant, & Nigrum etiam victu iuuerant. Denique multa his ademit Neapolitanis, etiam Paleſtinenſibus ius ciuitatis tulit, quod pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animaduertit præter ordinem Senatorium, qui Nigrum erant ſecuti.

Multas etiam ciuitates eiuſdem partis, iniuriis adfecit & damnis. Eos Senatores occidit, qui cum Nigro militauerunt, Ducum vel Tribunorum nomine. Arabes, Parthos, Adiabenos in ditionē redegit, qui omnes cum Nigro ſenſerant. Exorto mox alio contra Albinum ciuili bello, filios Nigri cum matre exules occidi iuſſit.

Albinum hoſtem iudicauit, & qui ad illū mollius ſcripſerunt vel reſcripſerunt. Albinum bello vicit.

Senatorum, qui in bello erant interempti, cadauera, diſſipari iuſſit.

Deinde corpore Albini allato, pene ſeminecis caput abſcindi iuſſit, Romamque deferri, idque literis proſequutus eſt. Reliquum cadauer eius, ante domum propriam, exponi ac diuidi iuſſit. E-

quum præterea ipſe reſidens, ſupra cadauer Albini egit, expaueſcentemque admonuit, vt effrenatus audacter protereret. Alii addunt quod idem cadauer in Rhodanum abiici præcepit, ſimul etiam vxoris liberorumque eius. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes ciuitatis, multæ fœminæ illuſtres fuere, omnium bona publicata ſunt, ærariumque auxerunt, tum Hiſpanorũ & Gallorum proceres multi occiſi. Deniq;, totum genus Albini extinxit. Spartianus in Seuero.

Coniuratio in Getam.

Bassianvs alter ex Seueri filiis, fratrem Getam in palatio fecit occidi, poſt patris mortẽ: conqueſtus apud milites ſe eius inſidiis circumueniri, & ſibi ab eo venenum parari: dicẽtibus cunctis ſe duobus fidem promiſiſſe liberis Seueri, duobus ſeruare debere. Papinianũ iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum, vna cum filio, quod parricidium excuſare noluiſſet, in conſpectu ſuo occidi iuſſit, & præfectum quidem ſuum, ne homini per ſe & per ſcientiam ſuam magno, deeſſet & dignitas. Spartia. in Seuero & Baſſiano. Ob illam cauſam, quia imperator ab hominibus puniri nõ poterat, furore pœnas dedit Dirarum inſectatione, quæ non immerito vltrices vocantur; à quo poſt furore conualuit. Sex. Aurel. Victor in Caracalla.

Coniuratio in Baßianum, Antoninum Caracallam.

Bassianvs cum ad requiſita naturæ, ſeu officia naturalia ſeceſſiſſet, inſidiis à Macrino PP. poſitis, qui poſt eum inuaſit imperium, interemptus eſt.

eſt. Conſcii cædis fuerunt Nemeſianus & frater eius Apolinaris, & plerique officialium, cum ex equo, leuandæ veſicæ cauſa, deſcendiſſet, atque inter protectores ſuos coniuratos cædis ageret: itaque euenit quod Papinianus prædixerat, cum ad mortem raperetur, ſtultiſſimum fore, qui in ſuũ locum ſubrogaretur, niſi adpetitã crudeliter præfecturam vindicaret. Spartianus lib. eod.

Coniuratio in Macrinum.

CVM Macrinus, cum Diadumeno filio ab exercitu eſſent creati Imperatores, ab eodem exercitu, anno ſequente obtruncati ſunt, eo quod Macrinus militarem luxuriam, ſtipendiaque profuſiora comprimeret.

Coniuratio in Heliogabalum ſeu Pſeudentonium, & Sardanapalum.

HELIOGABALVS tumultu militari occiſus eſt, corpus more canis à milite tractum eſt, & nouiſſime in Tiberim proiectum, adiecto pondere ne vnquam emergeret. Sex. Vict.

Coniuratio in Seuerum.

ALEXANDER occiditur Magonciaci tumultu militari. Sunt qui à Maximino immiſſos tyrones dicant, qui eum cum matre occiderent. Is cum ſe deſeri à ſtipatoribus ſuis videret, occurrenti percuſſori ceruices ſuas præbuit. Victor. Lamp.

Coniuratio in Maximinos.

APVD Aquileiá ſeditione militum diſcerptus eſt Maximinus pater, vna cum filio, cum primus ex corpore militari ſine Senatus authoritate ab exercitu Imperator electus eſſet. Vict. Euſ. chroni. Huius imperio Gordiani pater & filius princi-

patum arripientes, vnus poſt vnum interiere. Pupienus etiam & Balbinus regnum inuadẽtes perempti ſunt, & in palatio occiſi, ingreſſo Romam Gordiano. Euſeb. chr. Victor.

Coniuratio in Philippos.

Ambo tumultu militari & fraude Decii, alter Veronæ, alter Romæ interfecti. Oroſ. lib. 7. c. 20. Euſeb. chronic.

Coniuratio contra Decios, Gallum & Voluſianum.

Decivs cum filio in medio Barbarorum ſinu interfectus, Gallus & Voluſianus dum contra Æmilianum res nouas molientem bellum exercẽt, occiſi ſunt. Oroſ. lib. 7. cap. 21. Euſeb. chron. Sex. Aurel. Victor.

Coniurationes contra Galienum & Valerianum.

Svb his Principibus triginta Tyranni contra Imperatores legitimos rebellarunt, quorum vitas ſcripſit Trebell. Poll.

Coniurationes contra Aurelianum.

Is fraude ſerui ſui ab amicis ſuis interfectus eſt, metu falſarum literarum, Victor.

Coniuratio in Probum.

Hic Sirmio in turre ferrata, militari tumultu occiditur. Oroſ. libr. 7. cap. 24. Victor. Saturninus tyrannus ab eo oppreſſus, vt & Proculus & Bonoſus. Oroſ. Euſeb.

Coniuratio in Numerianum.

Nvmerianvs fraude Apri ſoceri, per inſidias eſt

eſt occiſus. De quo Apro poſtea Diocletianus ſupplicium ſumpſit.

Coniurationes in Diocletianum, ſeu Imperium Romanum, ſeu quietem Galliarum.

DIOCLE. ruſticorũ multitudine oppreſſa, quæ factioni ſuæ Baugaudarum nomen indiderat pacem Gallis reddidit. Idem Carauſium, qui ſumpta purpura Britannias occuparat. Item Achilleum qui in Ægyp. Narſe qui in Orien. quinquagentianos, qui in Afric. rebellabant, auxilio Cæſarum ſibi aſſumptorum compeſcuit. Euſeb. chr. Oroſ. li. 7. cap. 25.

Al. Bagaudarũ, quidam hoc verbum ſignificaſſe tumultum putant.

Coniurationes Arrianorum in Catholicos, Principes & eccleſiam atque Sacerdotes.

Ex quo tempore Conſtantius tertius, inter liberos Conſtantini Auguſtus, in hanc hæreſim delapſus eſt, impietas Arriana illius præſidio fulta exiliis, carceribus, & variis afflictionibus, primum Athanaſium, deinde omnes non ſuæ partis Epiſcopos perſecuta eſt. Euſebius chronic. Iiſdem fere temporibus Vetranio & Nepotianus cõtra Imperatores rebellarũt, & dignum factis exitum inuenerunt, proſcriptis eorum conſciis. Sed & Syluanus in Gallia res nouas molitus extinctus eſt. Omnes pene toto orbe Eccleſiæ, ſub nomine pacis, & regis Arrianorum conſortio polluuntur. Idem Euſeb. Anno etiam 12. Theodoſii imperii, Eutrop. conſul in magiſtratu ob eandem cauſam occiſus eſt, & nomen eius faſtis eraſum. Socrates lib. 6. c. 5. Eccleſiaſt. hiſt.

Coniurationes ſub Valentiniano & Valente, & Theodoſio.

Procopivs qui apud Conſtantinopolim hoc tempore tyrannidem inuaſerat, apud Phrygiem ſalutarem extinctus eſt, & plurimi Procopianæ partis cæſi atque proſcripti. Hieron. in Chronic. appen. Sed & Firmus qui apud Mauritaniam regnum inuaſerat, extinctus ope Theodoſii, in Imperii ſubſidium acciti. Sext. Aurel. Victor. Oroſ. lib. 7. cap. 33.

Eo tempore Maximus apud Britanniam tyrannide arrepta in Gallias tranſmiſit, Gratianum extinxit: quem Theodoſius poſtea vltus interfecit cum Victore eius filio. Eugenium etiam tyrannum & Arbogaſtem idem Theodoſius ſuperauit. Sex. Aurel. Victor.

Coniurationes contra Archadium & Honorium pueros Auguſtos.

Gildo Comes minimam in paruulis ſpem fore ratus, Affricam in ditionem ſuam aſſerit, hic à fratre contra ſe miſſo ſuperatus, ſtrangulatus poſt aliquot dies eſt. Rufinus Orientalis aulæ tutor tyrannidem affectans, occiſus. Stilico filio ſuo Eucherio Imperium procurans ſimilem reperit exitum, vna cum filio Eucherio. Anno 11. Imperii Theodoſii Iunioris, Herodiani illius anni Cõſulis memoria, ob crimen perduellionis damnata fuit, eo in magiſtratu occiſo, & nomine eius faſtis eraſo. Hinc fit vt l. 6. C. de iuriſd. Lucium tantum ſubſcriptum habeat.

Coniurationes omnium gentium aduerſus Imperium maxime accidentale.

Saxo-

SAXONES, Wandali & Alani Galliarum partem, quod reliquum eſt, Conſtantinus tyrannus, poſt Gratianum tyrannum obſidebat, ipſa deniq; orbis caput Roma, deprædationi Gotthorum fœdiſſimæ patuit. Proſper Chronic. hoc tempore diuerſi tyranni exorti ſunt; Gerontius Comes, Maximus, Iouinus cũ fratre Sebaſtiano, Atauulfus, Salluſtius, Alaricus, Heraclianus Comes Africæ: Ioannes ex primicerio Notariorum. Oroſ. ProſperChronic.

GALLIA vlterior *Batonem, principẽ rebellionis ſecuta, à Romana ſocietate diſceſſit, à quo tracto initio omnia pene Galliarũ ſeruitia in Bagaudam conſpirauêre: ſed ſequente anno capto Batone & cęteris ſeditionis principibus victis vel necatis, Bagaudarum cõmotio conquieſcit. Proſper Chronic. Vtinam in Gallia non iterum ſuſcitati eſſent Bagaudæ. Attila Gallias vt proprias vindicat, graui clade accepta tandem recedit.

**Sunt adhuc apud Bituriges quidam huius nominis ſuperſtites qui ab iſtone ortum habuerint, affirmare non auſim.*

ÆTIVS etiam & Maximus in Valentinianum exarſerunt, poſt quorum exitum, capta Roma eſt à Genſerico: ſed Ætio fraude Maximi iam perie-tat: Valentinianus dolo Maximi truncatus: hic Maximus tertio tyrannidis ſuæ menſe, membratim à pop. Rom. eſt diſcerptus & in Tiberim deiectus.

AVITVS in Galliis aſſumit Imperium, qui deinde Placentię captus eſt à magiſtro militum Ricimere. Leuatus eſt etiam Imperator Maioranus, vt in chronicis manuſcriptis notatur: quo Maiorano immiſſione Ricimeris occiſo, Seuerus in eius locum Imperator ſubſtituitur: qui quarto Imperii ſui anno fraude etiam Ricimeris peremptus

eſt. Leuatus eſt Imperator Anthemius. Seruãdus Gallorum præfectus Imperium tentans inuadere, iuſſu Anthemii perimitur: anno ſequente Romanus ſimiliter Imperium adfectans capite cæſus eſt. Aſpar adfectans tyrannidem Conſtantinopoli à Leone Imperatore occiditur, cum Ardabure & Patritiolo filiis. Bellum deinde ciuile geſtum eſt Romæ inter Anthemium Imperatorem & Ricimerem; Anthemio occiſo, loco eius Olybrius, eo adhuc viuo, leuatus eſt Auguſtus: qui etiam Gundibaldum Rauennæ fecit Imperatorem, eodemque Gundibaldo hortante Glicerius (alias Lucretius, alias Licerius, alias Liarius) plus præſumptione quam electione Cæſar factus eſt. Anno deinde ſequenti Nepos patricius, Lucerio expulſo & Epiſcopo Salonis ordinato, Imperium arripuit. Leone Imperatore mortuo, & Zenone Imperãte, Oreſtes pater Auguſtuli, Nepotem Imperio expulit, & filium ſuum Auguſtulum Imperio præfecit. Sequenti anno ab Odoacre occupatur Italia & Imperiũ, & Oreſtes cum fratre Paulo necatur. Odoacer nomen Regis adſumpſit, Auguſtulum in exilium miſit. Hic Imperatorum Romanorũ veteris Romæ finis fuit, Gotthorum dehinc regibus Romam obtinentibus: regnat Odoacer nullo inquietante 14. annis. Paul. Diac. Iornandes: Comes Marcellinus: Sigebert. &c.

Theodericvs Rex regnum Italiæ ſibi à Zenone donatum, vt ſibi retineret, vt Gotthi ſcribunt & plerique Hiſtorici, ſeu vt legitimo Imperatori, id eſt ipſi Zenoni ſeruaret & reſtitueret, vt Baliſarius ait apud Procopium in Gottichis, Odoa-

Odoacrum quarto certamine ſuperauit: & cum in fide ſuſceptum truculenter peremit.

EODEM Zenone imperante Ilus & Leontius tyranni effecti in partibus Sirię & Iſauriæ debacchabantur: ſed nõ multo poſt ab exercitu Zenonis capti, decollatiq; ſunt, & capita eorum Conſtantinopolim allata, præfixaq; haſtilibus, tabuêre.

Coniurationes contra Regem Francorum.

LEONE imperante, Franci cõtra Regem ſuum Hildericum Merouei filium, quod filias eorum inſolenter & luxurioſe conſtupraret, regno deturbãt. Qui data aurei medietate amico ſuo Vindiomaro, reconciliationis ſpetatæ ſymbolo, apud Baſinum Thoringorum Regem latuit annis octo. Franci vero Egidium ducem Romanorum, Regẽ ſibi præficiunt: ſed cum Francos plus iuſto hic opprimeret, eius iam regno Francis graui Vindiomarus miſſa aurei medietate, clam Hildericum reuocat, eique reſtitutionem in regnum conciliat. Eodem tempore, Franci poſt Vuandalos & Alanos, poſt Gotthos & Hunnos inceſſunt Gallias, non tantum vt habeant direptioni, ſed vt ſibi ſint perpetuæ habitationi: qui capta Colonia Agrippina, fugato de bello duce Egidio, multos Romanorum occidunt: mox Treuerim ad Moſellam capiũt, & altero poſt anno Hildericus Aurelianam vrbem deuaſtat, & biennio poſt Andegauenſem ciuitatem: eius quoque filius Clodoueus Sueſſione cum Syagrio Romanorum duce congreditur: hic victus Toloſam ad Alaricum fugit, à quo Clo-

[R]egnū Fran-[c]orum. doueo repoſcenti remiſſus occiditur. Clodoueus vero quicquid Galliarum ſub iure erat Romanorum, ad ius Frācorum transfert, & primum vſque ad Sequanam, poſtremum etiam vſque ad Ligerim regnum dilatat, & caſtrum Maledunum occupat ad Sequanam: tandem etiam Burgundiā ſibi fecit tributariam, victo eius Rege Gundebaudo. Itaque ab Anaſtaſio Imperatore codicillos cōſulatus & coronam auream, cum gemmis, & tunicam *blatteam accepit, & Conſul ex ea die & Auguſtus eſt appellatus. Ipſe quoque Rex miſit Romæ S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ corona in hunc vſque diem regnum appellari ſolet. Sigibert. chronic. Ex his liquet iam inde ab initio Imperium Occidentale in ius ac ditionē Francorum Regum ceſſiſſe: accedente etiam Orientalium Imperatorum ratihabitione: quod & ex Procopio in Gottichis liquet; nō autem à ſolis Caroli Mag. temporibus: atque idcirco à regno Francorū nomen Imperii Occidentalis auelli nō potuiſſe, quin & regnū ipſum extingueretur. ſed ea de re diligētior à nobis perſcripta eſt tractatio.

**[I]d eſt, ex ſeri[c]o chrame [s]ynoneto te[x]tam.*

Coniurationes contra Anaſtaſium Imperatorem.

Bella ciuilia aduerſus Anaſtaſium à Vitaliano excitata ſunt, propter Eutychianam hæreſim Deo & hominibus exoſam. Anaſtaſius fulmine eam ob rem à Deo percuſſus interiit.

Coniurationes contra Iuſtinum & Theodericum.

Ivstinvs Imperator inhiantes regno ſuo Amantium & Andream ferro, Miſaelem & Ardaburem

burem exilio puniuit. Theocritum Amantii ſatellitem, ſaxis contiſque cæſum, ſalſum in gurgitem iecit, ſepultura & Imperio eum priuans: fœdus cũ Vitaliano percuſſit, & ad ſe euocatum, magiſtrum militum præſentalem & conſulem ordinariũ fecit, quem rurſus in ſuſpicione habẽs prioris facti, ſedecim vulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo ſatellit. confoſſum perimit.

Boetius annitente ſibi Symmacho cum auctoritatem Romani Senatus contra Theodericum Regem Italiæ tueri nititur, ab ipſo in exilium pellitur, vbi librum de conſolatione Philoſophię ſcripſit, Sigib. chronic. Pau. Dia. Sed & lõgo exilio fatigati, tandem ab eodem perimuntur. Sigib. addit Diaconus & Ioannem Papam ab eodem perẽptum, quod eum Theodericus catholicæ pietatis defenſor honorifice ſuſcepiſſet, ſed vltione diuina non multo poſt ſubita morte Theodericum fuiſſe percuſſum.

Coniurationes contra Iuſtinianum.

Hypatium Pompeium & Probum, Imperium adfectantes, quinta ſceleris die trucidari iuſſit, & ſocios eorum proſcripſit aduerſus Theodatũ, qui Amalaſuntam in balneis ſtrãgulari iuſſerat, Beliſarium in Italiam mittit. Beliſarius apud Iuſtinianum affectatæ tyrannidis defertur, & ab eodem abſoluitur. Sub Iuſtino Iuſtiniani filio Narſas rebellauit, & Longobardos in Italiam introduxit.

SCIPIONIS GENTILIS ORATIO PRO C. CÆSARE.

SÆpenumero antea ex hoc loco doctiſſimorum hominum orationes habitæ ſunt, de reb. in natura grauiſſimis, aut ad cognoſcendum vtiliſſimis, atque pulcherrimis, magna tum audientium voluptate, tum eorum, qui eas habuere, gloria. Mihi ſtudium eſt ius ciuile, & vetus memoria populi Romani. Ex vtraque copia, quæ in me ſane eſt perexigua, ſed vt aliqua tamen eſſet, fateor me à pueritia elaborauiſſe, illud erit, quod nunc afferam, & in medium proponam. Ita enim de imperio C. Cæſaris dicam, vt & quibus rationibus ad principatum populi omnium gentium victoris, dominiq; peruenerit, exponam; & ius tamen inquiram, atq; explicem, an iuſte & bono publico peruenerit. De hoc enim inprimis dubitari video. Intelligitis, Auditores, me de re omnium maxima inter mortales, maximoque omnium ſęculorum ac populorũ Imperatore dicturum: idque à me eo libentius fiet, quod intelligam contraria iudicia eſſe non de Cęſare, ſed de cauſa Cæſaris. Tyrannum & oppreſſorem patriæ, libertatiſque communis, & bonorum omnium hoſtem appellant, & qui ſolus ad euertendam Rempubl. ſobrius adceſſerit. Hoc vno teſtimonio Catonis magis Cæſarem premi, quam omnibus criminib. reor. Nam ſi C. Plinius inter calamitates Q. Metelli Macedonici, ſummi viri, retulit; quod inimicus Scipioni Africano fuit; ſi Tiberius princeps ſe indignum luce & vita, palam in Senatu profeſſus eſt, ſi M. Lepido diſpliceret; cur nobis nõ iniuſta, atq; improba ea cauſa videatur, quę M. Catoni ſic diſplicuit, vt non ſententiis ſolum eam, ſed armis atque

atque caſtris oppugnauerit? Neque enim nimis elate putandus eſt Lucanus dixiſſe:

Victrix cauſa Deis placuit, ſed victa Catoni.

Hic igitur quoniã obex ad omnes partes orationis meę opponitur (quicquid enim dixero, ſtatim cõtra occurretur, Atqui aliter Cato iudicauit) idcirco, ſi fieri poteſt, initio eum orationis meæ amouebo, atque amoliar. Damnauit cauſſam Cæſaris Cato? Sed inuidus, ſed inimiciſſimus Cæſaris, ſed ille Cato, qui eundem, ampliſſimis rebus geſtis, vinctum ac nudum Germanis Britanniſq; ſua ſentẽtia dedidit. De inuidia quod dico, ita eſt, vt Cicero amicus Catonis & defenſor ſummus, etiam mortui, ſcripſit, iis ſolis eum non inuidiſſe, quorum ſibi à virtute atq; induſtria nullum certamen propoſitum iri videbat. De inimicitiis manifeſtius eſt, quam vt explicari debeat. Quarum inimicitiarũ cauſſas, præter diſſimilitudinem naturæ ac morum, illas duas fuiſſe animaduerti; Catonis, inquam, ſororem, cuius pudicitiæ illudere Cæſar credebatur, & repulſæ in magiſtratu perẽdo dolorem. Sed priuatæ hæ cauſſæ ſunt, inquiet aliquis: Catonis autem ea virtus, iſque animus in Rempubl. fuit, vt nullis odiis, nulliſque inimicitiis ſeſe à vero & bono remoueri pateretur: ea præterea ſapientia, vt bonam & malam cauſſam omniũ optime diiudicare poſſet. Nec Põpeium ſecutus eſt, quod ipſum probaret, quem ſi viciſſet, etiam interficere ſua manu cogitabat, ne in Rempubl. pulſo Cæſare vacuam, impetum faceret: ſed cauſſam à Pompeio ſuſceptã, quia Reipubl. cauſſa & bonorum erat, ſibi quoq; ſuſcipiendam defendendamq; exiſtimauit. Eadem ſi fuiſſet Cæ-

ſaris, nullæ erant tantę iniuriæ ac ſimultates, quas non Cato libentiſſime Reipubl. condonauiſſet, ac depoſuiſſet: præſertim cum ad ſuam ipſe potētiam nihil vnquam, ſed omnia ad ſalutem ciuiū ſuorum, imperiique Romani decus atq; amplitudinem retuliſſet. Ego vero, vt non ſolum eum optimum, ſed ſapientiſſimum fuiſſe concedam, illud tamen nunquam dabo, nihil vnquam eum decepiſſe, aut rectas de Republ. ſentētias perpetuo habuiſſe. quid ſi contra demonſtrem, pernicioſiſſimas atq; exitioſiſſimas eius actiones conſiliaque fuiſſe? Ille duorum ordinum, ſenatus atq; equitum concordiam à Cicerone cōglutinatam, præfracte ærario tuendo vectigalibusque diſſoluit, vnde pernicies eſt Reipubl. prima conſecuta. Ille Pompeium à ſe, & à Republ. affinitatis ſuæ repudiatione abalienauit, Cæſarique adiunxit: ille Clodii acta defendit; ille regem Cypri, cuius maiores ſocii atq; amici pop. Rom. ſemper fuerant, nullo eius delicto, incognita cauſſa publicauit: ille nihil Cæſari concedendum putauit. Suffundi me ſentio, dum hæc loquor, pudore, Auditores. Vereor enim tacitas cogitationes veſtras, ne hodie vobis videar ad vituperationem Catonis, hoc eſt, virtutis ipſius, hunc locum aſcendiſſe. quare non progrediar vltra, nec quæ cum ex ſummorū ſapientiſſimorumque hominum de hac re veterum, tum noſtrorum ſcriptis monumentiſq; collegi, proferam: potius petam ac rogabo, ne pręiudicia veſtra nobis, ne Catonis nomē opponatur. Rem ipſam & rationem videamus: Oſtendamus C. Cæſarem & iuſtas cauſſas belli ciuilis ſuſcipiendi habuiſſe, & victoria parta dominatū iuſtiſſime bo-

me bonoque Reipubl. cepiſſe. Nemo eſt tam impius, aut imprudens, qui neget nihil miſerius & deteſtabilius eſſe armis diſſenſionibuſque ciuilibus. etſi enim iis non in exitium Reipub. contenditur, ſed vt ſalua republ. altera pars factioue dominetur ac floreat; fit tamen ipſa re ac neceſſitate, vt mirifice cōmune bonū labefactetur, omniūq; ſalus in diſcrimen adducatur. Quare viro bono & quieto & bono ciui nihil magis cōuenit (vt noſter hic ſcribit) quā abeſſe à ciuilib. cōtrouerſiis, quod nōnulli cū probarent, periculi cauſa ſequi nō potuerunt. Ita enim eſt, vt in corporibus morbi, ſic in Repub. populari præſertim, neceſſario ſeditiones interdum exiſtunt, armiſque ipſi inter ſe ciues ſæpe decertare coguntur: neque integrum nobis eſt, fortaſſe nec laudabile aut vtile, neutri parti nos adiungere. Ea enim non media (vt Liuii verbis vtar) ſed nulla via eſt: quippe ſine gratia, ſine dignitate præmium victoris erimus. Scelerati tamen ſine dubio habendi ſunt ii, qui ad arma decurrunt, cùm iure diſceptare cum aduerſariis poſſint, imo vero qui, ſi id expedire reipubl. & ciuium ſaluti videant, non malint cedere, & ignominiam ac dolorem accipere, quam depugnare. quod Cicero vel inimicorum teſtimonio amantiſſimus patriæ ſæpiſſime in illa Clodiana iniuria ſe cogitaſſe, in orationibus cæteriſque monumentis ſuis teſtatur, cùm ei non difficile fuiſſet, etiam telis ac manibus ciuium, Tribuno illi impuro furioſoque reſiſtere. At Cæſaris res eò erant inimicorum iniquitate deductæ, vt ſaluus eſſe niſi bello ciuili non poſſet. neque vero ipſe ſolus de ſalute & dignitate periclitabatur, ſed vna cum illo innume-

S

rabiles alii, nobiliſſimiq; & fortiſſimi ciues. non dico boni, quos nec in partibus quidem Pompeii ac ſuis vllos Cicero ingenue agnoſcit: lautos tantum & locupletes & qui dicerentur boni, quos ita ipſe tamen ſe ſequi dicit, vt diſpulſæ pecudes ſui generis greges aut armenta ſolent. & ſimiliter Saluſtius: Bonique & mali ciues, inquit, non ob merita in Rempl. omnibus pariter corruptis, ſed vti quiſque locupletiſſimus, & iniuria validior, qui præſentia defendebat, pro bono ducebatur. Non igitur ab vna parte Cæſar, ab alia Reſp. ſtabat: ſed recte atq; erudite Maſſilienſium legati Cæſari reſponderunt, intelligere ſe, diuiſum eſſe populum Romanum in partes duas; neq; ſui iudicii neque ſuarum eſſe virium diſcernere, vtra pars iuſtiorem habeat cauſam: principes vero eſſe earũ partium Cn. Pompeium, & C. Cæſarem patronos ciuitatis. Quare paribus eorum beneficiis parẽ ſe quoque voluntatem tribuere debere, & neutrum eorum contra alterum iuuare, aut vrbe aut portub. recipere. In quo reſponſo vel qua deliberationẽ ſi Maſſilienſes perſtitiſſent, & non fide græca egiſſent, non in eas incidiſſent calamitates, in quas poſtea eos ſua pertinacia perfidiaque præcipitauit. in quo mirari mihi M. Tullium ſubit, qui nullum ſcelus aut facinus indignius vnquam vidiſſe ſolẽ dicit, quam de Maſſilia triumphari, ſine qua Imperatores Roman. ex tranſalpinis bellis nunquam triumphaſſet. vt hoc enim verum ſit, cogitare tamen debuit, oppugnationi Maſſiliæ mari Dec. Brutum, terra C. Trebonium præfuiſſe, quos viros omnium optimos, atque optime de Republ. meritos, omnibus videri voluit. Quanto prudentius rex

cius rex Deiotarus, qui victori Cæſari ſupplex factus, quod Pompeium ſecutus fuerat, non ſe dixit iudicem bebuiſſe eſſe controuerſiarum populi Romani, ſed parere præſentibus imperiis Pompeii, cum Cæſar ab iis locis lōgiſſime abeſſet, nullaque præſidia Cæſaris ea pars terrarum haberet. Dimicaſſe vtrumque de ſua potentia non de ſalute Reipub. ſed periculo tamen ciuitatis libenter nunc cuiuis, ne dum M. Tullio concesserim: neque enim tempus patitur hæc pluribus peſequi. Diſceptatur, vter iuſtiorem cauſam habuerit. nos C. Cęſarē dicimus. quod vt certius à nobis intelligatur, recenſebo ordinē iniurias aduerſariorum eius, & iniquitates. Iā ſatis cōſtat, M. Craſſo à Parthis cum exercitu interfecto, mortuaq; Iulia vxore Pōpeii, q̄ duo vincula concordiæ inter Pōpeiū & Cęſarē erāt metu & charitate mutua colligata, cœpiſſe ſuſpiciones inter eos, atque ęmulationem oriri: dum Pompeius retinere veterem potētiam, & primū in ciuitate locū, Cæſar augere opes ſuas ac dignitate ſe æquare Pompeio ſtudet. quam occaſionem omnia miſcendi inuidi atque improbi quidam & acutiſſimi viderunt, & auidiſſime arripuerunt. Illorum igitur artificiis, vt in alia Cæſaris epiſtola legimus, effectum eſt, vt Reſpub. in eū ſtatum perueniret: itaque Pompeium rogare per amicos alioſque non deſtitit, etiam ſuſcepto iam bello, vt mallet ſibi amicus eſſe, quam iis, qui & illi & ſibi ſemper fuerunt inimiciſſimi. Sed fruſtra. Vterq; igitur ſeſe aduerſus alterū munire cœpit, diffidēs & intētus in omnia. Hiſpanias, bellicoſiſſimas nationes, Pompeius, Gallias & Illyricum nō minori belli gloria florentes Cæſar, validiſſimoſ-

que exercitus obtinebant,neq; dimittebant. Sciebant enim omnia in armis poſita eſſe. Quare Pōpeius vt aliqua parte copiarum Cæſarem ſpoliaret,& ſibi adiungeret, illud excogitauit. Decerni à Senatu curauit,vt ad bellum Parthicum duæ legiones M. Bibulo,vna à Pompeio,altera à Cæſare traderentur; quo decreto Pompeius legionem, quā Cæſari olim cōmodauerat remitti ſibi poſtulauit. Cæſar & remiſit eā,& ſuā ſimul ex Senatuſconſulto in Italiam miſit. quā vtramq; Pompeius acceptam turpiſſime ad vrbem retinuit, nec Bibulo tradidit. Ita Cæſari duæ legiones per ſummam iniuriam ereptæ ſunt ſpecie Parthici belli. quod conſilium Pompeii quamuis eum initio non fefellerat, tamen ne quam armorum cauſam præberet, Senatuſconſulto, hoc eſt, inimicorum libidini paruit. Sed memorabile profectò eſt, quod prælio illo Pharſalico, quo Pompeius victus fuſuſque eſt, cum his duabus legionibus ipſe in ſiniſtro cornu præerat. Fatale enim hoc fuiſſe argumentum iniuſtæ cauſæ puto, vt à quarum legionū retentione initium iniuriarum in C. Cæſarem fecerat, earum auxilio nihil aduerſus perniciem adiutus protectuſque fuerit. Sed hæc fortaſſe iniuria leuior Pompeii videatur: illa atrociſſima, & ſola certe ac maxima cauſſa ciuilis belli, quod Cęſari ante tempus lege præfinitū ſuccedi in prouincia Gallia voluerit. quid hoc eſt? Tu beneficium populi Romani cuiquam, nedum C. Cæſari eripias? præſertim cuius tu ipſe apud populum præcipuus author, adiutorque fueris? Nam lege Vatinia, auditores, Galliam citeriorem cum Illyrico Cæſar accepit; vlterioris adiūctor Pompeius per Sena-

Senatum fuit; idemque earum prouinciarum in quinquennium prorogator: idem M. Marcello conſuli finienti prouincias Gallias Calēdis Martiis, acerrime reſtitit: idem denique vt decem, hoc eſt, omnes Tribuni plebis ad populum ferrent, vt abſentis Cæſaris ratio haberetur, author fuit. quod & ipſe Pompeius lege quadam ſua ob id vnum, quod omiſſum antea erat, à ſe correcta ſanxit, cōſul cum M. Craſſo cum eſſet, ſiue vt alii putant, rogatione Trebonia. Vt veriſſime mihi cōqueri Cicero videatur, quod cum is Cæſari faueret coniunctuſque eſſet, omnes eidem fauere, omniaque concedere ſumme ſtuduerit: ſimul atque Cæſarem odiſſe & timere cœpit, omnes ſua cauſſa Cæſari infenſos atque inimicos eſſe æquū putauerit. quo quid indignius aut inciuilius dici poteſt? Tulit igitur & ante ſuſceptum bellum & ſuſcepto bello Cæſar æquiſſimas aduerſariis ſuis conditiones: & quod incredibile videri poſſet, beneficiis illis populi vti noluit, ſi vterque exercitus dimitterent. rediturum ſe Romam priuatum, & præſentem de ſe populo Romano permiſſurū pollicitus eſt, etiam Senatus iudicium non refugit: quanquam Conſulum tantam iniquitatem tantumque ſcelus in ſe deprehenderat, vt ii literas Cæſaris ad Senatum de Republ. miſſas, ſumma contentione Tribunorum, ægre recitari permiſerint; vt autem ex literis ad Senatum referretur, impetrari non potuerit. Nihil enim magis Pompeius timebat quam pacem; vt omniū conſenſu præcipueque Ciceronis, (cuius vtpote Pōpeiani libenter teſtimoniis vtor) epiſtolis ad Atticū, plurimis & grauiſſimis verbis ſcriptis, cog-

noſcitur. Conditionem pacis Pompeius nullam probarat, inquit libro VIII. epiſtola VIII. veriſſimeque Velleius Paterculus, Nihil vnquam relictum à Cæſare, quod ſeruandæ pacis cauſſa tentari poſſet: nihil receptum à Pompeianis. Quoties ille, Devs bone! & priuatim amicos alioſq; ad Pompeium ablegauit de pace? quoties publice & quidem tum, cum ſecunda ſibi omnia, Pōpeio aduerſiſſima adcidiſſe viderentur. Audite, audite magni illius & vere heroici animi excelſam vocē. Fugato ex Italia Pompeio cum Romam veniſſet, Senatui author fuit mittendi authoritate publica ad Pompeium de compoſitione legatos. Neq; ſe reformidare dixit, quod in Senatu paullo ante Pompeius dixiſſet, ad quos legati mitterentur, iis authoritatem attribui, timoremque eorum, qui mitterent, ſignificari: tenuis atq; infirmi hæc animi videri: Se vero, vt operibus ante ſtuduerit, ſic iuſticia & æquitate velle ſuperare. Multa mihi neceſſario prætereunda ſunt, de acerbitate & improbitate aduerſariorum Cęſaris, de iniuſtiſſimis actionibus, vt de Tribunis plebis, quorū ipſa corpora ſacroſancta erant, violatis & è ciuitate exactis, de ſublata interceſſione, quam ipſe L. Sulla non ſuſtulerat, cum Tribunitiam poteſtatē prope deleuiſſet, de imperiis in priuatos homines collatis, lictoribuſque in vrbe & Capitolio priuatim habitis contra omnia vetuſtatis exempla, de iniuſticia Pompeii potentiaque intoleranda, vt idē ad portas vrbanis præſideret rebus, & duas belliciſſimas ꝓuincias abſens tot annos obtineret. Quæ omnia eo erant indigniora atque acerbiora Cæſari, quod ab ignauiſſimis & ſuperbiſſimis ho-

minibus

minibus adminiſtrabantur: Mitto loquacitatem M. Marcelli, impudentiam & ſtultitiam Metelli, Scipionis arrogantiam, aliorum omnium cupiditates cum ſingulari crudelitate coniunctas. ipſi conſules C. Marcellus, & L. Letulus, quibus Coſſ. hoc bellum initum, geſtum etiam magna ex parte eſt, quales fuerunt? Ciceronis verbis ad Atticũ illum ſuum ſcriptis id proferam. Ait; Caue putes quicquam minoris eſſe his Conſulibus, & alia in epiſtola: Nec me, inquit, Conſules mouent, qui ipſi pluma, aut folio facilius mouentur. His hominibus Cæſar ſuccumberet? his cederet? in tam iuſta præſertim cauſſa, tantiſque rebus geſtis? elegãter ipſe apud Poetam neſcio quem, attamen veterem,

Sanguine Germano, ſexagintaque triumphis
Eſſe nocens cœpi.—

Hęc de bello. Supereſt, vt de oppreſſa dicamus libertate patriæ. quod alterum crimen Cæſari impingitur: quo ſic eum teneri putant, vt tyranni & iniuſtiſſimi ciuis appellationem recuſare nõ debeat. Sic enim diſputãt, nullam ſatis iuſtam cauſſam eſſe poſſe libertatis ciuium opprimendæ, aut oppugnandæ patriæ. quod ego non inuitus admitto, ſi oppugnetur patria, ſi eripiatur libertas, quam ferre ciuitas poſſit. Quod ſi in eum ſtatum Reſpub. Romana peruenerat, ut diutius ſalua eſſe non poſſet, niſi per vnum regeretur, quæ hæc eſt dementia, vt veterem Rempub. teneas, eo labi, vt ſis in nulla? Niſi forte Rempub. & libertatem fuiſſe putamus illis temporibus, cum inteſtinis omnis generis malis ita ægrotabat ciuitas, vt nihil leges, nihil diſciplina, nihil magiſtratus, nihil

bonorum, qui pauci tamen erant, conſenſus, authoritaſque valerent: omnia vi, ferro, lapidibus, & peſſimorum hominum coitione, tanquam turbulentiſſimis tempeſtatibus agitarentur. q̃ erat, quæſo, illa facies vrbis Romæ, cum palam conductis operis, ſceleratiſſimiſque hominibus coactis ædes Senatorum diſturbabantur? cum ſerui atq; egentes cum facibus in tecta clariſſimorũ ciuium immittebantur? cum vis in campo, vis in foro, vis in curia dominabatur? cum ſanguis medius fidius ſpongiis è foro effingebatur? Neque hæc ſemel, aut iterum adcidebant: aſſidua, quotidiana erant. Luxus videlicet, ingentibus diuitiis ac ſecuritate alitus, veluti tabes, ciuitatem occupauerat, victũque, vt ille ait, vlciſcebatur orbem. Hinc ambitio, Hinc ſæuitia indies gliſcere, & ſeipſam faſtidiens licentia; quæ poſtremo in ſeditiones maximas, caſtraque ciuilia erumpebant; miraque res erat, eadem bella & expiabant ſcelera, & gignebant: vt iam quiuis, etiam mediocriter prudens, iudicare poſſet, quod Haruſpices eo tempore monuerãt, Ne per optimatium diſcordiã, diſſenſionemque, patribus principibuſque cædes periculaque creẽtur, auxilioque deminuti deficiantur. Non ergo ad conuerſiones quaſdã fatales rerũpubl. confugio, quæ licet à ſapientiſſimis hominibus probentur, ipſeque Cicero id iis temporibus adcidiſſe ciuitati Romanæ dicat; tamen iuſtitiam & cauſam Cæſaris parum aut demonſtrant, aut ſubleuãt. illud dico, ſtare imperium & nomẽ pop. Rom. diutius ſine illo fulcro non potuiſſe. Cicero idem ille libr. 1. de Nat. Deor. Cum otio langueremus, inquit, & is eſſet Reip. ſtatus, vt eam vnius conſilio

atque

atque cura gubernari, neceſſe et eſſet. Tacitus libr. 1. Annalium: Non aliud diſcordãtis patriæ remedium fuiſſe, quam vt ab vno regeretur. Et libr. 1. Hiſtoriarum: Poſtquam omnem poteſtatem ad vnum conferri, pacis interfuit. Aliaq; ad eandem ſententiam cum apud hos, quos modo nominaui, cum apud alios ſcriptores reperias, quæ nihil neceſſe eſt commemorare. At ciuitati quidem Romanæ dices hoc expediuiſſe, non item Italiæ atq; prouinciis. Imo vero his maxime vtile & ſalutare fuit. Nec prouinciæ (inquit certiſſimus & ſapientiſſimus ſcriptor) illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatus populique imperio ob certamina potentium, & auaritiam magiſtratuum, inualido legum auxilio, quę vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur. nec minus eleganter Plinius in laudibus Auguſti; Et ſi verum fatemur, inquit, ſalutare id terris fuit: & alio loco de nauali corona loquens: Dedit hanc Auguſtus coronam Agrippę, ſed ciuicam à genere humano accepit ipſe. Igitur neque pax Romæ eſſe, niſi vno omnia gubernante, poterat; & pacis Romanæ maieſtate tranquillitas gentium & orbis terræ ſalus continebatur. Hęc ita ſunt, neque negabit quiſquã, qui paullo attentius in has res introſpexerit. Iuſtiſſime igitur C. Cæſar, qui pio ac neceſſario bello Remp. ab aduerſariis recuperauit, & recuperatam ſuo iuſtiſſimo clementiſſimoque imperio rexit. Neque aliud ab initio etiam ciuilis belli ſpectauit, vt cum ex ingenio eius mitiſſimo coniici poteſt, tum ex actionibus perpetui temporis, atque ex literis eius ad intimos amicos, quibus cum diſſimulare iſta non poterat, ſcriptis liquidiſſimo perſpici poteſt.

Sic enim (vt alia omittam) ad Oppium & Cornelium procuratores ſuarum rerum ſcribit: Hæc noua ſit ratio vincendi, vt miſericordia & liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri poſſit, nonnulla mihi in mentem veniunt, & multa reperiri poſſunt. De his rebus rogo vos, vt cogitationem ſuſcipiatis. Veriſſime igitur Cicero in Ligariana, Nulla, inquit, de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt. Sed quid ego hæc recito, & rem omnium clariſſimam ac teſtatiſſimam illuſtrare, & probare conor? quis enim ignorat, templum clemẽtiæ C. Cæſaris poſitum ac dedicatum fuiſſe totius Pop. Roman. atque omnium gẽtium ſcito atque conſenſu? quis patrem patriæ veriſſime meritiſſimoq; eum appellatũ? Omni luce hæc clariora ſunt: neq; acerbiſſimi etiam Cæſaris inimici atque interfectores aliter eo & viuo & mortuo iudicauerunt. Vnius nunc ero teſtimonio C. Caſſii contentus. Is ita ad Ciceronem ſcribit: Peream, niſi ſollicitus ſum, inquit, ac malo veterem & clemẽtem dominum habere, quam nouum & crudelem experiri. Cupit Cæſarem in Hiſpania vincere, Cn. Pompeium adoleſcentem ſuperari, cuius patris partes Caſſius antea ſecutus fuerat, & quarũ poſtea ipſe dux partium fuit huiuſq; etiam in Cæſares odii propagator ad poſteros. Nam Cæſaris Neronis principatu C. Caſſium interfectum ſcimus non aliam ob cauſam, quam quod ſtatuam illius Caſſii domi coleret cum illa inſcriptione: Duci partium. At quædam Cæſaris extant in dominatione illa ſua ſuperbe & iracunde dicta factaque. Ne ego quidem Cæſarem Deum facio, quamuis omnib.

virtu-

virtutibus Diis, quam hominibus ſimilior ac propior videri potuerit. Proponite vobis Cn. Pompeium viciſſe; quid illo crudelius fuiſſet? neq; Cicero diſſimulat, ſed ſæpe & clariſſime dicit, regnum Sullani, in quo eductus erat, ſpeciem mirabiliter concupiuiſſe, neminique parſurum fuiſſe, ſi viciſſet. Vnum eſt, in quo C. Cæſaris inſignis crudelitas merito reprehendi videtur, quod ſoleret amicos & comilitones ſuos, quorum virtutem ſibi dominatum adfectanti obſtaturam putabat, eos in ipſis prœliis atque in acie ſua interficiendos curare. quo quid immanius dici vel excogitari poteſt? ſed hoc neq; quiſquam præter Dionem Nicæum dicit, & is autor vanitatis, vt ſæpiſſime, manifeſtiſſimus eſt. Non minori (libere dicã) crimine vanitatis & ſtultitiæ damnandus Suetonius eſt, qui commemoratis inſolentioribus neſcio quibus Cæſaris dictis, quæ in minimo hodie & inerte nobili nemo reprehendat, tanquam de ſententia conſilii pronunciat, eum iure cæſum videri. Cur non & illud adiecit, eiuſque cædem vtilem Reip. fuiſſe? quod optimus & eruditiſſimus homo C. Matius Cęſaris neceſſarius in pulcherrima illa epiſtola ad Ciceronem, quæ lib. 11. Fam. legitur, ita modeſtiſſime diluit: Vitio mihi dant, inquit, quod mortem hominis neceſſarii grauiter fero, atque eum, quẽ dilexi, periiſſe indignor. Aiunt enim patriã amicitię præponendã eſſe perinde ac ſi iam vicerint, obitũ eius Reip. fuiſſe vtilẽ: & quæ ſequũtur. Nihil enim modeſtius, probius, ſapientius, mũdius illa epiſtola fingi C. Matii poteſt: addo etiam nihil verius. interitu enim Cęſaris ſcimus totã Remp. perturbatã, omneſq; gentes, atq;

Google

orbē ipſum terrarū iterum bellis colliſum ac conquaſſatū fuiſſe. Quid ꝙ ipſe Cicero q vnus omniū maxime obitu Cæſaris, & illis idibus Martiis delectatus eſt, tamen fateri ſæpe Pomponio ſuo cogitur, expediuiſſe ſub eius dominatu viuere; ſibi etiam perhonorificum fuiſſe? alicubi etiam optat eum viuere, nec fuiſſe ætati ſuæ ait dominū illum refugiendum. Quod cum ſcripſiſſet; Rubeo, mihi crede, inquit; ſed iam ſcripſeram, delere nolui. Tu vero ne rubeas M. Tulli; ſint enim, vt ſunt, res à te geſtæ maximæ, ſingulariaque tua in Rempubl. & patriam merita, omniumq; clariſſima monumēta ingenii atque induſtriæ tuæ; vni Cæſari iſta virtus ſine dedecore potuit, non dico, ſeruire, ſed tamē leuiter ſeſe, comiterq; ſubmittere, neq; in quenquam ille honorificentior & liberalior, amicum & ſocium victoriæ fuit, quam in te hoſtem. Neq; tu nobis Brutos, quantumuis egregios ciues, neue Caſſios, neue Caſcas, alioſque interfectores parentis patriæ, pro quo ſolenni SCto, adhibito etiam iureiurando ſanctiſſimo capita veſtra obligaueratis; ne, inquam, hos mihi τυραννοκτόνους, & liberatores orbis terrarum, & heroas, & Deos appella. Malo enim, malo veritati & ſequentium temporum experientiæ, malo grauiſſimorum hominum teſtimoniis, malo omnium denique populorum, qui mortuum illum luxerunt, conſenſui ac dolori credere. Ne Dantis quidem, vt ſcias, Alligherii, ſummi & ſapientiſſimi Italorum poetę conſilium reprehendo, aut rideo; qui in ſuis illis Inferni regionibus, miro artificio, curaque deſcriptis, Caſſium & Brutum dextra ſiniſtraque Iudæ illius proditoris, ac carnificis ſalutis humanæ collocauit

locauit. Non rideo, inquam, hæc ego: & proferre veterum ac ſanctiſſimorum etiam Theologorum Chriſtianorum, de hac re non diſſimiles ſententias poſſum: item illas, quibus in id conditum Cæſarum principatum dicunt, vt religio Chriſtiana latius & facilius ad omnes gentes Romana pace propagaretur. Sed colligam ipſe me ac reprimam, neque diutius auribus veſtris ac benignitate abutar; præſertim cum ſuperſit muneris huiuſce mei præcipua pars, propter quam hunc locum hodie conſcendi. Adoleſcentes iſti mihi, quos videtis, ornandi & excitandi modo ſunt, vt lenibus declamatiunculis ſuis grauitatem atque aſperitatem orationis meæ minuant, ac mitigent. Dixi.

Suetonius in Cæſare, cap. vlt.

PERCVSSORVM autem fere, neque triennio quiſquam amplius ſuperuixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes: alius alio caſu periit, pars naufragio, pars prælio: nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violauerant, interemerunt.

M. Antonius, Imp. in epiſtola ad Hircium Conſ. & Cæſarem Octau. Proprætorem.

COGNITA morte C. Trebonii, non plus gauiſus ſum, quam dolui. Dediſſe pœnas ſceleratum cineri atque oſſibus clariſſimi viri, & apparuiſſe numẽ Deorũ intra finem anni vertentis, aut iam ſoluto ſupplicio parricidii, aut impendente, lætãdum eſt. Hoſtem iudicatum hoc tempore Dolabellam, eo quod ſicarium occiderit: & videri ca-

riorem populo Ro. filium Scurræ, quam C. Cæſarem patriæ parentem, ingemiſcendum eſt.

Dio, lib. XLVIII. *initio.*

Ad huncigitur modum Brutus & Caſſius oppetierunt, iis, quibus Cæſarem interfecerant gladiis confoſſi. qui vero alii earum inſidiarum participes fuerunt, aut ante, aut tum, aut poſtea temporis, paucis quibuſdam exceptis, perierunt. Ita nimirum & Iuſtitia poſtulabat, & Deus volebat, eos interire, qui virum ad id virtutis & fortunæ progreſſum, ac inſuper benefactorem ſuum, occidiſſent.

Iul. Capitolinus in Gordianis.

Qvod de Cæſare memoriæ traditum eſt, hoc etiam de Gordiano Codius eueniſſe, perſcribit. Nam omnes, quicunque illum gladio apperiuerunt (qui nouem fuiſſe dicuntur) poſtea interempti Philippis, ſua manu, ſuiſque gladiis, & iiſdem, quibus illum percuſſerant, interiſſe dicuntur.

Vetus Epigramma.

Occidêre ſimul Caſcæ, ſimul occubuêre
Dextrâ quiſque ſuâ, quâ ſcelus auſus erat.
Caſtra eadem fouêre: locus quoque vulneris idem.
Partibus adflictis victus vterque iacet.
Quanta fuit mentis, tanta eſt concordia fati:
Et tumulus cinerem paruus vtrumque tegit.
Par fratrum multo celebrandum carmine vatum,
Vna ſi fierent parte minus gemini.

SCI-

SCIPIONIS GENTILIS IC. ORATIO

De Maledictis in Principem.

ALLATIS nuper è regno nuntiis de ſeditione, & coniuratione hominum nobiliſſimorum; equidem, Auditores, vehementer, vt debui, commotus fui. Nam & regni vetuſtiſſimi atque opulentiſſimi miſeratio, & maximi atq; omnium gentium ac ſæculorũ memoria digniſſimi Principis pericula non mediocriter me perturbabant, & exanimabant metu, qui illis in locis erãt, optimus & confectus ſenectute parens, fraterque meus, mihi cum ipſa natura, tum voluntate atque omnibus ſtudiis coniunctiſſimus. De hoc etiam eò magis eram anxius, quod apud eum, qui earũ turbarum author ac princeps eſſe dicebatur, vir ante illam mentem omniũ florentiſſimus & fortunatiſſimus, non poſtremum gratiæ locum obtinuiſſe, intelligebam. Nam patri quidem, vt in tanta ætate, quamuis mihi acerbiſſima, ipſi nõ ſolum non immatura, ſed etiam non ingrata mors, maximis periculis fortiſſime, magnaque cum dignitate defuncto, videri poterat. Sed cum & Dei benignitate, & ſapientiſſimi Principis ſingulari virtute conſediſſe omnes illas turbas, periculaq; grauiſſima, quę impenderét; paucorum pœna depulſa atque oppreſſa, vndiq; ſignificaretur, recteque apud meos eſſe, amicorum literis cognouiſſem, magno ſum metu, & ſolicitudine liberatus. Mox, vt accidere ſolet, reputare tacitus cum animo meo cœpi, quãta importunitate naturæ præ-

ditos eſſe oporteret eos, qui talia molirētur: quātaque fuiſſet ſemper, & in omnibus gentibus eorum amētia, qui nulla re mala domi impulſi, vno momento omnia delere concupiuiſſent, patriaq; euerſa in ipſius ruinis ac cineribus dominari, quā ea ſalua atq; incolumi florere maluiſſent. Occurrebant ad animum varia populorum inſtituta ac leges, quib. & Reipubl. ſalus ſatis munita, & Principū vita ſatis ſepta eſſe videbatur; niſi dominandi libido, vltioniſque cupiditas omnia ſuperaret. Inprimis vero legis Iuliæ de Maieſtate veniebat in mentem, quam C. Cæſar Dictator tuliſſet, ſiue ex eius commentariis Auguſtus filius, quamque ceteri deinceps Imperatores varie pro ingenio exercuiſſent, diligentiuſque omnino, & ſeverioribus, quam antea, & verbis ſanxiſſent & pœnis. Multæ enim huiuſmodi conſtitutiones in libris noſtris leguntur: inter quas cum eminere maximeque celebrari conſtitutionem Arcadii & Honorii meminiſſem, elatus ſtudio, eā in manus ſumptam attentius legere cœpi; inſiſtenſq; in omnibus propemodū eius verbis, quædam tacitus adiiciebā de meo ſenſu, quibus illā mihi tum explicari & illuſtrari poſſe videretur. Quid plura? quod facile ſemel inflammato fuit, impetum cœpi eius publice interpretandæ. Sed cum in ea & lectione & meditatione totus eſſem, quod ea cōſtitutio in Codice Iuſtiniani in titulū ad L. Iuliam Maieſtatis relata eſſet, animaduerti ei titulo aliū antefixum cum hac inſcriptione, Si quis Imperatori maledixerit: atque in eo vnicam tantum cōſtitutionem collocatam eſſe, quæ eorundē Principum ac patris eſſet, non de rebus atque factis, vt

illæ in

illæ in titulo, quem dixi, Maieſtatis, ſed de verbis & maledictis: quibus etiã violari maieſtas Principum viſa eſt Auguſto primum, ſi Tacito Cornelio credimus. Nihil vnquam tam diuerſum vidi, quam haſce duas eorundem Imperatorum ac fratrum conſtitutiones. cum altera plena ſeueritatis, plena lachrymarum, plena ſqualloris eſſet: altera tam benigna ac mitis, vt propemodum ad oſtentationẽ clementiæ ſcripta videri poſſit. Puniri enim vetat ab vllo quantumuis ſummo magiſtratu eum, qui Principẽ maledictis laceraui ſſet, quacunque tandem de cauſſa id feciſſet: credo, quod ita iudicauerunt, Principis maieſtatem, vt eſt apud Senecam in libris de Clementia, maiorem eſſe, quam vt cuiuſquam contumelia minui poſſit: vel quod Titum Imperatorem dicere ſolitũ accepimus, Bonum Principem iniuria adfici non poſſe. Ego vero cum recordarer varia de hac re, non priuatorũ modo diſputata, ſed etiam Imperatorũ ac Regum cõſtituta ac iudicia fuiſſe ſemper, paullo diligentius de ea re mihi cogitandum eſſe exiſtimaui. Multa enim in vtramq; partem dici poſſe ſciebam. quorum pleraq; aut certe, vt credo, potiora à Claudio Tolomeo, bene de nomine & ſermone Italico merito, aliiſque animaduerſa, vobis hoc loco breuiter atque ordinẽ (neq; enim vel tempus vel modeſtia mea patitur, vt pluribus vos onerem) exponere decreui, humanitate veſtra, & beneuolẽtia erga me ſingulari ac perpetua fretus. Ac primo loco rationes in eam partem proferemus, quibus efficitur, multo & vtilius, & honeſtius eſſe Principi, hãc libertatem loquendi & ſcribendi de ſe aliis permitte-

re. Sæpenumero enim ciues odiũ aduerſus Principem, offenſi eius vita aut moribus, concipiunt: quod in pectore cuiq; etiam non animaduertenti paullatim creſcit; hoc odium veluti virus eiicere homines ſolẽt non alia re magis, quam lingua, & verbis, neque id impedire, imo prouocare ſapientis hominis eſt ac Principis, ne ſi incluſum coerceatur, aliquando maiori impetu erumpat, quod neceſſe eſt, & perniciem ei maturet. Eſt enim quædam naturalis dulcedo de iis male & libere loquendi, à quibus læſus ſis, quoſq; oderis. Hanc, qui tuto expleuerit, ipſa natura fit, vt odiũ quoque mitiget, nec vltra progrediatur ad vleiſcendum aut aliquid tætrius deſignet Contra vero vbi hac via vti hominibus non licet, libidinemque animi explere, vel foris aliquid graue moliuntur, vel domi coniurationes concinnant ac coeunt. Hac vel eiuſmodi aliqua ratione ſapientiſſimum Galliæ regem Franciſcum accepimus tacite, libenter etiam, ferre ſolitum, ſe præcipuoſque regni ſui proceres, quorum ipſe opera conſiliiſq; vtebatur, in fabulis & comœdiis publicis rodi & configi maledictis: recte id quidem, & inuolute, ſic tamen, vt ab omnibus perſpiceretur. Hæc igitur prima vtilitas eſt in hac modeſtia & patientia Principum. Sequitur illa non minus vera, & retinenda illis. Nam, licentia iſta loquendi conceſſa, ciuium animi cupiditateſque nudantur, & patefiunt cõſilia fere omnia: quid in reipub. adminiſtratione probent, quid improbent, quæ miniſtrorum & magiſtratuũ vitia factaue populo diſpliceant, inuidiamque Principi concilient, quæ remedia malis publicis priuatisue homines deſi-

derent

derent ac flagitent, omnia per hanc loquendi libertatem intelliguntur. quod nemo ſanus neget, vtiliſſimum Principi eſſe. quemadmodum enim in corporibus ii morbi difficillime curantur, qui latent falluntque intus incluſi, ſic in ciuitate atq; in imperio ſunt illa grauiſſima pernicioſiſſimaq; odia, quæ latent nec foras ſeſe eiiciunt. Neq; vero aliud reſpexiſſe ſummos quoſdam viros ac duces, exiſtimãdũ eſt, quos in hiſtoriis legim' veſte mutata, noctu, nullo cõſcio atq; ignoratũ omnib. per vrbem vel caſtra vagatos eſſe, vt hominũ ſermones de ſeipſi audirent, mentreſque intelligerent, à quibus amarentur, quibuſue inuiſi forent. Quib. rationibus nõ dubitauerim mediam inſerere authoritatem Tiberii Cæſaris: eaque eo libentius vtar, quod & callidiſſimus omnium Principum eſt habitus, & crudelitate inſigni fuit, quorũ alterũ ne cõmoda ipſe ſua ignoraret, alterum ne dubitaret ea quauis ratione, etiam crudeliſſima, perſequi, efficiebat. Is tamẽ, talis cum eſſet, conuitia & probra fœdiſſima in ſe coniecta, nec verbis modo, ſed & ſcriptis carminibuſque procaciſſimis ſæpe tulit moderatiſſime atque cõtẽpſit: adeo quidem, vt etiam Senatui, vehementer roganti, vt in authores tam atrocium libellorum atque ſermonum inquiri atque animaduerti vellet, reſtiterit, generoſa illa voce edita, non ſibi tantum otii ſupereſſe, vt huiuſmodi negotiis ſeſe implicaret. adiecit & illud ſummæ prudentiæ, Si hãc feneſtram aperueritis, nihil aliud efficietis, quam vt hoc colore dignitatis Principum vindicandę, vnuſquiſq; priuatas ſuas inimicitias velatum vltumque eat: nec ſapientis Principis eſſe hanc ianuam ciuibus

patefacere, quo malignitatem atque acerbitatem animorum ſuorum tam inhoneſto & pernicioſo more exſatient. Immutauit poſtea ipſe ſeſe, vt videtur intuenti ſupplicium Paconii & aliorũ quorundam hac de cauſſa damnatorum. Sed neq; nos libidini maledicendi oẽs frænos laxamus, nec aut Tiberius rationẽ magna in vindicãdo caruit aut ſi ita vultis, crimine. Quid Cæſarem Germanicum Tiberii filium commemorem? Is patri natura diſſimillimus, & quod huc pertinet, ingenio omniũ mitiſſimo optimoque præditus, tamen patri in hac re ſimilis fuit. eadem enim ratio prudentiæ quæ patrem, eum permouit, ad hæc talia contemnenda. quod clariſſime in Piſonem demonſtrauit inimicum ſuum ſceleratiſſimum, & latronem, non legatum, à quo perpetuo eius fama factaque omnia virulentiſſimeque lacerabantur. Idemq; conſilium Hieroni (ne Principes tantum loquar) Syracuſanorum regi fuit, ei, qui Geloni ſucceſſit. neque enim vllo modo puniuit eos, qui etiã præſenti & audienti ei multa tetra ſpurcaque obiecerant, interque ea etiam olentem oris ſpiritũ. Quo de vitio oris cum vxorem ſuam incuſaſſet, quod ſe non admonuiſſet tum illa, Omnes ſe viros ita olere putaſſe, reſpondit. Quod reſponſum ſcio ab aliis Romanæ mulieri tribui. Poſſum & aliorũ præſtantiſſimorum & ſapientiſſimorum Regum exempla commemorare omnis memoriæ. Sed propero atque vnum vobis conſiderandum proponam aulæ Romanæ exemplar, in qua nõ Cardinales modo alioſque primarios viros, ſed ipſum etiam Pontificem incredibili licentia ſcimus famoſiſſimis libellis configi ipſo præſertim die S.

Marci, ad Paſquini nobilẽ illam ſtatuam. Quam ſtatuam (nam & hoc memorabile inprimis puto, quod apud Iouium nuper legi) cum Adrianus Sextus ſimplici & antiquo Bat. ingenio præditus, & rudis regnãdi, cum omnino demoliri conſtituiſſet & in Tiberim præcipitare: Ludouicus Sueſſanus regulus, Cęſaris legatus, vrbano ſalſoq; ingenio id fieri debere pernegauit, adiiciẽs, Paſquillũ vel in imo vado ranarũ more non eſſe taciturũ: ad id vero Pontifex, Exuratur ergo inquit, in calcem; ne eius veſtigii vlla omnino memoria ſuperſit. tum Sueſſanus, Recte, inquit: ſed tam crudeliter concremato, poetæ clientes nõ deerunt, qui patroni ſui cineres inuidioſis carminibus proſequantur, & ſupplicii locum quotannis ſtatuto ſolenni die concelebrent. Quibus verborum luſib. Pontifex ad hilaritatem & iocos traductus, ab incepto deſtitit, Paſquillumque conſeruauit. Nunc ad rationes reuertar, quarum non vna supereſt, quæ hanc ſentẽtiam adfirmet, inprimis illa, quod omni ratione Principes cauere oportet, ne ciues ſuos ac ſubditos ad extremam deſperationem adducant. Nam qui ſemel deſperauerunt, ii neque honoris, neque facultatum, neque ſalutis ſuę, neque alterius rei rationem vllam ducunt: omnia pariter vilia ſunt. neque vero aut legum ſeueritas aut Principis maieſtas eos deterret, quin omnia audeant, & adgrediantur, quantumuis etiam aſpera & prærupta. Qua de cauſſa cum Princeps aliquem populum in poteſtatem redegit, eique libertatem eripuit, quotidieque aliquid graue & moleſtum iniungit, non debet etiam eo progredi, vt loquendi libertatem ei adimat: homines e-

nim ſi ſe omnibus rebus ſpoliatos vident, libertate, opibus, ſæpe etiam dignitate atque honore, ad hoc quaſi elingues & mutos redditos eſſe, nihil non moliuntur aduerſus Principem, neque exterrentur: vbi enim nulla ſpes boni ſupereſt, ibi nec mali vllus ſupereſt metus. Sapienter quoque & olim Cleomenes Argis, & patrum memoria Florentiæ Laurētius Medices, cum audiret, multos eſſe qui de ipſo male loquerentur, eamque ob rem ad puniendum ab amicis incitaretur, nihil aliud reſpondit, quam hoc vnum; Ipſi loquentur, & nos faciemus. Intelligebat enim vir prudentiſſimus non conuenire, cui libertatem agendi ademiſſet, ei etiam loquendi velle adimere; ſed cum ipſe, quæ vellet, ageret, permittendum eſſe aliis iudicabat, vt quæ vellent, loquerentur. Quod ipſum etiam olim rex Artaxerxes, is qui Memnon vſurpatur, per Tribunum militum dici Alcidi cuidam Iapſoni iuſſit, qui multa in eū erat conijcere probra ſolitus. Ad hanc rationem adgreganda eſt illa alia, Cauendum enim principi eſt, Ne nimis multos inimicos ſibi concilier, dum aliquos punit eam ob cauſſam, quod de ipſo ſecius locuti ſint, aut ſcripſerint. Incipit enim vnuſquiſque ſibi timere, ne aliquid & ipſi calamitatis ob id accipiant, tanquam in communi fortuna, eodemque periculo ac linguæ lubrico poſiti: vnde & odium in principem ipſis ingeneratur, & perdendi eius, ſi qua occaſio detur, libido, atque conatus. Ea tempeſtate, cum Ducis Athenarum tyrannide Florentini premerentur, præter alia intoleranda hominibus liberis, ingentia quædam vectigalia extra ordinem iis impoſuit, de quib. cum liberius

quidam

quidam ciuis è Ciniâ familia, quereretur, Tyranni iuſſu lingua eſt ei ſtirpitus exciſa. quo vulnere cum interiiſſet, adeo ciuium animi exaſperati inflammatique fuerunt, cum ſimul & agendi & loquendi ſibi libertatem ereptam viderent, vt breuiſſimo tempore tres diuerſæ coniurationes in eũ extiterint, quæ perniciem ei pepererunt. Eſſet illa ratio, quod ex infidis conſiliariis fiunt & ſimulati, & adſentatores, ſublata dicẽdi libertate. Pudebat (inquit Curtius de Alexandro, captiuã nuptiis ſibi iungente) amicos ſuper vinum & epulas ſocerum ex deditis eſſe electum. Sed poſt Clyti cædẽ libertate ſublata, vultu, qui maxime ſeruit, adſentiebãtur. Item illa, quã apud eundẽ autorẽ in eodẽ Alexandro notaui ob cædem Clyti & pœnitentiam pene furente: Magis eo mouebatur, inquit, quod omnium amicorum animos videbat attonitos. Neminem cum ipſo ſociare ſermonem poſtea auſurum. Viuendum eſſe in ſolitudine velut feræ beſtiæ, terrenti alias, alias timenti. His atque aliis forte cauſſis permotus Theodoſius magnus Imperator, cõſtitutionem nobiliſſimam ſuo & filiorum Arcadii & Honorii nomine promulgauit, his verbis: ſi quis modeſtię neſcius & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubiugari, neque durum aliquid, neque aſperum volumus ſuſtinere: quoniam ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnẽdum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab iniuria, remittendum. Ignoſcendum Theodoſius Imp. etiam malitię, etiam iniuriæ cenſuit, curã

niſi quod ita expedire ſuis reb. exiſtimabat. Nec minori vel prudentia vel magnitudine animi fuit rex ille Epirotarum Pyrrhus, qui cõſentibus amicis, vt quendam, qui de ipſo male erat locutus, relegaret: nõ ſe facturum dixit, ne, inquit, alio profectus, peiora de me loquatur, & coram pluribus. Hoc quidam Macedonum regi Philippo tribuũt. Cuius etiam filius Alexãder pari animo cum obtrectari ſibi audiſſet, Regium eſſe, reſpondit, benefacere, & male audire. quod nos ita verſu quõdam expreſſimus: *—ſed regia res eſt*

Poſt benefacta pati tetras loligine linguas.

Sed nemo Cæſari in hac parte, vt & in aliis multis comparandus eſt: qui non voces modo infamiæ & probri plenas in ſe æquiſſimo tulit animo, ſed etiam contumelioſiſſimos C. Calui & Catulli de Mamurra verſus, quibus æterna ſibi ſtigmata impoſita non diſſimulabat, cum facile vlciſci poſſet, adeo non reprehendit, vt alterum ſibi ſatisfacere cupientem ipſe prior eum literis humaniſſimis compellarit: alterum, Catullum inquam, eodem die ad cœnam vocauerit, patriſque eius hoſpitio, vt antea, vti perſeuerauerit. Aulo autem Cæcinæ, à quo non ſolum armis ciuili bello acerrime pertinaciſſimeque oppugnatus fuerat, ſed etiam criminoſiſſimo libro vehementiſſime laceratus, incredibili moderatione victor ignouit, tametſi erat Cæſar cauſſæ Africanæ, quam ille fouerat, iratiſſimus. Idem acerbe de ſe loquentibus ſatis habuit pro concione denuntiare, Ne perſeuerarent. Quis etiam Auguſto moderatior fuit? qui cum omnium gentium princeps ac dominus eſſet, ſæpe hæc tela linguarum & ſcripturarum in ſe fixa ſenſit, ve-

ſit, veluti in illo epigrammate de bello Sicilienſi aduerſus Sex. Pompeium M. filium, item illo, quo ſecretæ & infames cœnæ exprobratæ ei fuerunt, in quibus ſoleret conuiuas habitu & nominibus duodecim Deorũ iubere diſcumbere, ipſe Apollinis forma atque inſignibus ornatus: nec tamen vllam vnquam vindictam in authores, etiam cõpertos, excercuiſſe legitur. Hęc aliaque huiuſmodi cum ſuo ingenio Auguſtum feciſſe exiſtimandum eſt; tum admonitu ſapientiſſimorum amicorum, inprimiſque Cilnii Mæcenatis, cuius extat hac de re etiam prudentiæ ſimulachrũ apud Dionem lib. 52. Quod conuitium, inquit, aliquis tibi fecerit, aut tibi obtrectauerit, neque deferente aliquo audire, neq; vlciſci debes. Turpe enim fuerit, te credere, inuentum, qui te neminem lædentem, omnibus benefacientẽ, ignominia affecerit: idque ſoli faciunt mali principes, qui ex cõſcientia ſua veritatem dictorum colligunt. Deinde iniquum eſt, ea ægre ferre velle, quæ ſi vera ſunt, præſtat non admiſiſſe, ſin falſa, diſſimulare; cum multi hęc vindicantes, pluribus ac grauioribus de ſe ſermonibus occaſionẽ præbuerint. nec decet hanc opinionẽ de te hominib. ſubiicere, eſſe qui in te contumelioſus eſſe auſit: vt iam idem de te, quod de Diis immortalibus iudicetur, eſſe te venerandum. Hæc ille ad Auguſtum. De quo etiam apud Suetonium legimus, morem illum vel potius licentiã, qua teſtatores vti in teſtamentis ſuis conſueuiſſent, tolli atque interdici noluiſſe. Atq; hoc is fecit, & maledicta in ſe iacta tulit, qui in alios non tulit, vtpote qui primus, ſed imitatione (vt opinor) L. Sullæ, quæſtionem de famoſis li-

bellis ſpecie etiam Maieſtatis exercuit, offenſus Caſſii Seueri libidine, qui omnes illuſtriores vtriuſq; ſexus procaciſſimis carminib. diffamauerat. Nec minori patiētia Veſpaſianus fuit, nec decere Principem exiſtimauit talibus cōmoueri. quemadmodum re demonſtrauit laceſſitus à Licinnio Mutiano, Saluio Liberale, Demetrioque Cynico, vt alios nunc omittam, qui dictis ſcriptisque atrocibus eius famam lacerauerant. Demetrio quidē non deſinēti perpetuo maledicere, ſignificari iuſſit his verbis, Tu quidem nihil prætermittis, vt ego te interfici iubeam : ego tamen canem latrantem non occido. Eum tamē poſtea diſſimillimus patri filius Domitianus interfecit, nec fortaſſe iniuria; niſi quod etiam illas cauſſas prętexuerit cędi, & quod haberet orbem terræ pictum in parietibus cubiculi, & quod conciones regum & principum, quæ ſunt apud Liuium ſcriptæ, excerpſiſſet ac recitaret. Sicut Maternum quoq; Sophiſtam occidit, quod exercitii cauſſa in Tyrannos declamitaret. Sed nihil admirabilius eſt Nerone Cæſare: qui cum eſſet inſigni crudelitate, nec facile vel minimo peccato veniam daret, fuit tamen ad has contumelias moderatiſſimus ac mitiſſimus. Multa in eum cum latina, tum gręca epigrammata compoſita fuerunt eximiæ virulētiæ plena. authoreſque eorum cum haud ignoraret, nullo tamen malo adfecit. ita nec contra Iſidorum Cynicum, nec Datum hiſtrionem in fabularum Atellanarum, à quibus acerrimis verſibus confixus erat, vllam ſignificationē irati animi præbuit. Mouit eum, vt eſt in cuiuſdā hominis eruditi diſputatione, ratio quædam, quæ & alios forte Princi-

pes mouere poſſit ad ſimilem moderationem, atque contemptum. Namque & talia ſpreta exoleſcunt: ſi iraſcare, agnita videntur, vt Tacitus ait, & qui talia punit eum homines dolere atque excruciari iis rebus exiſtimat; eoque plures, more ingenii humani, reperiuntur, qui idem audeant: tantum abeſt, vt cæteri deterreantur. Ita vno punito mille ſuccreſcunt, ingeniaque excitantur & exacuuntur in id, quod tãtopere ſibi interdici, & coerceri vident. Contra ſi ad ea conniuere eum, vel non permoueri vllo modo animaduertant, gignit ipſa licentia atque impunitas ſatietatem. neque enim in eo putant ſibi elaborandum, vbi ſe contemni videant, ſuaque, vt ſic loquar, tela ipſo miſſu, ac veſte Principis hebetari, atque langueſcere. Nihil enim vt Diuus Chryſoſtomus ait, adeo maledicos mordet, frenatque, quam illatæ cõtumeliæ contemptus. Exiſtimoque ego huius animi, atque conſilii authores Neroni fuiſſe ſapiẽtiſſimos illos viros, & iuuentæ eius moderatores, Senecam, atque Burrhum. Ad hanc rationẽ proxime adcedit illa, quod qui in hęc talia inquirit, ac ſæuit, is animi ieiuni ac timidi manifeſtus eſt, ſimulq; alios admonet, quanto magis facta timeat, qui dicta timet, quæ res opinioque timoris, immane quãtum de Principis exiſtimatione detrahat; quantum contra ei adcedat ex magnitudine atque altitudine animi, quæ in harũ rerum deſpicientia perſpicitur, atque elucet. Præterea quid agunt, quæſo, aut conſequuntur hac ſeueritate Principes? neq; enim eo minus calumniis obnoxii erunt, quod aliquos puniuerint, imo magis in eas ipſi ſeſe induent. Cauſſa etiam huiuſmodi ſe-

ueritatis & interdictionis inprimis eſt illis ignominioſa atque deformis: nam ſi male homines de ſe loqui non patiuntur, agnoſcunt igitur eſſe re vera, quæ ſibi merito obiiciantur. itaque magis ipſi ſua confeſſione condemnantur aciugulantur, quam aliorum infamibus & ſcriptionibus, & vocibus. Melius illi, qui hæc contemnũt: oſtendunt enim ſeſe bonæ conſcientiæ fidere, nec moueri contumeliis ac calumniis, quas etiam ſatis coercere, ne erumpant, nemo vnquam potuit. Quid? eſtne amplius pro his partibus aliquid? imo vero plura: nam cauere Principem nihil magis oportet, quam crudelitatis opinionem. Hæc enim perniciem ipſis maxime maturare ſolet, vt Caligulæ, Neroni, Domitiano, Commodo, aliiſque innumerabilibus, neque vero dubitandum eſt, quin hæc crudelitatis infamia vel maxime iis concilietur, qui verba tam ſeueris ſuppliciis arguunt, ac puniunt. Quod ſi multi & ſapiētiſſimi Principes, ne ipſa quidem facta aduerſus ſe vindicanda putauerunt, quo crudelitatis nomē effugerent, veluti Titus, Germanicus, Antoninus Pius, eiuſque filius Marcus, & Alexāder Seuerus: quanto magis hæc ratio humanitatis & manſuetudinis ſeruanda eſt aduerſus eos, qui verbis modo, & oratione ſæuiunt? Eſt & illa inſignis vtilitas, quæ ex hac clementia colligitur: multis enim cum ſint Principes adſentatoribus perpetuo velut circumſeſſi, raro ſua vitia ipſi cognoſcunt; neque ea igitur emendare poſſunt adulationibus corrupti, ac fortuna ſua ebrii: at cognoſcerent certe, ſi hæc libertas vulgo permitteretur & ſcribēdi de ipſis & loquendi. Philippus Macedo Alexandri Magni

pater

pater dicere ſolebat, magnam ſe gratiam debere Athenienſi populo, cuius procacitate verborum ſcriptorumq; melior eſſet, cum moribus tum lingua redditus. Quam ad rem librum Imp. Iuliani, quem Miſopogon inſcripſit aduerſus populū Alexandrinum, mire facetum atq; eruditum, legendum cenſeo. Quo ille ita vltus Alexandrinorum maledicentiam eſt, vt ſimul etiam ipſe in ſe diceret, quod id (vt initio ait) nulla eſſet lege interdictum: eoque pertinet plena animi & moderationis illa vox Ptolomæi regis, Si non regium eſt, ſalſe in ſe ab aliis dicta ferre, ne ſalſe quidem dicta in alium iacere, regium eſt. Iam illa ratio itidem ſummæ vtilitatis eſt, & inter arcana, vt mihi videtur, imperiorum habenda: quod ſi quando ita res Principis ferat, vt in quoſdam animaduertere extraordinariis rationibus debeat, excuſare & tolerare hæc facta ſua poſſit commodiſſime, ſi dicat ſeſe eo deſcédiſſe non aliqua mala cupidine, ſed quia eos inimiciſſimos ſibi eſſe cognouerit, ſeque ab iis & dictis & ſcriptis contumelioſis laceſſitum fuiſſe: quamuis reuera non ob hanc cauſſam ea ſeueritate imperii vſus fuerit: ſed interiori alia, & grauiori. Neque vero vnquam cōmittendum Principi eſt, vt extraordinaria iuſſa atq; facta ſua non poſſint aliquo iuſto prætextu vel colore pingere atq; honeſtare. Poſtremo cogat agmen, vel potius pro hac parte familiam ducat illa ratio, Non debere vnquam eos, qui aliis dominantur, ea adgredi, quæ vix ac ne vix quidem obtineri poſſunt. Nulla res. n. magis authoritatē Principum minuere ſolet, quam oſtēdere, quib. reb. impares ſint, quas ſatius eſt diſſimulare

quam irrito conatu deſerere. Eiuſmodi autẽ res eſt, libertatem loquendi ſcribendique adimere conari: nam vt palam non audeant, at certe noctu & clam libellos famoſiſſimos ſpargent aut figent, eo cupidius & ſtudioſius, quo acrius interdictum vident. Hæc ſunt quæ pro iſta parte diſputari poſſe videbantur. Deinceps, quæ in contrariam partem dicantur cognoſcamus. Vindicare igitur hæc & coercere Principi ſatius eſſe, vel illa potentiſſima ratio vincit, nihil enim magis, ne flamma quidem, cauendum ei eſt, quam contemptus ſui, atq; eæ res, quæ minuere exiſtimationem ipſius poſſunt. Iam ſi de Principe male loqui impune liceat, fit ipſa natura, vt & in eius, qui loquitur, & in eius, qui eũ audit, animo ſenſim ingeneretur quædam mala de Principe opinio, minuſque eum reuereri incipiant, poſtremo etiam cõtemnere. qui contemptus vera labes verumque venenum eſt omnis Principatus. Nam cum in omnibus rebus fama atque exiſtimatio plurimũ valet, tum omnis in Repub. potentiæ atque imperii veriſſimum eſt ac primum fundamentum, ſine quo diu ſtare ea non poſſunt. Vere igitur & ſapientiſſime Magnus ille Alexander rex Q. Curtii libr. 8. Clytus vtinã non coegiſſet me ſibi iraſci, Cuius temerariã linguã probra dicentem mihi & vobis, diutius tuli, quam ille eadem me dicentem tuliſſet. Regum ducumque clementia non ipſorum modo, ſed etiam in illorum, qui parent, ingeniis ſita eſt. Obſequio mitigantur imperia. vbi vero reuerentia exceſſit animis & ſumma imis cõfundimus, vi opus eſt, vt vim appellamus. Ad hoc, qui iniuriã inferre alteri ſtatuit, ſi eam ſibi eſſe impune videat, ad

alteram multo grauiorem inferendam excitatur: atq; ita porro velut gradibus ad alias ſemper maiores progreditur: vt prudenter à Mimographo dictum eſt, Iniuriam vnam qui fert, eum prouocare alteram. Ita qui verbis aliquandiu graſſatus eſt, is etiam ad facta tandem adgreditur, corroboratque impunitas audaciam. Elegãter vir clariſſimus huius æui, Vituperatio bonorum inquit, ęgrotantis ſæculi argumẽta ſunt. Hoc nos in Gallia ſuperioribus annis experti ſumus nimis. Hæc licentia ab inſectatione virtutis primum & literarum & doctorum hominum incipiens, ad regũ vſque iniurias & cædem denique peruagata eſt. hæc ita ille nec eleganter ſolum, ſed prudenter & vere. Ac profecto nulla res magis viam aperit cõiurationibus, quam hæc licentia: vbi enim tutum eſt maledicta in Principem iacere, tum ii, qui occulta in eum odia fouent, cognoſcunt, quibus hominibus eadem ſecum ſentientib. ac volentib. ſe adgregare debeant, atque ita coniurationis opes confirmare, quæ non facile exitum ſortitur ſine plurium auxilio, atque opera: quamuis omnis cõiuratio periculi pleniſſima ſit, vbi in plures quam duos ſpargitur, vt diſputauit ſummus dominationis magiſter, è Thuſcâ Sullæ colonia. Huic incõmodo mederi vna illa res poteſt, vltio in maledicos. Quid? quod inter maximas curas, & ſumma meditamẽta Principum oportet eſſe, vt amorem eorum retineant, quos ſibi addictiſſimos & fideliſſimos intelligunt: amici enim nerui & præſidia ſunt omniũ regnorum. Eos igitur valde illi Principes à ſe abalienant, qui ſuas ipſi iniurias nõ vlciſcuntur: multo namque facilius inultas ſinent

amicis & conſiliariis ſuis illatas. Nec illud quidem prætermittendum eſt, eum, qui male de Principe loqui nõ audet, ſolere Principi in omnibus obedientiorẽ eſſe; nulloque eius decreto aut deſiderio ſe ſe opponere, nec quemquam poſſe allicere exemplo ſuo, qui dolorem contra Principem cõſiliumque conſociet. In reuerentia autem & obedientia ſubditorum maxime niti principatũ, nemo eſt, qui neſciat, quod cum in omni regno licet animaduertere, tũ maxime Turcico. Atqui apud Turcas non ſolum loqui vel ſcribere aliquid ſequius de Principe, ſed ne animo quidem concipere, vt ita dicam, temere licet. Qua de cauſſa Sultanus Solimannus, Imperator omnibus virtutibus, ſi quiſquam barbarorum, præſtantiſſimus Adrianopoli ſummo ſupplicio adfecit propinquum ſuũ Ferahatũ Baſſam, ob id ſolum, quod queri apud eum fuiſſet auſus, eique dicere, non recte ipſum facere, quod tanta beneuolentia Ebraimum Baſſam proſequeretur, eumq; ſeruum præferret antiquis & fideliſſimis cognatis ac miniſtris ſuis. Adeo magni illi Principes obedientiam, quam ſibi ſeueritate imperii, diſciplinaque pepererunt, hac linguarum licentia, vt neque alia re minui atque obteri, non patiuntur. Præterea magnam adferre ſolet hæc licentia infamiam Principibus, quod ita homines credant non clementia eos, ſed cõnſcientia mala ad contumelias illas conniuere: nec refert, quod bona cõſcientia vere innitantur, niſi & hoc etiã ab aliis vulgoque credatur. in omni enim vita, atque conditione non ſolum oportet id reſpicere, quod in vero eſt, ſed etiam id, quod videtur & creditur, pluſque apud omnes fere valet,

quod

quod extra apparet, quam quod intus incluſum latet. eaque etiam re ſapientiſſimi Principes multa ſæpe fecerunt contra animi voluntatem vt opinioni vulgi ſatisfacerent, obſecundarentque famæ. Honeſtas quoque & ius pro hac ſententia pugnat: nam ſi priuatis hominibus contumelia adfectis, formulas iniuriarum leges propoſuerunt, ex cuiuſque dolore incommodoque expreſſas; quanto magis id in Principe & reip. moderatore valere debet, vbi & iniuria grauior eſt, & pericula maiora ſine dubio imminent? Et delicta puniri, Reipub. intereſt, vel vt Iuriſconſultus ait, magna ratio eſt. Neque omiſerim hoc loco veterem illã ſententiã, q̃ hîc maxime valet, Debere Principes inimicos ſuos vel punire, vel ſibi indulgentia beneficiiſq; adiungere: mediam verò viam, non mediam, ſed nullam eſſe, certe quidem inutilem. Cui autem dubium eſt, quin ii ſint Principi inimiciſſimi, qui eum contumeliis ſcriptiſque lacerãt? quare ſi alliciendæ eorum beneuolentiæ rationem non tenent, eos perſequi atque vlciſci debent. idque eo magis, quod maledici iſti inprimis exemplo nocent, alioſque ad eadem audenda perliciũt. vbi enim pœna non coerceas, facile quis tãquam contagione corripitur, cum ingenium humanum ad flagitia pronum ſit, tantopereque delectet tenues homines obtrectatió potentiorum, poſtremo eorum, quorum opes in alto ſitæ ſunt. Vnde fit, vt cum impune maledicere liceat, etiam vnuſquiſque male etiam velle incipiat, & ex maleuolentia libido oriatur male etiam faciendi; à libidine hac denique mala etiam effecta manent. Ac ſæpe adcidit, vt quis de alio male loqui per iocum

incipiat, & facilitate quadã aut leuitate: poſtea cũ eam ſibi conſuetudinem fecerit, nullamque ob id pœnam tulerit, idem cogatur eum quoque odiſſe, quod illorum verborum vſus in cupiditatẽ animi tranſeat, atque adoleſcat quidam tanquam habitus. nam, vt veteri prouerbio dicitur, fiunt homines quotidianis ſuis ſermonibus ſimiles. Ad hęc qui de Principe male loquitur, vel ſcribit, is neceſſario cogitat, odium ſibi Principis inde paratũ eſſe: ideoque & ipſe odiſſe eum incipit; quod nihil tam naturale ſit, quam homini reſpondere vt in amore, ſic & in odio. Quid plura? Magis expletur & exſaturatur malorum hominum libido, cum eos Princeps coercet, quam cum impunitos dimittit. Ex hac enim licentia intelligunt ſe ſuaſque contumelias à Principe contemni, atque irrideri, vt inania. Quare acrius adcenduntur, excogitantque alias vlciſcẽdi ſui rationes, quo Principi dolorem dent. At è contrario cum Princeps eos ſeuere punit, tum vel ſi cum vno amico tantũ eiiciant animi & linguæ ſuæ virus, ſatis ſe feciſſe animo putant, quaſi qui omnia Principis munimenta perruperint, quibus ille ſe contra ſubditorum maledicta contumeliaſque ſepſerit. Eſſet ſine dubio pulcherrimum, atque inprimis optandum, neminem reperiri, qui de Principe male loqueretur: enitendum eſt igitur, vt nemo male loquatur. Id vero cum Princeps ſanctitate morum cõſequi non poteſt, dare operam debet, vt legum ſeueritate, pœniſque conſequatur, atque efficiat. Poſtremo, vt hanc quoque partem abſoluam, nihil magis curare & meditari Principes debent, quam vt à ciuibus ſuis & amentur, & timeantur:

quod

quod ſi vtrumque non poſſint, alterum obtinendum eſt omni animi vi atq; induſtria: ſtare enim ſine altero ſaltem eorum nulla reſpublica, nullaque dominatio poteſt. At ſi vulgo liceat maledictis in Principem vti, neutrum retinetur, neque amor neque timor. Neq; enim is amatur, de quo homines male loquuntur: neque timetur, quia ſi timeretur, non de eo homines male loquerentur. Cōſultius igitur omnino eſt, pœnis & malo coercere eos, vt ſi amare nō poſſint, timeāt ſaltē, & taceant, ac minus fortaſſe incōmodum eſt beneuolentia ciuium, quam timore & beneuolentia carere. Quæ cùm ita ſint, hæc pars, quæ licentiam loquendi & ſcribendi exercet, Principibus eſt & rectoribus Rerumpubl. magis amplectēda, & retinenda. neque moueri debemus tot argumentis atque exemplis, quæ in contrarium adtulimus. poteſt enim fieri, quod fit in multis queſtionibus vt res verboſior illa fuerit, hæc verior. Quod non ita velim tamen intelligi, quaſi nihil in hac re permittere, nihil cōdonare Princeps debeat. ſed profecto rem in vniuerſum æſtimanti, illa regula tenenda eſt, ſatius eſt, punire talia, quàm ferre. Minus enim incommodi ex caſtigatione pœnaque percipitur, quam ex permiſſione atque indulgētia. quæ certe ratio in rebus ciuilibus, rerumque publicarum rectionibus perpetuo ſeruari debet, vt id eligamus in quo plus vtilitatis quam detrimenti eſt, id contra repudiemus, in quo ſuperat vtilitatem detrimentum. Nam vt in natura nulla eſt plane ſincera & liquida voluptas: quin, vt Lucretius ait, —*medio de fonte leporum*

Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat;

Sic in republ. adminiſtranda nulla propemodum iniri deliberatio poteſt, in qua non inſit aliquid incommodi. Cæterum ſapiens Princeps, vt in omnibus rebus, ſic etiam in hac maxime vti ingenio debet, & moderatione. Neque enim omnia, & in omnes, & ſemper puniri debent. Qua de re plura docere atque hanc etiam partem ignoſcendi definitionibus quibuſdam conarer complecti atq; illuſtrare niſi iam ab initio non eſſe mihi diutius abutendum auribus & benignitate veſtra, propoſuiſſē. Quare iidē illi Imperatores Arcadius & Honorius, cuius ſupra conſtitutionem recitauimus plenam humanitatis & clementiæ, cum, inquam, prohibuiſſent aliquem pœna adfici ob maledicta in ſe iacta & obtrectationes ſuorum temporum, rationes etiam adieciſſent, cur id prohiberent, ſiue ex leuitate ſiue ex inſania, ſiue ex iniuria id aliquis feciſſet: in extremo tamen cōſtitutionis cognitionem ſibi integram reſeruari noluerunt: aiunt enim: Vnde integris omnibus hoc ad noſtram ſciētiam referatur, vt ex perſonis hominum dicta penſemus, ac vtrum prætermitti, an inquiri debeat, cenſeamus. Quod clarius atq; expreſſius in Harmenopuli interpretatione græca legimus. Sapiētiſſime ex perſonis dicta penſanda exiſtimauerunt. Quibuſdam enim perſonis iure etiam debetur hæc licentia. Neque Imperiale eſt, inquit Ambroſius in quadam epiſtola, libertatem dicendi denegare; neque Sacerdotale, quod ſentiat non dicere. Idque adeo verum eſt, vt interdū duobus pariter Principi maledicentibus, in altero venia, in altero pœna ſit adhibēda. Quod Dionyſium Syracuſarū regem feciſſe memoriæ pro-

ditum

ditum eſt, ſingulari hominem ſapientia atque ingenio. Cum enim renuntiatum ei fuiſſet, duos quoſdam in cœna plurima aduerſus ipſum dixiſſe: vtrumque ad ſe inuitauit, conuiuioque comiter accepit, quorum alterum cum multa leuiter (etenim vino incaluerat) futiliterque loqui, alterum vero reconditum ac triſtem ſedere, quamuis bibentem vidiſſet, illum quidem dimiſit, hunc vero tanquam inſidiatorem interfecit. Sed omiſſis aliis illa diſtinctio ſumma & veriſſima tenenda eſt, vt ſi qs dolore aliquo vel temeritate inductus de Principe maledicat, ferri ſæpenumero poſſit ac debeat: Contra ſi quis nulla de cauſſa, ſed libidine tantum detrahendi id faciat, ſeuere vindicandum ſit. quo ingenio Veientonem fuiſſe, Tacitus ſcribit. cum omnes quoque ſenatores & ſacerdotes virulentiſſimis verſibus notiſq; conciſiſſet. Dixi.

De Loco Taciti.

QVOD in procemio huius orationis dixi, Auguſto primum viſum maieſtatem Principum maledictis imminui, ſi Tacito credimus: hic explicandum duxi. Nam & ante Auguſtũ famoſa carmina ſcriptaque talia ex lege XII. Tab. vindicabantur, vt notum eſt, ſed priuatis actionibus. At Tacitus lib. I. Annalium, ait, ſpecie legis Maieſtatis Auguſtum exercuiſſe eam cognitionem de famoſis libellis: publico igitur iudicio, vt lege Lætoria publicum iudicium, quamuis de re priuata & familiari, de circumſcriptione adoleſcentium conſtitutum. Sed obiicitur nobis, quod Cicer. ad Appium ſcribit lib. III. epiſt. XI. his verbis: Eſt

maieſtas, vt Sulla voluit, ne in quemuis declamare liceret. non igitur primus id Auguſtus voluit, aut ſanxit: Sed Cornelius Sulla; & vt opinor, hoc caput fuit, in legibus Corneliis Maieſtatis, quę citantur ab Ammiano lib. 19. & aliis. Idem Vlpianus ſignificat in l. lex Cornelia. §. ſiquis librum. D. de iniur. nam de lege Cornelia, quam tota illa lege frequentiſſime nominat, intelligendum eſt, quod ait, inteſtabilem lege iuberi eſſe eum, qui libellum ad alterius infamiam ſcripſerit, compoſuerit, ediderit. Auget difficultatē, quod Tacitus ibidem adiicit, ante Auguſtum longe alia in crimine maieſtatis verſata fuiſſe; denique facta argui ſolita, dicta impune fuiſſe. Vide & epiſtolam A. Cæcinæ ad Ciceronem. Miror eruditiſſimos Ciceronis, & Taciti interpretes nec verbo hanc diſſenſionē attingere. Quid dicemus? de declamationibus & adcuſationibus, aduerſus innocētes præſertim inſtitutis, cauiſſe Sullam? de libris famoſis Auguſtum? An Sulla hoc tantum ſanxit, vt qui Maieſtatis alterum falſo poſtulauiſſet, ſi is abſolutus eſſet; vt adcuſator, quaſi talionis lege, maieſtatis ipſe teneretur? vt Dolabella abſoluto Appio, de quo ibi Cicero agit, teneri ea lege debuerit; nam maieſtatis lege Appium temere adcuſauerat, quod iudicii exitus oſtendit. quod nūc placet, dum melius quid reperiamus, aut doceamur. Illud etiam Auguſtus noue ſanxit, quod etiam qui ſub alieno nomine libellos famoſos ediſſent, teneri ac puniri voluit, vt ſcribit Suetonius cap. LV. vbi miror doctiſſimum virum Læu. Torrētium illa verba, Sub alieno nomine edant, mendi ſuſpecta habuiſſe, atq; ita reſcripſiſſe, Suo alieno-

alienoue nomine edant, quaſi abſurde & imperfecte nimis caueretur de eo tantum qui ſub alieno nomine edidiſſet. Sed apparet ex verbis Suetonii illis præſertim, nõ requiſitis authoribus, de eo tantum ſignificare voluiſſe, Auguſtum cauiſſe, quod antea cautum non erat, quomodo idem cõſtituiſſe dicitur Dionis libr. 54. ne Senatorum nepotes in Orchaſtia ſaltarent: cum antea de filiis Senatorum tantum id ſancitum eſſet. Atque huc etiam, id eſt ad hanc Auguſti conſtitutionem de famoſis libellis reſpexiſſe alicui videatur Vlpianus cum ibi adiecit; ETIAMSI ALTERIVS NOMINE EDIDERIT.

SCIPIONIS GENTILIS IN ORATIONEM LIVIÆ APVD DIONEM NOTÆ.

1 HANC Orationẽ cum alii, tum recens laudauit prudẽtiſſimus vir Scip. Ammiratus, partem etiam eius Italico ſermone conuertit lib. 15. Diſcurſ. in Corn. Tacitum. Nec finxit eã Dio, vt illam funebrem in morte Cæſaris, cum Edictũ modo ab Antonio Coſ. propoſitum, alii ſcribant. Hæc oratio (vt hiſtoriæ mos eſt) conſilium Liuię, à Seneca philoſopho ſimplicius relatum libr. 1. de Clem. cap. 9. pluribus verbis proponit atque explicat. De Liuiæ ſapientia, cum multa apud veteres teſtimonia, tum neſcio an illud magnificentiſſimum, quod in templo Delphico extabat. De quo ſic Plutarchus, in libello de ΕΙ. foribus eius templi inſcripto: Τὸ μὲν χρυσοῦν ΕΙ Λιβίας τῆς Καίσαρος γυναικὸς ὀνομαζόντων, τὸ δὲ χαλκοῦν, Ἀθηναίων. τὸ δὲ πρῶτον

ϗ παλαιότατον, τῇ δ' οὐσίᾳ ξύλινον, ἐπινόημα τῶν σοφῶν καλοῦσιν οὐχ ἑνός, ἀλλὰ κοινὸν αἴσθημα πάντων γινόμενον. Cui addimus iure hanc orationem, ſiue potius hoc conſilium marito editum.

2 Tui autem ac regni cuſtodiam exquiſitā inſtitue] Multis enim coniurationibus petitus fuit, quas inter eius miſerias numerat Plinius libr. 7. Quare & lorica munitū in Senatum veniſſe conſtat, eiuſque exemplo, vel naturali prudentia inductum idem inſtituiſſe Magnum Etruriæ Ducē Coſmum, proditum eſt, meminique id laudari Bodino. Ego vel ob id laudauerim, quod hæc cuſtodia poteſt interdum non modo terrere coniuratos, ſed etiam in lucem protrahere, quaſi cōiuratione detecta aut ſuſpectata Principi. Hac certe fine regi Waldemaro Daniæ, in quē à Magno & aliis proceribus conſpiratum erat, ſuaſit intimus conſiliorum Abſolon, vt cuſtodia latus diligentius muniret, vt commemorat Alb. Krantzius lib. 6. Daniæ cap. 37. Etiam Cicero cōſul comitiis in campum deſcendit cum illa lata inſignique lorica, quo Catilinę & Antonio inuidiā conflaret, eorumque nefarios conatus reprimeret: cuius loricæ Dio & Plutarchus meminerunt. Ita multos vſus in eadem re loricæ vides: vtiliſſimū autem illum detegendi vel inhibendi cōiurationes. Quod & C. Cæſar Dictator intellexit, qui detectas coniurationes, conuentuſque nocturnos, non vltra arguit, quam vt Edicto oſtenderet, eſſe ſibi notas: vt ſcribit Suetonius cap. 75. Vtinam & ipſe vel loricatus in Senatum, vel ſatellitibus atque armatis ſtipatus veniſſet: non fuiſſet ita miſere à conſpiratis interfectus. Qua de re nō

tempe-

tempero mihi,quin hic adſcribam elegãtiſſimum Henrici Sauilis Angli in libro de Milit. Romana iudicium,vbi de cuſtodia militum & Prætorianis agit:In libera, inquit, Repub.non vſurpati ſolita, ſed foris in bello: donec Sulla & Cæſar vſurpato dominatu domi quoque tanquam inter hoſtes retinuerunt conſuetã cuſtodiã. ſed Sulla reſignato ſimul dominatu, & præſidio (quamobrem à Cæſare notatus, Neſciuiſſe litteras)poteſt videri ſecutus ſaniorem Grammaticam, quam ipſe Cæſar,qui dimiſſo præſidio, nec ſimul dominatu,cõmiſit periculoſum , & inſignem ſolæciſmũ in politicâ adminiſtratione,& viam ad ſuam perniciem patefecit.

3 Tum Auguſtus:multo plures ab amicis,quã ab alienis perniciem inuenerunt] Idem plane Alexander Macedo,lib.9. Q. Curtii: Aliorum quoque regum exitus, ſi reputaueritis, plures à ſuis, quam ab hoſte interemptos numerabitis.

4 Multos offendenti vt in tanto imperio]Maxime id contingit in præmiis pœniſq; diſtribuẽdis. Tiberius Taciti libr. 11. Annal. vix per ſingulos annos offenſiones vitari, quamuis repulſam propinqua ſpes ſoletur. Quæ debeant Principes cauere, ne in ciuium offenſionem incurrant,explicauimus in diſputatione Scip. Ammirati ſupra. Quod ſubiicit, Principatui,non tibi inſidias ſtruunt,id eſt, Auguſto vel tanquam priuato: ſignificat, quod in altera eiuſdẽ diſputatione eſt, neminem fere Principib. inſidias ſtruere, niſi vt Principatum ipſe inuadat.E contrario Principatui homines magis quam Principi amici eſſe ſolent. Et Iouinianus Auguſtus dicebat adſentatoribus, &

qui religionem eius gratia ſimulabant: Deprehēdi eos non Deum colere, ſed purpuram, Euripoq; eos comparabat, quod ſcripſit Themiſtius Philoſ. in ὑπατικῷ, teſte Socrate libr. 3. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Similiter Galba in adoptione Piſonis: Etiam ego ac tu ſimpliciſſime inter nos hodie loquimur, cęteri libentius cum fortuna noſtra, quā nobiſcum. Tacit. lib. Hiſt. 1. Plin. Panegyr. Agnoſcit, ſentitque ſibi, non Principi dici.

5 Homines quoſdam ipſa ad peccandum impellit natura eiuſq; cupiditas coerceri difficulter poteſt) Sentētia hęc totidē fere verbis apud Thucydidem à me notata eſt lib. 3. in ore Diodoti Athenienſis poſita: Πεφύκασί τε ἅπαντες καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν· καὶ οὐκ ἔστι νόμος ὅστις ἀπείρξει τούτου. Ait Dio, Quoſdam; Thucydides, Omnes. neque tamē diſſentiunt: ſi quis τὸ, inſitum eſſe, quomodo accipiatur, intelligat: & ſequentia Dionis legat, quibus demonſtrat, omnes homines, alios tamē alia de cauſſa, ad pecandum excitari natura. Qua de re pulcherrima ſententia & gradatio extat Clementis Alexandrini lib. 11. Pædag. cap. 9. ibi Ἄριστον μὲν. vide ſis eam, & adde Senecam lib. 1. de Clem. cap. 6. ibi: Peccauimus omnes.

6 Alia via inſiſtamus ac venia eos proſequamur) Idem conſilium & pronuntiatum Cæſaris, patris Auguſti, fuit, epiſtola ad Oppium & Cornelium: Hæc noua ſit ratio vincēdi, vt miſericordia & liberalitate nos muniamus.

7 Animi etſi incorporei ſunt, tamen multa habent cum corporū natura conuenientia) Hinc Epicurei argumentum ſumpſerunt, quo animum interire demonſtrarēt. quod plurimis & elegantiſſimis

tiſſimis verſibus apud Lucretium legas. Quod de lenimentis & malagmatis animorum & corporum ſubiungit, valde conuenit cum eo, quod Archelaus libr.1.de Bell.Iudaico cap.17.apud Ioſephũ ait: Quippe in regnis, velut in magnis corporibus, ſemper aliquam partem pondere ipſo tumeſcere: quam recidi quidem non oportere, leuiter vero curari.

8 Facilius perſuadendo quiſpiam, quam cogẽdo eo adducitur) Plus poſſe perſuaſionem, quam vim & metum, etiam Athenienſes iudicauerunt, qui ob id grauius puniuerunt, qui aliquem perſuaſione & blanditiis corrupiſſet, quam qui vi; cum ille & animũ ſimul corrumpat. Alius in conſeſſu locus inhoneſtus) ἕδραι, καὶ στάσεις ἐπονείδιστοι, id eſt ſeſſiones inhoneſtæ, & ſtationes ignominioſę, vt interpretatur doctiſs. Caſabonus in Suetonii Auguſto, reprehendens Dionis vel Xiphilini interpretes, notatque plurimum vſos genere iſto obiurgandi Romanos veteres in diſciplina militari. Ego illud in foro obſeruaui apud D. Auguſtinum libr.22.de Ciu.cap.4. Sed iſto modo, inquit, poſſunt iſti & ſolem vituperare: quoniam quidem peccantes, vel debita non reddentes, poni à iudicibus iubentur ad Solem. vbi eruditiſſimus Viues eo genere pœnæ adfici in Hiſpania ſcribit lęnas numellis adfixas, & perunctas melle, quo muſcæ & apes & veſpæ aduolent.

9 Riſuque aut lachrymis dictum exceperint) Crebertima exempla huius mali vel immanitatis potius in hiſtoria Auguſtæa. nam & mater Fuſii Gemini (teſte Cornelio) necatã eſt, ob lachrymas fuſas in cæde filii. Sed nihil vnquam ſceleratius il-

lo Edicto III virum Reipub.cōſtituen. Vt omnes læto eſſent animo: quique id non feciſſent, eis mors ſupplicium eſſet, vt refert idem Dio lib. 47. quo edicto naturam ipſam tollere conati ſunt, vt Antigona illa animoſe queritur in Tragœdiis. Claudianus de bello Gildonis,

—ſi quiſquam vultu præſentia damnet,
Liberiuſue gemat: dapibus crudelis in ipſis,
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.

& mox: *— nuperque peremptis*
Arridere viris. — & lib. 1. in Ruffinum,
— tacitique ſepultos
Suſpirant gemitus, indignarique verentur.

Eadem plane & iiſdem fere verbis Cornel. Tacitus. Vel tibi nuntiari iudiciorum eſt) Audiant & demittant ſuſurrones in animum mulieris hoc dictum minime muliebre. & quod ita in Pſalmo 8. Dauid execratur inter prima ſcelera, quibus vita æterna hominibus abiudicatur,

— qui murmura nulli
Inſidioſa refert triſtes acuentia rixas.

10 Priuato eſſe omnes iniurias perſequēdas, ne vel contemptui inde habeatur, vel opprimatur] Quod ſi neutrum periculum ſubeſt, contra ſtatuendum. Sed de hac re multa in vtramq; partem dici poſſunt. Vnum non prætermitto hic notare, quod P. Iouius libr. 29. hiſtoriarum ſcribit: Ignobili hercle facinore, ſed vſitato huius ſæculi Romanis, qui iniuriarū perpetuo memores, vindictæque auidi, inimicorū ſanguine, propinquorum ſuorum manibus, auidiſſime parentare conſueſſent. Videtur mihi Dio hanc ſententiā ex Seneca oēm mutuatus lib. 1. de Clem. c. 7. quos eum

libros

libros lectitaſſe, vel ſola hæc Oratio vociferatur, cuius argumentum inde ſumptum, & in hanc faciem dilatatum.

11 Quid enim mali tibi inferat in Inſulá quandam deportatus &c.] Niſi forte votis & precationibus, quæ cauſſa immani & furioſo Caligulæ fuit tam multos exules ac deportatos necandi. Vide Suetonium. at ob eaſdē plane precationes Agrippam conſeruauit, & regem fecit: vide Ioſephum de bell. Iudaic. libr. 2. cap. 18. Sed ratio diuerſa erat. Hoc autē Liuia de deportatis & captis recte: de liberis & ſolutis hominibus, quamuis infimæ ſortis, quos etiam Auguſto inſidias ſtruxiſſe & alii referunt, & ipſa Liuia apud Senecam lib. 1. de Clem. tantum auſos, dolet pudetque.

12 Si in Italia vrbes muris & armis munitę eſſent] Valde diſſimilis hodie Italia noſtra illi priſcæ, cùm nulla ſit in toto orbe terrarū regio, quæ tot propugnaculis atque arcibus munitiſſimis inſeſſa ſit, maiore ne bono poſſidentium eas, an detrimento neſcio, de quo diſſentiunt duo ab Etruria prudētiſſimi ſcriptores Machiauellus, & Ammiratus. in vniuerſum certe æſtimanti nulla res magis Italię pernicioſa & probroſa, & externi imperii firmius vinculum. In finibus tamen non improbes eas. nec interior alia cauſſa Auguſto tā fœdi luctus ac timoris, Varo cum legionibus interfecto, vt viri docti putant, quam quod irruētibus forte Germanis nulla eſſet arx, quæ obiici poſſet, & pauliſper eorum impetum retardare. Vnicam Cremonæ coloniam atque eam validiſſimam ad hos caſus paratam legimus apud Tacitū lib. 3. Hiſtoriarum. Propugnaculū aduerſus Gal-

los trans Padum agentes, & ſi qua alia vis per Alpes rueret. In ipſis prouinciis, & interioribus imperii ſui locis extruere arces, nemini probatum: nam ad ſeditiones & defectionem plurimum incitantur huiuſmodi præſidiis homines, preſertim ſi magna aliqua & opulenta ciuitas fuerit. Sciunt hoc Principes: ideoque non temere id patiuntur vel concedunt; ius, inquam, muniendi. Quod ſępe & immani pretio vendũt populis aut aliis ſubditis, de quo & ICti noſtri. Et contra pœnæ loco iniunctum, nudare mœnibus ciuitates. quod frequentiſſimum & priſco, & noſtro ęuo: non item, portarum clauſurâ interdicere, quâ pœnâ Praga paſſa ab Imp. Ferdinando, vt audio: & olim Genua ſiue Ianua ab Imp. Friderico, Guntherus Ligurini lib. 9.

13 *Hoc tamen adiecto, ne claudere pergeret*
vrbem,
Iuſſus ab incepto populus deſiſtere muro.

Id tamen interdum ſubditi faciunt ſua ſponte, offenſionis vitandæ cauſſa, & ſuſpicionis incõmodæ. Ioſeph. lib. 6. de Bel. Iud. cap. 6. Agrippa murũ (in quadam parte vrbis Hieroſol.) ita, vt diximus, inchoarat. Veritus autem Claudium Cæſarẽ, ne magnificentiam conſtructionis ad nouarum rerum ac diſcordię ſuſpicionem traheret, fundamẽtis tantummodo iactis, ab opere deſtitit. Nec enim expugnabilis eſſet ciuitas, ſi muros perfeciſſet, vt cœperat.

14 Non omnia Gladius conficit) Alexander lib. 8. Q. Curtii. Nõ eſt diuturna poſſeſſio, in quã Gladio inducimur. Tertullian. lib. 3. Poetico;

Qui precibus bellum, non ferri cuſpide ſoluit.

15 Con-

15 Conſecuturus hoc quoque, vt cætera à te grauius facta, neceſſitatem tibi extorſiſſe iudicetur) Prudentiſſimum & Liuia dignum conſilium. & diligenter id ſtrenueque executus Auguſtus, vt oſtendunt illa varia Romæ iudicia ipſo iã defuncto, Tacit. lib. 1. At apud prudentes, inquit, vita eius varie extollebatur, arguebaturue. Hi pietate erga parentem, & neceſſitudine Reipub. in qua nullus tunc legibus locus, ad arma ciuilia actum. & mox: Dicebatur cõtra, pietatem erga parentem, & tempora Reipubl. obtentui ſumpta. Imitari mihi Claudianus videtur Panegyri in 6. Conſul. Honorii,

Pauit Iulaos inuiſo ſanguine manes
Auguſtus: ſed falſa pii præconia ſumpſit
In luctum patriæ ciuili ſtrage parentis.

Male in aliis legitur, parentans: nam, pii parentis falſa preconia ſumpta, eſt id ipſum, quod Tacitus dicit, pietatem erga parentem obtẽtui ſumptam. Vide, quę notaui infra Oratione de Maledictis in Principem.

16 Vt non modo inſidiæ contra ipſum nullæ deinde componerẽtur) Satiſne hoc ex fide hiſtoriæ dictum? Nam Suetonius inſidias, & coniurationes in Auguſtum commemorans ordine temporis; Ad extremũ, inquit, Telephi mulieris ſerui nomenculatoris. niſi cum Caſabono id non ad ordinem temporis, ſed ad vilitatem perſonæ referre malis. Ego cum videam Suetonium nullam mentionem facere Cinnæ, cuius tam clare hîc Dio, & Seneca lib. 1. de Clem. cap. 9. oblitum huius coniurationis exiſtimo, vel alia de cauſſa eam præteriuiſſe, niſi forte errore librariorum excide-

rit: neque eæ, quas memorat omnes coniurationes fuerũt, ſed aliquæ ſingularium hominum inſidiæ, & conatus priuati. Atque hæc habui, quæ curſim & carptim ad hanc Orationem Liuiæ notarem. Sed omnium optime illuſtrabit tibi eam Seneca, quem Dio non obſcure ſecutus & imitatus eſt. Eius hæc ſunt verba, libr. I. De Clementia, ad Neronem Cæſarem cap. 9. Diuus Auguſtus fuit mitis princeps, ſi quis illum à Principatu ſuo æſtimare incipiat: in communi quidem Republ. gladium mouit, cum hoc ætatis eſſet, qua tu nũc es. duodeuiceſimum egreſſus annum iam pugiones in ſinu amicorum abſconderat, iam inſidiis M. Antonii conſulis latus petierat, iam fuerat collega proſcriptoris; ſed cum annum quadrageſimum tranſiſſet, & in Gallia moraretur, delatum eſt ad eum indicium, L. Cinnam ſtolidi ingenii virum inſidias ei ſtruere. Dictum eſt & vbi, & quando, & quemadmodum adgredi vellet. Vnus ex conſociis deferebat. Conſtituit ſe ab eo vindicare. Conſilium amicorum aduocari iuſſit. Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adoleſcentem nobilem, hoc detracto integrum, Cn. Pompeii nepotem damnandum. Iam vnum hominem occidere non poterat, cum M. Antonio proſcriptionis edictum inter cœnã dictaret. Gemens ſubinde voces emittebat varias, & inter ſe contrarias: Quid ergo? ego percuſſorem meum ſecurum ambulare patiar, me ſolicito? Ergo non dabit pœnas, qui tot ciuilibus bellis fruſtra petitũ caput? tot naualibus, tot pedeſtribus prœliis incolume, poſt quam terra marique pax parta eſt, non occidere conſtituat, ſed immolare? (Nam ſacrificantem

cantem placuerat adoriri.) Rurſus ſilentio interpoſito, maiore multo voce ſibi, quam Cinnæ iraſcebatur: Quid viuis, ſi perire te tam multorum intereſt? Quis finis erit ſuppliciorum? quis ſanguinis? Ego ſum nobilibus adoleſcentulis expoſitum caput, in quod mucrones acuant. Non eſt tanti vita, ſi vt ego non peream, tam multa perdenda ſunt. Interpellauit illum tandem Liuia vxor: Et admittis, inquit, muliebre conſilium? Fac quod medici ſolent: qui vbi vſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profeciſti. Saluidienũ Lepidus ſecutus eſt, Lepidum Murena, Murenã Cæpio, Cæpionem Egnatius, vt alios taceã, quos tantum auſos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignoſce L. Cinnæ, deprehenſus eſt. Iam nocere tibi non poteſt, prodeſſe famæ tuæ poteſt. Gauiſus ſibi, quod aduocatum inuenerat, vxori quidem gratias egit: renunciari autẽ extemplo amicis, quos in conſilium rogauerat, imperauit, & Cinnam vnum ad ſe accerſit, dimiſſiſque omnibus è cubiculo, cum alteram Cinnæ poni cathedram iuſſiſſet: Hoc, inquit, primum à te peto, ne me loquentem interpelles, ne meo ſermone medio proclames: dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, cum in hoſtiũ caſtris inueniſſem, non factum tantum mihi inimicum, ſed natum ſeruaui, patrimonium tibi omne conceſſi. Hodie tam felix es, & tam diues, vt victo victores inuideant. Sacerdotiũ tibi petenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecũ militauerant, dedi. Cum ſic de te meruerim, occidere me conſtituiſti. Cum ad hanc vocem ex-

clamaſſet, procul hanc ab ſe abeſſe dementiam? Non præſtas,inquit,fidem,Cinna: cōuenerat,ne interloquereris. Occidere,inquam,me paras: adiecit locum,ſocios,diem,ordinem inſidiarum,cui commiſſum eſſet ferrum. Et cùm defixum videret, nec ex conuentione iam, ſed ex conſcientia tacentem: Quo inquit,hoc animo facis? Vt ipſe ſis princeps? Male mehercule cum Repub. agitur, ſi tibi ad imperãdum nihil præter me obſtat. Domũ tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia, in priuato iudicio ſuperatus es. Adeo nihil facilius potes, quam contra Cæſarem aduocare? Cedo ſi ſpes tuas ſolus impedio, Paulus ne te, & Fabius Maximus, & Coſſi, & Seruilii ferent, tantumque agmen nobilium nō inania nomina prętereuntiũ, ſed eorum, qui imaginibus ſuis decori ſint? Ne totam eius Orationem repetendo, magnam partem voluminis occupem: diutius enim quã duabus horis locutũ eſſe cõſtat, cum hãc pœnam, qua ſola erat contentus futurus, extenderet: Vitam tibi, inquit, Cinna, iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrũ ego meliore fide vitã tibi dederim, an tu debeas? Poſt hæc detulit vltro conſulatum, queſtus, quod non auderet petere. Amiciſſimũ fideliſſimumque habuit, hæres ſolus fuit illi. Nullis amplius inſidiis ab vllo petitus eſt.

Sci-

SCIPIONIS GENTILIS NOTÆ
In Volc. Gallicani Auid. Caſsium.

1 PERISSE fatali ſorte perhibetur]id eſt, vt vulgo loquimur, naturali morte, quę vnicuique fatum ſuum eſt, quo ſenſu Græci quoq; τὴν εἱμαρμένην & τὴν πεπρωμένην dicunt: vt mirer Iul. Scaligerum id reprehendere & quidem tanquam vnicum peccatum, in Virgilio, qui ſcripſerat de Didone lib. 4.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat;

Fuiſſe enim Didoni fatum, ſic mori. quaſi non & Theophraſtus, aliique philoſophi & ſcriptores ita doceant ac loquantur, vel à poeta ſumma veritas exigatur. Eodem ſenſu veteres dixerunt, ſua morte, vel ſuo die mori.

2 Qui in C. Iuliū conſpirauerant] Proprie. neque enim iuſiurandum interceſſiſſe dicitur: ideoque & Suetonius ſemper conſpiratos & conſpiratores vocat, ſemel tantum coniuratos. Sic Iugurthinam coniurationem Cicero dicit in Bruto, pro conſpiratione, & factione. Sed quis adfirmet nullo ſe ſacramento illos inuicem obligauiſſe? E contrario coniuratio dicitur etiam recte conſpiratio. Iulius Obſequens: Ab his prodigiis Catilinæ nefaria conſpiratio cœpta. In quibus miror, omittere eum quædam præcipua, vt illud, cuius ita meminit Plinius lib. 1. Nat. hiſt. cap. 51. In Catilinariis prodigiis Pompeiano ex municipio M. Herennius de muro ſereno die fulmine ictus eſt.

3 Oderat tacite principatum] Notum illud de

C.Caſſio qui Cæſarem interfecit,regem eum,nõ regnum odiſſe. Ab hoc Caſſio ortus etiam is,quẽ princeps Nero ſuſtulit, quod domi inſcripſiſſet ſub imagine C.Caſſii,Dvci partivm. Et capitale alioquin damnatorum,in tanto præſertim crimine perduellionis, imagines habere, vt de imagine Saturnini,& aliorum clarum eſt. Ait Gallicanus,tacite: quod interpretor,ipſa natura,quaſi in familia & ſanguine hæreret illud odiũ, vt ſunt ſæpe quædam πάθη aliquarum familiarum certa, nec facilia deleri. Vnde illud Taciti, Super inſitã Claudiæ genti ſuperbiam, & ſimilia. de quo memini & diſputationem Machiauelli legere ad lib. 1. Liuii.

4 Auidius Caſſius auidus eſt imperii] Hac epiſtola breuiſſima Verus multa colligit argumenta, quibus Caſſium ſuſpectum coniurationis vel inſidiarum faciat Marco fratri. I. Primum eſt ab ipſo nomine, quaſi in Auidio ineſſet auiditas tyrannidis. neque enim ioco, & alluſionis gratia ſic ſcribit: vt in ſimili verbo luſit Q. Ennius:

Stultus eſt,qui cupida cupiens cupienter cupit.

Quem tamen verſum aptiſſime de coniurationibus vſurpare nobis licet. Salluſtius, apud Seruiũ lib.9. Æneidos: Ex inſolentia auidus malefaciendi. II. Aliud argumentum in illis verbis continetur, *Omnia ei noſtra diſplicent*. Sic ille Subrius Flauius coniuratus in Neronem, interrogatus quibus cauſſis ad obliuionem ſacramenti proceſſiſſet, Oderam te, inquit; & cætera. quæ vide apud Tacitum lib.15. Annal. Sunt enim pulcherrima.

5 Opes non mediocres parat] III. Argumentum. Id enim ſuſpectum atque inuiſum ſemper Principi-

Principibus, timidis præſertim & malis. Quare eadẽ plane ratione, qua hic Verus, Soſibius imp. Claudium monet, Caueri vim, atque opes Principibus infenſas: Taciti lib. 11. Annalium, ipſo ſtatim initio. vbi de Val. Aſiatico.

6 Te philoſopham aniculam, me luxurioſum morionem vocat] IV. Argumentum. Nam facile coniurat, qui maledicere Principi ſolet. de quo in Oratione noſtra de Maledictis in Principem ſupra vide. Philoſophiam autem Stoicorum ſectatum hunc M. Antoninum ſcribit Iulianus Aug. in Cæſaribus, & Xiphilinus lib. 70. magiſtroſque omnis doctrinæ, Athenas cum veniſſet, annua mercede conductos ibi conſtituiſſe, bono generis humani. Præceptores ipſe habuit in Philoſophia Ruſticum & Apolloniũ Nicomedẽſem, homines in præceptis Zenonis (vt idem ſcribit) exercitatos, item Sextum Bœotiũ, Suidæ teſtimonio: in Rhetoricis Corn Frontonem, & Claudiũ Herodem: ſed hunc (vt opinor) in Græcis, illum in Latinis, quod & Capitolinus ſignificat. extant certe, & à nobis collecta ſunt Frontonis fragmẽta quædam, elegantiæ Latinæ plena, vt nõ immerito videatur à Panegyriſte orator, à Cicerone nõ ſecũdus, ſed alter dici. Illud memorabile eſt, quod refert Chariſius ex libro eius 11. ad Antoninum: Male me, Marce, vitæ meæ pœnitet. cæterũ certũ eſt, male pœnitet. cui ſimillimũ illud initium epiſtolæ Imp. Tiberii ad Senatum, quod inſigne viſum ſcribit Tacitus lib. 6. Annal. Quid ſcribam vobis P. C. aut quomodo ſcribã, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dii me Deæq; peius perdant, quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio.

7 Aniculam] Quaſi imbellē, & fabulis anilibus, id eſt, philoſophiæ ſtudiis deditum. Cicero lib. 1. de Nat. Deor. Nam iſta quæ vos dicitis, ſunt tota commentitia, vix digna lucubratione anicularū: vel quia etiam in ſenectute hæc tractabat, ex quo illud eſt, quod Suidas narrat tum, cū à Lycio quodam oratore Romæ domo prodiens rogaretur, quo iret, quaque de cauſſa, ſic reſpondiſſe, Etiam ſeni diſcere honeſtum eſt. Eo ad Sextum philoſophum, cogniturus, quæ nōdum ſcio. Ibi Lycius manu ad cœlum ſublata, O Sol, inquit, Romanorum Imperator ingraueſcente ętate libellum tractans, magiſtrum adit. Meus autem rex Alexander annos 32. natus, obiit. Alio ſenſu Sertorius Metellum aniculam vocabat: vt eſt niſi fallor, apud Appianum & Plutarchum. At M. Antonius Dec. Brutum, quem Mutinæ obſidebat, contumelioſiſſime in epiſtola ad Hircium & Cęſarem, Veneficam appellat, Ciceronis Philippicâ 13. In eadem epiſtola Trebonium, qui Cęſarem percuſſit, Scurrę filium appellat. vt Caſſius hunc Verum, Morionem, voce non græca, ſed græcæ tamen originis. at Scurræ vox Latina adeo eſt, vt nō poſſit forte aliqua græca plane exprimi. ex quo factū puto, vt Zeno Socratē, latino verbo vtens, Scurram Atticum nominare ſit ſolitus, teſte Cicerone lib. 1. De Natura Deorum.

8 Inter præcinctos] V. Argumentum à potētia & dignitate. cape enim, non, inter milites, licet & hi pręcincti: ſed inter militum prefectos ac duces, quorum dignitates etiam cingula dici cōſueuerunt, vt & dignitates officiaq; aulica. Ζωσοὶ Gręcis, & ἄζωσοι qui ſint, docebit te doctiſſimus Cuiacius ad

cius ad l. 2. C. vt dignit. or. ſeruetur. libr. 12. Vel intellige, ſtrenuos. Seruius in libr. 8. Æneid. Diſcincti: Aut inhabiles militiæ. Omnes enim qui militant, cincti ſunt, aut certe, inefficaces: vt contra, Præcinctos, ſtrenuos dicimus. Horatius:

—Altius ac nos præcincti.

Vnde & Græce εὔζωνος appellatur, nō qui bonam zonā habet, ſed ſtrenuus. cui interpretationi congruit teſtimonium D. Marci in epiſtola mox ſequenti.

9 Qualem milites libenter audiunt, libenter vident] V I. ea enim expeditiſſima tum ad imperium via, per fauorem, & corruptiones militum. Sic Seianus, Sic Otho, atque alii graſſati ad imperium. Nec vllam rem ægrius tulit callidiſſimus principum Tiberius, cum ad Senatum ſcribens, Iun. Gallionem, qui cenſuerat vt prætoriani actis ſtipendiis ius apiſcerentur, in quatuordecim ordinibus ſedendi, violenter increpuit, velut coram rogitans, Quid illi cum militibus? & quę ſequuntur, lib. 6. Annalium Taciti. Paulus Iouius de Aurantio Principe, qui in obſidione Florentiæ in ipſo victoriæ limine cecidit. Ferunt in eo, qui nōdum trigeſimum ætatis exceſſerat annum, perilluſtres liberalis animi, & pugnacis ingenii virtutes, quibus ſtudia militum, cum inſigni gloria, & non obſcuro quodam dolore Cæſaris, promerebat.

10 Nam ſi ei diuinitus debetur imperium] Pia ſententia: quam etiam cuiuis Romanorum Imperatorum par Solimannus filio ſuo Baiazeti ingeſſit, contra Selimum fratrem ad imperium, patre viuo, nitenti. Vide aureas Giſelini epiſtolas.

Ab alia mente & ſcientia Imp. Veſpaſianus in coniuratores dixit, aut filios ſuos ſibi, aut neminem ſucceſſurum. Sueton. cap. 41. quod Veſpaſiani dictum laudat ad hanc rem Scipio Ammiratus lib. 15. Diſcurſ. cap. vlt.

11 Succeſſorem ſuum nullus occidit] Intellige, quemcũque. nam ſuum & certum poteſt quis tollere. Quare cum Roxane Cambyſis Perſarum regis vxor puerum ſine capite peperiſſet, Magi ſic interpretati ſunt, nullum regni ſucceſſorem ab eo relictum iri, vt ſcripſerat Cteſias libr. 12. Perſicorum. Quantopere autem & Principum & populorum interſit, ſucceſſorem certum haberi, vide quæ idem Ammiratus lib. 1. Diſcurſ. 2. & eruditiſſimus amicus noſter Ioh. Mercerius in notis ad Tacitum ſcibit, opinor ad illum locum, Ne ſucceſſor in incerto foret. Vt autẽ nemo Princeps ſucceſſorem ſuum occidit, vt Tyrannus dicebat, ſic occiſi Principis vltor eſt, quiſquis ſucceſſit, vt eleganter & prudenter idem Tacitus ſcribit lib. 1. Hiſtor.

12 Non poſſumus reum facere quem nullus adcuſat] Vulgatiſſima eſt hæc iuris ſententia: ſed cui tamen varie præſcriptum præſertim in hoc crimine perduellionis & læſæ maieſtatis, ut demonſtrat Tib. Decianus conſil. XVIII. nu. 194. & ſeq. Vol. 1. vbi de coniuratione Fliſcorum Genuenſium aduerſus Carolum V. Imperatorem inita reſpondit. Et hoc igitur vel veteri iuri cuius D. Marcus religioſiſſimus fuit, ut Papinianus de eo loquitur, vel pietati eius tribuendum eſt.

13 In cauſſis maieſtatis hæc natura eſt, vt videantur vim pati etiam quibus probatur] Ratio

huius

huius rei eſt, quam prudens illa Liuia marito Auguſto dicit, ſed & Mæcenas, libr. LV. & libr. LII. Dionis; quia non ſit veriſimile, aut facile credatur, eum qui in tanta potentia viuit, ab homine priuato atque inerme inſidiis peti: ſed alias eſſe cauſſas comminiſcuntur, ob quas Princeps ſæuiat nec ſemper vulgus errat. exemplo ſit Commodus huius noſtri Antonini filius, ſed quid hunc ſceleratiſſimum hominem dico: exemplo ſit, quod in veteri illa Republ. ſanctiſſima adcidit, coniuratione quadam commentitia à Tribunis plebis aduerſus patritios non minori artificio quam ſcelere excogitata, & Senatui populoque ad vindicandum propoſita: de qua Dionyſ. Halicarnaſſeus prolixe narrat lib. x. Originum Romanarum. Imo etiam compertæ coniurationes non creduntur ſatis, vt Domitianus dicebat, quod mox explicabo. Teſtimonio eſt Catilinaria: de qua improbiſſimus Saluſtius Ciceroni in Inuectiua illa obiecit etiam verbum illud, quo Cicero vſus, Cõpertum, quaſi morem & modeſtiam Romanam in eo tranſgreſſus. de quo verbo in orat. pro L. Flacco, & alibi legitur.

14 Miſera conditio imperantium, quibus de affectata tyrannide, niſi occiſis, non poteſt credi] Domitianus, qui primus huius ſententiæ author, ſic extulit, apud Suetonium cap. XXI. Conditionem Principum miſerrimam eſſe aiebat, quibus de coniuratione comperta non crederetur, niſi occiſis. ex quo apparet, quantum nitoris de hac ſententia deterſum fuerit ab Adriano, qui poſterior eã vſurpauit, ſiue potius ab Gallicano. Multo magis eam corrupit Ordonius Hiſpaniæ Rex, vel

potius Rodericus Santius hiſtoriæ Hiſpanicæ Par. III. cap. XIX. Hunc Ordonium, inquit, cum nonnulli hortarentur, vt à tam infeſta tyrannide abſtineret, & cum Santio componeret, ad eos Ordonius dixiſſe fertur, Quia regnandi auiditas nō niſi gladio amittitur. Imitatus eſt Ordonius, immo ſecutus Adriani Imperatoris ſententiam, qui (vt ait Volcatius Gallicanus) dicebat, Quia miſera conditio regnantium, de affectata tyrannide, non aliter quam eis occiſis credi poteſt. Hæc Rodericus inſcitiſſime. Nam dictum Ordonii contrariam ſententiam Adrianeo exprimit, atq; illā potius, quæ fuit Syracuſarum tyranni, E regno non niſi peditus extrahi oportere, vt eſt alicubi apud Liuium.

15 Tyrannorum enim etiam bona dicta &c.] Vide nobiliſſimum hac in re factum Lacedæmoniorum apud A. Gellium lib. XVIII. cap. III. vbi concludit his verbis: Sic boni ſententia manſit, turpis author mutatus eſt. Recte hoc illi, & Imp. hic Marcus, nec tamen non laudanda moderatio Neruæ & Traiani eſt, qui eiuſdem Domitiani & edicta, & epiſtolas, & beneficia conſeruauerunt: vide lib. X. epiſt. Plinii. neque enim omnia tyrannorum ſemper reſcindenda, præſertim iuſte facta atq; decreta, cum & Cicero imo Senatus Romanus acta Sullæ, & C. Cæſaris, etiam poſt mortem, vt in ſummo eorum odio, tamen omnibus modis defendēda cēſuerint, pacis & otii maxime cauſſa.

16 Plane liberi mei pereunt, ſi magis amari merebitur Au. Caſſius, quam illi] & periiſſet maturius portentum illud ac fax humani generis; filius Commodus: patris optimi voto ſatisfeciſſet.

Simile

Simile votum Ariſtidis, Platonis amici, qui rogatus à Dionyſio tyranno, vt ſibi filiam in matrimonium daret, reſpondit, millies ſe illam perire malle, quàm Tyranno nubere. Vnde ad ſupplicium ductus, rogatuſque à Dionyſio, num adhuc eius animi eſſet? reſpondit, Quorundam ſe pœnitere, quæ egiſſet; ſed non eius, quod dixiſſet: vt refert Plutarchus. Similius etiam, quod Imp. Theodoſius dixiſſe legitur, cum filios Arcadium & Honorium inſtituẽdos Arſenio daret, quẽ illi poſtea relegarunt: quam cauſſam, tanquam vltione diuina, putat Ant. Contius fuiſſe, cur tot coniurationibus, inſidiiſq; appetiti fuerint.

17 Addens futurum ſe Sergiũ, ſi dialogiſtũ occidiſſet] Alluſum opinor ad Sergium illum, Catilinæ progenitorem, qui (vt ſcribit Ammiratus libro 25.) vicies & ter vulneratus eſt in variis pugnis: cuius poſteritatis vltim' Catilina clarus gloriarum adoreas ſempiternis maculis obumbrauit. & lib. 27. ita exercitatus bellator, vt Sicinnio veteri comparetur, & Sergio. Sed nondum ſatis intelligo acumen huius dicti: niſi in eo M. Sergium Xuirum legibus ſcribundis intelligat: quaſi dicat Caſſius, ſe ſcripturum leges, ſi dialogiſtum, id eſt, philoſophum Antoninum occidiſſet. Simile illud C. Cæſaris, L. Sullam neſciuiſſe litteras, quod dictaturam depoſuiſſet.

18 Nec ille timuit] Cum tamen ſciret id olim probro & crimini datum aliis imperatoribus populi Rom. vt Scipioni in Sicilia, vt Germanico Athenis.

19 Et qui ſe Marium dici vellet] propter ſeueritatem, vel crudelitatẽ, vt ſequitur. qua de cauſ-

ſa etiam Imp. Seuerus, Sulla Punicus dictus eſt, vt ſcribit Tertullianus: vel quia neminem ex ducibus priſcis pluris fecerit, quam L. Sullam & Hannibalem, teſte Herodiano. Quare & Sullam, & Tiberium in conuentibus plerunque laudabat, ſeque talem futurum dicere ſolebat, vt eſt apud Spartianum.

20 Dicens maius exemplum eſſe viuentis miſerabiliter criminoſi quam occiſi] In eodem ſupplicio, id eſt, manuum præciſarum eamdem fere rationem reddit A. Hircius lib. v i i. de bell. Gall. Vt teſtatior, inquit, eſſet pœna ſceleratorũ. Quo exemplo Ludouicus Galliæ rex vti ſolebat ad eleuandam famam clementiæ Cæſaris, teſte Paullo Æmilio, qui ait Ludouicum illum delectatum commentariis Cæſaris in linguam Gallicam non verſis, ſed euerſis.

21 Quod exemplum non extabat, dicẽs &c.] Hic igitur Caſſius non ſolum Caſſianam ſeueritatem retulit, ſed & Manliana imperia. & de crucis ſupplicio verum eſt, præſertim in ciues Romanos & milites. Notum Galbæ factum in Hiſpania, qui tutorem, quod pupillum, cui ſubſtitutus erat, veneno necaſſet, cruce adfecit: implorantiq; leges, & ciuem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multoq; præter cæteras altiorem & dealbatam ſtatui crucem iuſſit. Sueton. cap. 9. Sed de hac re copioſe & accurate dictũ eſt à nobis in libro ad L. Portiã de ſuppliciis, vbi an ea lex olim Repub. ſtante in caſtris & militiæ valuerit, diſputo. De militibus Rom. cruci adfixis à Scipione, vide Val. Max. lib. i i. c. v i i. Conciliabis autem cum Volcatio

catio noſtro, quod Scipio transfugas R. ſic punivit, Caſſius milites re bene geſta, ſed ſe inſcio, & forte non Romanos.

22 Percutite me ſi audetis] Germanicus & non pauci alii duces auſi ſunt ita furentes milites in cædem ſui laceſſere felici temeritate, vel maieſtatis ſuæ fiducia. quod autem ſequitur, Meruit timere, quia non timuit, verba ſunt, niſi fallor, Lucani poetæ.

23 Et præter laridum ac buccellatum atque acetum] De cibis militaribus & continentia veterum Romanorum multi ſcripſere. De larido, & caſeo memini ad hanc ipſam rem legere in opere quodam Cardani, qui id inſtitutum commẽdat, & vires eo cibo maxime ali, docet.

24 Luxuria diffluentes, & Daphnicis moribus agentes] A Daphne notiſſimo ob amœnitatem & luxuriam ſuburbio ſiue luco Antiochiæ, de quo Marcellinus lib. XIX. extremo, Suidas, alii, inſigniter, & prolixe D. Chryſoſt. in vita Babylæ epiſcopi, & martyris Antiocheni. Hinc Claudianus lib. II. in Ruffinum:

Adſuetumque choris & læta plebe canorum
Proterit imbellem ſonipes hoſtilis Orontem.

D. Hieronymus commentario in Ezechielem, à Cn. Pompeio manu militari eum locum conſitũ ſcribit, & ab eo iuxta fabulas poetarum, Daphnis nomen accepiſſe ob lauros, & cypariſſos ibi frequentiſſimas. Sozomenus lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 19. in eum fluere aquam è fonte Caſtalio, in quam cum Adrianus adhuc priuatus folium immerſiſſet, hauſiſſe futurorum ſcientiam in folio litteris inſcriptam: eoque potitum imperio, fon-

tem illum obſtruxiſſe, ne & aliis ex eo loco futura præſciſcere liceret.

25 Quas totas excaldantes ſe] Nota, id vitio militibus verſum, vt & balneare; vtique apud ſeueriores iſtos. vide Polyænum libr. 8. Strateg. vbi de P. Scipione. & verbum Excaldare: quo ſic hodieque Itali vtuntur. Arnobius etiam Cinere caldo, & caldore ignis dixit, antiquè. Sed & D. Auguſtus in epiſtolis ad C. Cæſarem ſcriptis id emẽdaſſe dicitur, quod is calidum dicere, quam caldũ mallet: non quin illud non ſit latinum, ſed quia ſit odioſum, & vt ipſe greco verbo ſignificat περίεργον, vt ſcribit Quintilianus lib. 1. Similiter & in libris iuris, Ahenum in quo olea calda aqua lauatur, quod temere mutarunt imperiti librarii, vel alii.

26 Verſum à bono poeta dictum, Moribus antiquis &c.] Forte legendum, ab Ennio poeta.

27 Caſſianæ ſeueritatis ac diſciplinæ] Propriũ hoc familiæ Caſſiæ, ſeueritas, domi militiæque. Hinc Tribunal Caſſii, Scopulus reorum dictus. & eiuſdem illa in ſceleribus anquirendis interrogatio, Cui bono? Hinc Marcellinus de Imp. Iuliano, Iudicibus Caſſiis triſtior lib. 22. Militiæ illud facetum, ſed cum amaritia, dictum ab Caſſio, refert Quintilianus; Militi enim ſine gladio diſcurrenti, Heus commilito, pugno bene vteris, inquit. Quod autẽ Gallicanus hîc ait de exercitio ſeptimi diei omnium militum, conſule eruditiſſimum Caſabonum, Tiberio Suetonii.

28 Mi domine] Etiam à domeſticis Auguſtus & Tiberius non paſſi hanc appellationem: cæteri admiſère, etiam optimi: vt Traianus: ſed ſine illa adiectione, Mi, quæ neſcio quomodo ridicula-

tium

tium quid ſonat, & contemptibile. Ita tamen & alii, & Alcuinus Rhetor, nõ plane malus ſcriptor, Caroli Magni præceptor, in Dialogo cum eo habito: Deus te, Domine mi, Rex Carole ſapientiæ lumine illuminet. & inferius: Domine mi Rex, Rideo vacuum illud caput Vaconii à Vacuna, qui noſtrum, Meſere, dictum ſcribit quaſi Heremi. Sed hęc alibi tractamus diligentius, id eſt, in libro de Antiquis Italiæ linguis. Potius hic notẽ, quod ad Coniurationum argumentum facit, ad illum verſum Virgilii lib. 6.

—Nec veriti dominorum fallere dextras,

ita Honoratum notare, cum varias adfert interpretationes; Facit iniuriam Auguſto & Cæſari, ſi eos, Dominos, dixit, quod apud maiores inuidioſum fuit, nam patres patriæ dicebantur &c. Ouidius ad Romulum de Auguſto:

Tu Domini nomen, Principis ille tenet.

Vide quæ dixi ad L. quiſquis. §. vlt. ſupra lib. 1.

29 Bucolici milites per Ægyptum] Præter alios, lege de his prædonibus verius, quàm militibus, (quales plerumq; paſtores, de quibus Duarenus in Annin) Æthiopica Heliodori, quem authorem poſtea vidi ab Egnatio citari ad Iul. Capitolinum in Marco.

30 Ornamenta regia] Et hoc ſæpe pro argumento coniurationis & adfectatæ Tyrãnidis habitum. Sed elegantiſſime Imp. Iulianus, cum quidam inimicum ſuum importuniſſime reum maieſtatis facere pergeret, Quibus indiciis, renidens ait, ad hoc perueniſti? eoq; reſpondente, Purpureum ſibi indumentum ex ſerico pallio parat: cõuerſus Imperator ad largitionum comitẽ, tegmi-

napedum purpurea delatori dari iuſſit ad aduerſarium illum eius perferenda: vt ſciri, inquit, poſſit ſine viribus maximis quid pannuli proficiant leues. Ammianus lib. 22.

31 Nec in eius liberos aut affectus ſæuiit] Eodem modo infra loquitur: Quod Latine dici, ſatis demonſtrat Agrætius, vetus Grammaticus vbi ait, Pignera, rerum: Pignora, filiorum, & adfectionum. Ruffinus Ioſephi de Bello Iud. lib. 7. ca. 26. Iuxta ſuos adfectus occubuit. Simili modo, Charitates, Deſideria, &c. dicuntur.

32 Senatus illum hoſtem appellauit] Id eſt, iudicauit, declarauit, vt Reges appellare. & ſerua morem illum, Hoſtem aliquem iudicandi, manſiſſe diu etiam poſt Reipub. tempora. Retinent & in Germania hodie Imperatores, quod ipſorum lingua Acht dicitur. ἀπὸ τῆς ἐχθρας, vt videtur, id eſt, Hoſtilitate. Neque hæc poteſtas in imperio cuiquam niſi Cæſari, & Ordinibus Imperii. Sicut memoriam damnare olim nemo potuit, præter Imp. & hodie præter eos, qui ſummum habent imperium, nemini ſubditi, id eſt, qui maieſtatem habẽt. tametſi in hoſtes publicos & Imperatoris, ciuitates interdum id faciant ad oſtendẽdam deuotionem, & pietatem. Exemplũ apud Guntherum Ligurini V.

Oſſa peremptorum tumulis Verona negatis,
Atque feros manes, & nomina ſæua nocentum
Damnat, & irati natos odere parentes.

Hunc enim morem damnandæ memoriæ, ſignificat. de quo vide, quæ dixi pluribus libr. 1. c. 3.

33 Caput eius ad Antoninum cum delatum eſſet, ille nõ exultauit &c.] Magnum & Romanũ

pectus.

pectus. Idẽ de Carolo V. Imperatore Guicciardinus, allato de Franciſco rege capto nuntio, idem Busbequius de Solimãno, ducibus & claſſe Chriſtianorum captiua viſa, nullum in eorum vultu ſignum lætitiæ aut exultantis animi notari potuiſſe. Nam Cæſarem quidem allato capite Pompeii non magis ex fide fleuiſſe, Petrarcha noſter exiſtimauit, quam Annibalem riſiſſe in excidio patriæ, & populi gemitu. Amẽtis malis cordis illum riſum, ipſe Annibal dicit eſſe, apud Liuium; ſicut ſoluti gaudio animi illas lachrymas Cæſaris Petrarcha; quod tamen non credo. Et vide M. Antonii Conſ. orationem in funere eius à Dione ſcriptam. Sed elegantiſſimum eſt eius tamen epigramma, & cuilibet veterum comparandum, cuius initium; *Cæſare poi.*

34 Non ſic Deos coluimus, nec ſic viuimus, vt ille nos vinceret] Hic vero iam Chriſtiano dignus homine animus. Infra, in epiſtola ad Fauſtinam vxorem: Eſto igitur ſecura: Dii me tuentur, diis pietas mea cordi eſt. & in adclamatione Senatus, Dii te tuentur. quę Horatii verba eſſe nemo non agnoſcit: & vt alibi notare memini, pro ſymbolo vſurpata ab Antonino fuiſſe exiſtimo. Vide Imp. Iuliani Cæſaris ibi, ὁ δ' ἀποβλέψας πρὸς τὸν Δία καὶ τοὺς θεοὺς, &c.

35 Omnes principes, qui occiſi eſſẽt, habuiſſe cauſſas, quibus mererentur occidi] Recte hoc dictum ſuum ſtatim temperat Antoninus cum ſubiicit: Nec quemquam facile bonum vel victum à tyranno, vel occiſum.

36 Othonem & Vitellium nec imperare voluiſſe] De Vitellio an ita eſt. deponere quidem

Digitized by Google

imperium etiam in concione conatus,ſed inuitus & metu. Sed referas ad præproperam & ſubitam deſperationem rerum ſuarum.de qua Tacitus nõ ſemel.

37 De Pertinace & Galba paria ſentiebat] De Pertinace Marcus? atqui Pertinax multo poſt mortem Marci potitus imperio.non dubito,quin gloſſema ſit & inducendum,niſi diuinauit Antoninus,vel per præoccupationem hoc dixit Vulcatius.vt Palinurum notãt Grammatici iuſſiſſe portus Velinos inquiri, qui nondum erant.

38 Spectacula ſuſtuliſſet, & multa alia ciuitatis ornamenta] Simili ratione eamdem vrbẽ multis poſt ſæculis punitus eſt Imp.Theodoſius, cum eius ſtatuas per ſeditionem tumultumque deieciſſent.nam & balnea illis ademit, & dignitatem metropoleos,& alia,de quib. ſi lubet,vide Chryſoſtomum in Homiliis Antiochenis.

39 Ita vt filias eius auro & gemmis honeſtaret] De hoc loco dixi lib. 1.ad l.quiſquis.

Et genero Druentiani] Contraria de hoc ſcribere videtur Martianus IC.in l.pen. C.ad L.Iul.Maieſt. Vide Iac.Cuiacii obſeruationes.

40 Cum illis etiam in lite obiici fortunã proprie vetuiſſet domus,damnatis aliquibus &c.] In lite, id eſt, in iudiciis. vbi libera & ſoluta poteſtas maledicendi, & quæuis probra obiiciendi, more quodam recepto, & lege adcuſatoria, vt Cicero vocat. quod ſæpe ſum miratus in ea ciuitate, in qua iniuriarum actiones tam diligenter conſtitutæ erant de quouis etiam maledicto, quo pudor & fama cuiuſquam coinquinaretur. Imago quædam huius conſuetudinis hodieque retinetur,

cum

eũm ita interpretum noſtrorum diſciplina contineatur, vt qui crimen in iudicio obiecit, is non iniuriandi, (vt loquũtur) animo id feciſſe exiſtimetur, præſertim ſi & probare paratus ſit; cum idem obiectum extra iudicium, quantumuis vere iniuriarum teneri velint, imo etiamſi & probari poſſit, & contendat is qui obiecit. Quod autem hic Marcus ſanxit de priuata domo: idem patrum ætate Carolus V. clemẽtia, & aliis virtutibus Marci ſimillimus, de ciuitate nobiliſſima ſeueriſſime ſanxit, quam ob rebellionem puniuerat ignominioſo genere: & de exercitu ob eandem cauſſam rebellionis non tam punito, quam infami atque attonito Petilius Cerialis, apud Tacitum libro 4. Hiſtoriarũ per manipulos edicto, Nequis in certamine iurgioue ſeditionem, aut cladem commilitoni obiectaret.

41 Verus mihi de Auidio verum ſcripſerat] Sic ſupra ipſe Verus, Auidius auidus imperii.

42 Veni igitur in Albanum] Et infra ſæpius, Formianum. quod notes, habuiſſe etiam Imperatores, vt olim ciues, ſua prædia, ſuaſque villas, quę in cenſu priuato, & patrimonio eſſent. Qua de re pluribus docui libr. 11. cap. 3. De donationibus inter virum & vxorem, quem cõmentarium breui in lucem dabo.

43 Iſtos rebelliones acertime proſequaris] Recte, iſtos, & rebelliones pro rebelles. vt in veteribus gloſſis, perduelliones οἱ κατὰ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων βουλευόμενοι, ἢ κατὰ Βασιλέων. Ammianus libr. 21. Perduellionum crebris variiſque appetitus inſidiis. In aliis gloſſis corrupte, Diuelliones, Πόλεμοι, Ἁρπαγαί. Duellionis enim & vſus probat & etymolo-

gia:nam à duobus dictum duellum, id eſt, parib. Ammian' XVI. Perduelles adbellaret, Arnobius, Duelles à Duello, quod Accio Perduellum.

44 Mater mea Fauſtina patrem tuum Pium] Fauſtinæ hæ duæ iure ſollicitæ de maritis ac liberis; vt euentus ipſe oſtendit. At ille Amyntas coniurationis delatus, cum de coniuratis mater Alexandrum monuiſſet; Vtinam prudentius, inquit, eſſet ſollicita pro filio, & non inanes quoque ſpecies anxio animo figuraret. Quare enim non adſcribit metus ſui cauſſam? denique non oſtendit authorem, quo facto, dictoue noſtro mota, tam trepidas tibi litteras ſcripſit? Q. Curtius li.7. Quæ notanda Principibus, ne temere muliebri timori credant; & Liuiæ potius præcepta reſpiciant, quæ ſupra in eius oratione legere licet. Illud, opprimēt, niſi opprimantur, alio ſenſu, & alia in re dictum à Valer. Maximo libr. 2. cap. 7. De diſciplina militari.

45 Vt pietatem primum circa ſuos ſeruaret &c.] Cæſar Anticatone primo: Vno enim excepto, quem aliuſmodi atque omnis natura finxit, ſuos quiſque habet caros: apud Priſcianum lib. 7. & 3. Catonem puto à Cæſare notari, quem nec miſericordia præſentis filii reuocari ab illa immanitate potuit, quin tanquam fera, vt Appianus ait, vulnus ſibi ipſe reſcinderet, laniaretque.

46 Pompeianus gener & ſenior eſt, & peregrinus] Cur peregrinus? quiſquamne Imperatoris Romani gener, peregrinus? ſed hoc intelligit allophylon, id eſt, nō Romani generis ac ſanguinis. Sicut in Auth. Friderici II. Imperatoris relata in Tit. C. commu. de ſucceſſ. accipiendum docui,

aliaque

aliaque, aduerſus temeritatem pariter & imperitiam Andii illius ſine bono.

47 Et ad Senatum ſcribam, ne aut proſcriptio grauior ſit, aut pœna crudelior] De Pompeio Magno in Conſulatu tertio dictum, Grauior remediis, quam delicta erant. Et è contrario, Senatus miſſa legatione Imperatorem Valentinianũ rogauit, ne delictis ſupplicia eſſent grandiora: vt refert Amm. Marcellinus lib. 28.

48 Non enim quidquam eſt, quod Imperatorem Rom. melius commendet, quam clementia] Plenæ Nouellæ Iuſtiniani noſtri, vt alios taceam, huiuſmodi ſententiarum. Ad rem, de qua agimus, vſus commodiſſime Clemens VII. Pontifex Maximus erga Carolum V. cum ei Franciſcũ Sfortiam maieſtatis reum recõciliaret Bononiæ, petens vt eum deprecantis Italiæ precibus cõdonaret, vel humani iuris æquitate, ſi ei falſo perfidiæ contumelia fuiſſet impoſita, vel illa præclara clementiæ virtute, qua reges Diis immortalibus æquantur, ſi in maieſtatem aliquid ingrato infidelique animo lapſus admiſiſſet: Iouius lib. 27. Non amo iſtos gnomologos. Sed tamen nõ poſſum hîc præterire inſignem Ammiani locum de Iuliano: Audito à parẽtibus virgines raptas, eum qui violauerat, relegari decreuit. Hiſque indigna pati querentibus, quod non ſit morte multatus, reſpõderat, Hactenus incuſent iura clementiam: ſed Imperatorem mitiſſimi animi legibus præſtare cæteris decet.

49 Ex oratione Antonini] Male hæc diſtincta, legendum: *Intereſt ſcire.* EX ORATIONE ANTONINI: *Habetis igitur.* Sæpe ita peccatum

in Apuleii apologia, & alibi.

50 Nemo Senatorum puniatur] Quod & initio principatus multi iurare, aut polliceri ſoliti, ἀνίμαζον ſe imperium geſturos. Sed pauci præſtitere, inprimis Sulla ille Punicus, Imp Seuerus, qui Africanas clades reddere voluiſſe, Romano populo viſus eſt, plurimis occiſis Senatoribus. Qua de cauſſa occiſis vno tempore quatuor ex illo ordine conſularibus, Adrianus Imp. vt ſe inuito factum doceret, è Dacia Romam properè rediit, ꝙ & ipſe in libris de vita ſua ſcriptum reliquit, & Ælius Spartianus in eius vita teſtatur.

50 Vtinam poſſem multos etiã ab inferis excitare] Melius legatur, mortuos. atq; hæc eadem pietatis plena ſentẽtia fuit Imp. Theodoſii. Chryſoſtomus Homilia VI. Antiochena: Conuictos & condẽnatos feſtiuitatis & Paſchatis reuerentia dimiſiſti; & inſontes, nihilque auſos condemnabis, præſertim ſolẽnitate præſente? An non, Imperator tu hanc epiſtolã ciuitatib. omnib. mittens, aiebas? Vtinam & defunctos reſuſcitare poſſem! In diuerſo facto eadem pietas Æneæ:

—— equidem & viuus concedere vellem.

51 Vindicta ſui doloris, quæ etſi iuſtior fuerit, acrior videtur] id eſt, iuſto tamen vehementior, vt in omnibus adcidere vel imputari ſolet ſuas iniurias vlciſcentibus. Lucretius,

Acrius ex ira quod enim ſe quiſq; parabat
Vlciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus æquis.

52 Dii te tuentur] Dixi ſupra de pietate M. Antonini, quæ cum ex factis dictiſque eius celebrata eſt, tum etiam crebris ſacrificiis. Hinc illud vulgatum, quaſi à bubus ad eum ſcriptum:

Oi

Οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι
Ἂν σὺ νικήσης, ἡμεῖς ἀπολώμεται.
Periimus omnes, ſi tu, Caſar viceris.

Iocum hunc arripuit & expreſſit ex illo Ruffi Senatorii ordinis inter cœnam optato, Næ Cæſar ſaluus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat. & adiecerat, Idem omnes & tauros & vitulos optare. Vide pulcherrimā narratiunculam Senecę lib. 3. de Benef. c. 27. vbi de Auguſti clementia.

53 Nec magna hæc eſt P.C. clementia, veniā proſcriptorum liberis dari] Dixi aliquid ſupra libro primo.

54 Reddant Caſſiani Reipubl. principatum] Non dicit libertatem, ſed principatum. Optat enim Caſſium fieri Principem, ſublato Marco, tanquam inutili, imo pernicioſo Reipublicæ, maxime ob eorum auaritiam, quibus pronunciat pręfecturas, curationeſque commiſerat. At contra alii, cum de malo Principe & crudeli loquuntur, libertatem reſtitui eo interfecto dicunt, aut cupiunt; quamuis alius ei princeps ſucceſſurus ſit, quomodo Plutarchus in lib. de Garrul. ſcribit de Nerone, & coniuratione in eum detecta non illa Piſonis, ſed Vinicii, mire detecta per vnius garrulitatem, qui cum vidiſſet quendam ad Neronem rapi, adceſſit, & in aurem ei inſuſurrauit, Precare tantum vt hæc dies abeat: Cras mihi gratias ages. quam vocem ille Neroni ſignificauit, iuſtiori (inquit Plutarchus) ſaluti certiorem præferens. & ſupra, τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐκώλυσεν ἐλευθέραν γενέσθαι Νέρωνος ἀπαλλαγεῖσαν, ἑνὸς ἀνδρὸς ἀδολεσχία. μία γὰρ ἦν νὺξ μεθ' ἣν ἔδει τὸν τύραννον ἀπολωλέναι παρεσκευασμένων ἁπάντων. Sed hæc Chriſtiano non placeāt, qui iuſſus etiam

diſcolo magiſtratui ac Principi præſertim legitimo parere. Vide Ammirati Diſputationē, quam in hunc librum conieci.

SCIPIONIS GENTILIS
Notæ
In Concionem Chryſoſtomi in Eutropium.

1 IN Eutropiũ Eunuchum, Patricium ac Cōſulem præfectumque Cubic.] Hi tituli tam curioſe enumerati faciūt, vt credam Eunuchi nomen nō ad contumeliam & naturam notandam illius prodigii poſitũ, ſed ad dignitatē officiũq; palatii ſignificandũ, quod à p̄fectura cubiculi diuerſum. Sic certe Iſidorus Peluſiotes, epiſt. 36. ſcribit Ἀ'ὑπόχῳ εὐνούχῳ παλατίου. & in ipſa epiſtola. καὶ ἐπειδὴ οὐ μόνον διάκονος τυγχάνεις τῆς βασιλείας, ἀλλὰ καὶ ἄγεις αὐτὴν καθὼς βούλει. Quod idem plane & totidem ferme verbis de hoc Eutropio dicit Chryſoſtomus hic; & in epiſtola parænetica ad eum alioſque ſimul ſcripta, quæ eſt eadem cum hac concione pauculis immutatis. Maxime illud notandum; Eum qui paullo ante orbem terræ extēta manu quatiebat, vt Claudianus σύγχρονος eius, præfat. in 11. libr.

Viue pudor fatis: en quem tremuere tot vrbes,
Ex cuius populi ſuſtinuere iugum.

Imo ipſam purpuram eius ingreſſu inclinatam, & quaſſatam, ait Chryſoſtomus; & Imperatori ipſi verēdum fuiſſe. Item: Nonne ſumma eorum poteſtas huic ſubiecta erat? & quis celſior illo? In ſupraſcriptis verſibus pro Fatis, aliquis malit, Faſtis: qui legerit conſtitutionem Arcad. & Honor. l. 17.

C. Th.

C.TH. de pœn. quæ priuilegium in hunc Eutropium, & gemmæ in illis Claudiani libris. Sed nihil mutandum.

2 Patricium] Maius hoc prodigium, eunuchum Patricium eſſe factum, quam Conſulem, quod conſulis vnicum extare exemplum ex ſupra citatis locis apparet: Patriciatum autē plures Eunuchos adeptos eſſe, veriſimile eſt: cum & lex à Theodoſio lata memoretur Sudæ, Εὐνοῦχον ἐν τοῖς Πατρικίοις μὴ τελεῖν. Patricii, patres Imperatoris fuêre: reperio & imperii patres dictos. Corippus lib. 4.

Patricius ſenio fulgens Calmicus honoro,
Qui pater imperii meruit iam factus haberi.

Eodem loco fuit Nabateorum & Sabeorum regibus ſemper aliquis ex amicis delectus, qui Frater vocabatur. Strabo lib. 16. Ἔχει δ' ὁ βασιλεὺς ἐπίτροπον τῶν ἑταίρων τινὰ καλούμενον ἀδελφόν.

3 Cum offenſo Principe deliteſceret] Non quæuis offenſio in Principem eſt crimē læſæ maieſtatis. argumēto eſt, quod nec maledicta in eum hoc crimine tenentur, vt indicat ſatis vel ipſe tit. Cod. ſi quis Imp. maledix. ſeparatus à titulo, ad l. Iul. Maieſt. Tametſi & ex hac oratione licet ſuſpicari, & apertius ex Claudiano aliquid in Repub. ab Eutropio turbatum, & cum barbaris factionē initam. Sic enim ait in præfatione in librum 11. aduerſus eum:

Omnia barbarico per te concuſſa tumultu.

De pœna eius infra dicam, quæ mitior videtur, quam vt tanto crimini irrogari debuerit ab his præſertim Principibus qui authores l. quiſquis. C. d. tit. ad L. Iul. maieſt.]

4 Vbi illuſtres illæ faces] In cœnis aut ludis, qui vetuſtiſſimus etiam mos Romæ. Seruius in illud Virgil.

—Atria, dependent lychni laquearibus aureis.

Tangit, inquit, morem Romanum. Nam, vt ait Cato, & in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui. Lucilius,

Romanis ludis forus olim ornatus lucernis.

5 Vbi coronæ & aulæa] Claudianus in hunc eundem Eutropium lib. 1 1.

—Aula choris epulisq; vacat.

Coronę apte choris ſiue choreis iunguntur. Scribitq; Athenæus lib. 15. cap. 11. Appionem in lib. de lingua Romana ſcripſiſſe Choronam Deũ appellatum fuiſſe: quia chori ea antiquitus in theatris vterentur. Videntur Chryſoſtomus & Claudianus mihi ſignificare ludos, qui in Palatio edi ſoliti primo die Ianuarii. Similiter & ſacrę illo die epulæ: de quibus notare I. Lipſium memini lib. 4. Annalium.

6 Circēſium fauſtę adclamationes] Olim Circenſes ludi vix extra vrbem Romam: poſtea vulgari cœpere etiam in prouinciis. In Principum natalibus celebratos, Ambroſius indicat in oratione funebri in Valent. Imperatorem: opinor, & in eorum, qui potentiæ præcipuæ, vt hic Eutropius, in quem idem Claudianus eodem libro,

Ad ſolitos cœpere iocos, & gaudia Circi
Tendere.—

7 Negotia fraudulenta & perſonata] Hanc metaphoram videtur traxiſſe ex mentione ludorum & theatri ſupra facta. Lucretius,

—& eripitur perſona manet res.

Quid

Quod ita noſter hic autor alibi expreſſit: Demiſſo autem theatro, ſublatiſque perſonis, vnuſquiſque quod eſt, hoc apparet. Quare ne tanquam in ſcæna, & ſimulatione veritatem obeamus. Homilia Antiochena XLIII. Alluſum à Lucretio eſt ad fabulas quæ perſonatæ dictæ. de quibus Sex. Pompeium vide. Non poſſum, quin illuſtratum olim à me & defenſum eiuſdem poetæ contra Lambinum locum hic reponam, Lib. 4.

Nec veneres noſtras hoc fallit, quo magis ipſæ
Omnia ſummopere hos vitæ proſcænia celant,
Quos retinere volunt adſtrictoſque eſſe in amore
Necquicquam: quoniam tu animo tamen omnia poſſis
Protrahere in lucem.—

Lambinus, poſtſcænia, maluit, ſcæna coniectura. Nam Lucretius ipſas meretrices vocat Proſcęnia, quod ornatæ veſtibus & fuco oblitæ, intus ſint ſpurciſſimæ & turpiſſimæ, plane vt vetus author græcus, Antiphanes, Nannium meretricem eadē de cauſſa Proſcænium vocatam ſcribit. Athenęus lib. 13. Ἀντιφάνης δ' ἐν τῷ περὶ ἑταιρῶν, Προσκήνιον, φησὶν, ἐπεκαλεῖτο ἡ Νάννιος ὅτι πρόσωπόν τι ἀστεῖον εἶχε καὶ ἐχρῆτο χρυσίοις, καὶ ἱματίοις πολυτελέσι, ἐκδῦσα δὲ ἦν αἰσχροτάτη. Verbum igitur, proſcænia, non ad verba, Omnia vitę, ſed ad verbum ipſæ, referendum eſt: Nollem etiā ſummum virum, Adr. Turnebum eam lectionē Lucretii ſolicitaſſe, & veteri de poſſeſſione deiicere conatum eſſe. nollem & alium, peſſimę notam ei inuſſiſſe.

8 Fugitiuas eſſe diuitias. & mox, Homicidas] Fuerunt enim Eutropii bona in fiſcum redacta, de quo extat in Cod. TH. priuilegium libr. 9. de

Pœn.l.omnes res Eutropii. Elegantiſſime hic luſit Claudianus,in Præfat.lib.1.in eum,

Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras Principis eſſe pater.

vt eruditiſs. Cuiacius quoque obſeruauit. Miror olim dubitatum de Ruffino,altero illorum temporum portento, an bona eius publicata eſſent. quam dubitationem eximit Symmachus libr.6. epiſt.15. Vbi prędonem annoſum eum nominat, ſicut Impp. Arcad.& Honorius Stiliconem,publicum prædonem.

9 Transfugerunt, deſeruerunt] Cicero pro L.Vareno: Amici deficiunt, cognati deſerunt. Illud etiam huic Eutropio cum illo Vareno commune, quod eſt in alio eiuſdem Orationis fragmento apud Seuerianũ. In inimiciſſima ciuitate vrgent,inſtant,inſequuntur,ſtudio,multitudine, pecunia,periurio pugnant. Vide hîc inferius.

10 Non quo proſtrato inſultẽ.]Id enim ſumme vitio tum datum Chryſoſtomo, vt teſtantur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores.

11 Vſque adeo ſunt fragiles(res humanæ)& magis nihil,quam nihil ipſum] Martialis, ſi bene memini:

—& tamen ipſum
Perdidit hoc totum nihil.—

Pindarus (quem alibi allegari Chryſoſtomo notaui,parciſſimo taliũ) Τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος.

12 Et pręcipitia,& carnificis,& via quę ad ſuppliciũ ducit] De hac via dixi ſupra lib.1. vbi hunc locum illuſtraui.

13 Animam quæ iam metu diriguiſſet]

Et apud

Et apud hunc anthorẽ, præſertim in Homil. Antiochenis, & apud alios ſæpe ſcriptum reperias, metum mali ipſo malo maius ſuppliciũ eſſe. Qua de cauſſa multi hac pœna contenti fuere probi improbique, vt ille perditiſſimus Nero Taciti lib. 7. atroci, & inſigni facinore, cui vocem illam addidit, Satis illos pœnas luiſſe pro epulis conſularibus. Claudianus II. in Ruffinum:

—pœnamque luit formidine pœna.

Notiſſimũ factũ L. Papirii in prętorẽ Pręneſtinũ. cui ſimillimum quod Magas Philemonis, à quo probroſis verſibus confixus erat, ceruicibus nudũ imponi gladium à lictore iuſſit, deinde eum dimitti; vt ſcribit Plutarchus lib. περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς, & lib. περὶ ἀοργησίας.

14 Hominem ſceleſtum, auarum, rapacem, altaria contingere] Auaritiæ ſolum vitium & rapinarum nominatim obiicitur, propter quod non debuerit Eutropio ius aſyli tribui. Talis enim à Claudiano aliiſq; deſcribitur, qualem Dio Plautianum Præf. Pretorio ſub Imper. Seuero deſcribit: Is erat homo, inquit, inexplebili cupiditate: omnia enim petebat ab omnib. & cupiebat omnia, nullamque gentem, nullam ciuitatem reliquit, quam non prædaretur: multoque plura munera ad eum, quam ad Seuerum mittebantur. hæc ille. Hinc forte occaſio Seuero fuit illius prouerbii quaſi legis præſcribendæ etiam in Xeniis capiendis, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων: l. ſolent. D. de offic. proconſ.

15 Sceleſtum altaria contingere] Etiam Ethnici idem nouerunt, & cauerunt. Thucydides li. IV. τῶν ἀκουσίων ἁμαρτημάτων καταφυγὴν εἶναι τοὺς βωμούς.

Παρανομίαν τε ἐπὶ τοῖς μὴ ἀνάγκῃ κακοῖς ὀνομασθῆναι, καὶ οὐκ ἐπὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν τι τολμήσασι. De lege Moyſis, & conſtitutionibus Iuſtiniani, quæ non ſeruant ius aſyli ſceleſtis ac nocentibus, puta, ſicariis, adulteris, virginum raptoribus, Cuiacius notat ad Nouell. XVII. Niſi tamen fortuita cædes eſſet, vel aliud peccatum non ſponte factum, vt Thucydides ait. cum huiuſmodi perſonis etiam ciuitates certæ à Deo cõſtitutæ olim in Iudæa fuerint, quo refugerent, & morarentur tuto. Qua de re dixi pluribus lib. II. Parerg. cap. XIII. Sed nec blaſphemos habere ius aſyli, docet Boerius tota Deciſ. 110. Ergo nec hæreticis nec Iudæis; poteſt enim iis dici, quod in iure noſtro eſt, Fruſtra legem implorat, qui contra eam facit. Iudæi præſertim, Eccleſiæ Chriſtianæ iure vti nullo modo debent vlla ex cauſſa; in quos eſt illud D. Ambroſii, ſed in mala cauſſa Chriſtianorum, vt ego iudico, qui malo more eorum ſynagogam incenderant, epiſtola 29. Cum ipſi Romanis legibus teneri ſe negent, ita vt crimina leges putent, nunc velut Romanis legibus vindicandos putent. Iuſtius D. Auguſtin. inter laudes Imp. Theodoſii ponit lib. 5. de Ciuitate. cap. 27. Quod inimicorum & perduellium filios ad Eccleſiam confugientes, hac occaſione Chriſtianos fieri voluerit, nec priuauerit eos rebus, ſed auxerit honoribus. Quod notandũ ad L. quiſquis. §. filii. C. ad L. Iul. maieſt. nec minus hoc loco, quod de aſylo Romano, araque Cæſaris Dio commemorat lib. 47. in epitoma Xiphilini. III viros Reipubl. conſtit. in foro ſacellum Cæſari poſuiſſe edixiſſeq; Ne quis eo confugiens inde abriperetur, vel eiiceretur: quod nemini,

mini,inquit,ne Deo quidem tribuerant antea excepto Aſylo Romuli: quod tamen poſt eum nomine tantum manſerit, obſtructumque fuerit, ſic,vt nemo eo intrare poſſet. Elegāter autem infra author noſter Paupertatē vice aſyli dicit eſſe.

16 Legibus ſcriptis, quibus hoc irritum facere conatus eſt] Conſule hiſtoriam quoque Eccleſiaſticam. & non ſine cauſſa, vt opinor, repreſſa ab Eutropio aſylorum Chriſtianorum licētia nimia: ſicut à Tiberio ethnicorum; cum tot gentium legationes de iure aſyli miſſas audiret. Vide Tacitū lib. I II. Annal.

17 Nolite hæc facere, ne, qualia ego patiamini] Quaſi Theſeus quidam, apud homines clamaret:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

18 Quauis rana aut lepore timidiorē] Claudianus eleganter lib. II. in Eutropium de Leone præcipuo eius duce,& (vt ipſe vocat) Aiace contra Targibilum miſſo,

Ipſe Leo dama, ceruoq; fugacior ibat.

Leonem tamen Galli aſpectum cantumq; reformidare, longiſſimeque fugere, nemo neſcit. Qua natura fuit & Germanicus ille nemini Imp. ſecundus: Ἀλεκτρυόνος οὔτε φωνὴν, οὔτ᾽ ὄψιν ὑπέμεινεν. Plutarchus lib. de Inuidia.

19 Milite depoſcente hominem ad ſuppliciū] Etiam Imp. Arcadius abripi voluit ex Eccleſia, licet milites oratione demulſerit, ne facerent. Certe quidem in crimine læſæ maieſtatis non eſſe ius aſyli cuiquam, Doctores noſtri volunt. Qua de re multis docet Gigas in Criminal. Tractatu, & alii. Sic idē Imperator eccleſię & aſyli Chriſtiani ius

violaſſe, metu Gainis perduellis dicitur, vt ſcribit Zoſimus lib. 4.

20 Poſtulans, Imperator, vt non culparum modo, ſed etiam recte factorum rationem haberent] Lex iſta Perſarum fuit in iudiciis. Quod & Eutropio profuiſſe exiſtimo, ne morte multaretur, vt delictum eius, & crimen læſæ maieſtatis poſtulant. Relegatum enim vel deportatum eum in inſulam Cypri fuiſſe, non ſolus Claudianus nos docet, qui id ſæpiſſime inculcat in præfat. lib. 11. aduerſus eum, Sed etiam Imperatores ipſi Arcadius & Honorius in l. 17. C. Th. de Pœnis, & Chryſoſtomus non obſcure in hac cócione. Sed palam reclamat Socrates libr. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, qui capite plexum diſerte ſcribit: Διὰ τινὰ πταίσματα ὁ βασιλεὺς τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσεν. Quę ſcriptio & alios in erroré induxit, & turbauit eruditũ virum Antonium Del-rio, qui male Socratem cum Claudiano & cum fide hiſtoriæ conciliat: quaſi de capitis deminutione, id eſt deportatione Socrates intellexerit. Ego caput ei amputari iuſſiſſe Arcadium, nec quicquam præterea video Socratem ſcribere. non ſequitur autem iuſſit; ergo & factum eſt. Imo quamuis ſcripſiſſet hoc modo, capite eum multauit, vel occidit: tamé non ſtatim falſi argueretur, ſi non occidiſſet reuera. talis enim loquendi modus vſitatus ſcriptoribus, vt notat Priſcianus in illo Virgilii:

—*Heſiones viſentem regna ſororis,*

id eſt, ὀψείοντα. & ſimillimus Socratis illi loco apud Dioné lib. 54. τὸν δὲ δὴ Λέπιδον αὐτὸν τότε θανωθέντα ἀπέδειξε. Iuſſit enim Lepidum aut voluit occidi Auguſtus, non etiam occidit. Vel dici poteſt, poſtquam

quam in exilium miſſus eſſet, noſter hic Eutropius etiam interfectum fuiſſe iuſſu Imperatoris, quod multis accidiſſe ſcimus.

21.

Leonem vinctum) pungit tacite præcipuum amicorum Eutropii Leonem, de quo ſupra memoraui. Olim vincti Leones in circũ producebantur, Senec. lib. de breuit. vitæ. cap. 13. Primus L. Sulla in circo Leones ſolutos dedit: cum alioquin alligati darentur.

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HOC TRActatu contentorum.

A.

Acerbitatis & odii plenum eſt, defunctos in ius vocari & damnari 148
Acquiſitio, patre per iniuriam damnato, reſoluitur atq; irrita ſit 108
Ademptio legis plus valet, quam ademptio patris 54.
Adoptiui in feudis non ſuccedunt 72. *Sunt de familia & nomine* ibid.
Alienatio ſi fuerit neceſſaria, non poterit videri in fraudem fiſci facta 123.
Alienatio vt valeat tria tempora diſtinguenda ſunt 122.
Alienatio ſi ante crimen facta, & neceſſaria fuerit, ſemper & indiſtincte valet 123.
Alienatio voluntaria regulariter valet 123.

Z *Animi*

Animi licet incorporei, multa tamen habent cum corporum natura conuenientia 314.

Appellationes omnes quomodo valeant 129. *Contra Archadium & Honorium pueros Auguſtos coniurationes* 264.

Arrianorum in Catholicos Principes & eccleſiam atq; Sacerdotes coniurationes 263.

Armis diſſenſionibuſq; ciuilibus nihil miſerius, nihil deteſtabilius 273.

Articulo, quiſquis, omnes comprehenduntur 8.

Athenienſes grauius puniuerunt eum qui aliquem perſuaſione & blanditiis corrupiſſet quam vi 315.

Auaritia ſolum impediuit, quo minus Eutropio ius Aſyli tribueretur 349.

Auguſtus Caſſium quendam Patauirum quod in conuiuio palam dixerat, ſibi neque voluntatem neque animum confodiendi Augusti deeſſe exilio puniuit 31. *contra Aurelianum coniuratio* 262.

B.

Bartolus refellitur 132.

Beneuolentia in officio continendi ſunt homines 206.

Blaſphemi non habent ius aſyli 350.

Bona Clerici perduellis temporalia fiſco Principis, non Eccleſiæ adiudicantur 63.

Bona mobilia tamen excipiuntur, quæ vindicat Eccleſia

cleſia ibid.

Bona pupilli quos tutor perduellis poſsedit, à fiſco reſtitui pupillo debent 65. *Exemplum adducitur* 66.

Bona damnatorum fiſco nunciata vel addicta, impune petere non licet 66. *Et ſi petentes ea impetrauerint non valet impetratio, reſcinditurque reſcriptum* ibid.

Bona quæ ſpe & iure ad perduellem pertinent, an fiſcus vindicare poſsit 47. *Et negatur* ibid.

Bona omnia reorum Cæſareæ maieſtatis fiſco eius addicuntur fol. 1.

Bonis nemo ſpoliandus à Rege 227.

Bonis patris publicatis, non etiam publicatur profectitia dos 100.

à Bonis maternis vtrumne filii perduellis remoueantur, an vero fiſco ea deferantur 79.

Bonorum publicatio an in omni crimine maieſtatis irrogetur, an in ſolo perduellionis genere 43.

C.

Carolus Magnus indici in ſe initæ coniurationis monaſterium donauit 154.

C. Caſsius ob quam cauſam à Nerone interfectus ſit 282.

Caſus fortuiti perſæpe actiones coniuratorum impediunt 211.

Clericus incidit in crimen læſæ maieſtatis, & à principe in quem deliquit punitur, non obſtante

vllo conditionis vel fori priuilegio, ſed etiam iure & rationibus 11.

Cogitans *de morte virorum illuſtrium, conſilio & conſiſtorio alicuius principis intereſſentium, Senatorum vel cuiuslibet nobis militantis, reus maieſtatis gladio feriatur* fol. 1.

Comitem *conſiſtoriarium Cuiacius quem interpretetur* 21.

Comites *conſiſtoriani non ſunt perſonæ illuſtres* 21. Neq; *aßident, vt conſiliarii, vel de rebus deliberant vllis, aut conſuluntur* ibid.

Coniuratio *in Commodum* 256.

Coniuratio *per rerum naturam ſtare intra fines cognationis non poteſt* 37. *& quare ibid.*

Coniuratio *in C. Iulium Cæſarem* 251.

Coniuratio *in Baßianum, Antoninum Caracallam* 260.

Coniuratio *in Galbam & Vitellium* 253.

Coniuratio *in Domitianum* 254.

Coniurantes *ingentia pericula ſubeunt* 194.

Coniurati *omnes vno ſunt ordine* 138.

Coniurationes *in Gaium Caligulam* 252.

Coniurationes *in Diocletianum ſeu Imperium Romanum, ſeu quietem Galliarum* 263.

Coniurationes *contra Iuſtinum & Theodericum* 268.

Coniurationem *qui deferunt non plane proditores, ſed potius indices & nominatores dici debent* 149.

Coniurationes *cadunt in quoſcunq; homines* 194.

Coniurationes *in Didium Iulianum & Seuerum* 257.

257.& 258. in Getam coniuratio 260.
Coniurationes contra Anaſtaſium Imperatorem 268.
Coniurationes variæ inferuntur 235.& ſeqq.
Coniurationes in Claudium Cæſarem 252.
Coniurationes omnes contra patriam factæ, aut ſuis ſucceſſerunt authoribus, aut in ipſo facto oppreſſæ ſunt 216.
Coniurationes raro propoſitum conſequuntur finem 191. & 198.
Coniurationes in Neruam 254.
Coniurationes in Auguſtum 252.
Coniurationes ex Romana Hiſtoria recenſentur 238.& ſeq.
Coniurationes res ſunt magni admodum momenti 191.
Coniurationes vel per excellentiam intelliguntur in principem factæ, vel ominis deteſtandi cauſa 21.
Coniurationes in Pium 255.
Coniuratorum conſilia per imprudentiam ſæpe deteguntur 199.
Conſcii, etiam ſceleris immunes ſemper in perduellionis crimine puniuntur 141.
Conſilii nomen, & conſiſtorii ad omnes æque pertinet conſiliarios principis 21.
Conſtitutio Clementis v. pontificis Max. generaliter definit, Neminem teneri læſæ maieſtatis crimine, qui alii ſubditus ſit, &c. 9.
Conſtitutionis de crimine læſæ maieſtatis Arcadio & Honorio ſcribendæ cauſam quid præbuerit 8.
Contemptus à pleriſque grauius accipitur quam damnum

mnum 224.

Crimen læſæ maieſtatis in [illegible]*ſaltem conſiliariis & magiſtratibus committi dicit Salycetus, qui Principis lateri adſiſtunt, ſiue circa eius latus verſantur, non etiam in iis magiſtratus à populo Rom. vel Principe in prouincias miſſi ſunt* 22. *& cur ibid.*

Crimen læſæ maieſtatis ſiue imminutæ ſummum & maximum eſt fol. 5. *ex crimine læſæ maieſtatis nihil damnati liberis relinquitur* 42.

Criminis læſæ maieſtatis varia ſunt genera 5.

Cuiacius reprehenditur 122.

Cynus non ſolum iuriconſultus ſed poeta quoq; egregius 105.

D.

Defectio à Nerone 253.

Deiotarus Rex victori Cæſari ſupplex factus laudatur 275.

Deportatus non habet hæredem 59.

Deprecari non modo pro ſeipſo, ſed & pro aliis ſemper liberum ac ſolutum fuit 92. *Exempla* 93.

Detegenti coniurationem præmia & honores debentur 146

Diabolus primos homines non ad tranſgreßionem tantum præcepti, ſed etiam ad læſionem & vſurpationem maieſtatis diuinæ inſtigauit 229.

Dictio, conſciis duobus accipitur 141.

Dictio, miniſtris, generalis, eſt 143. *Et quos comprehendat* ibid.

Dignitas imperatoria quibus à regia diſtinguatur infinita ſunt 73.
Diſputatio de coniurationibus 191.
Diſtinctio Salyceti inter ſucceſſores filiifamilias commendatur 59.
Diuanum hodie apud Turcas locus publici concilii eſt & iuris dicundi 21.
Dominus ſuo iure cur priuetur, nulla ratio eſt 65.
Donatio ſpecies eſt alienationis 114. *& quidem magis quam dos* *ibid.*
Donatio cauſa mortis facta an retrotrahatur 108.
Donatio cauſa mortis facta non confirmatur ſed infirmatur morte ciuili 119.
Donatio in multis differt ab alienatione 114.
Donationes inter virum & vxorem factæ non valent etiamſi ante crimen factæ ſint 117. *& cur ibid. Imo etiamſi res donatæ traditæ eſſent, repeti poſſunt* 118.
Donationes poſt crimen perduellionis contractum ratæ non ſunt 115.
Donationes inter virum & vxorem & donationes cauſa mortis quid differant 118.
Donationes maxime ſunt voluntariæ alienationes 124.
Donationes in omni capitali crimine, ſi damnatio non fuerit ſecuta viuo reo, ratæ habentur 116. *excepto crimine perduellionis ibid.*

Dos à perduelle ante cogitationem tamen facinoris permiſſa, & fiſco adiudicata, à muliere exigi poteſt 112.
Dos profectitia patris eſt 99. *At fauore matrimoniorum receptum eſt, vt eſſet & filii magis etiam quam patris* 180.
Dos mulieri quæ data erat, ſi à fiſco cum cæteris bonis occupata ſit, reſtitui debet 112.
Dos damnatæ mulieris quinq; legibus publicatur 101.
Dos profectitia filiæ proprium patrimonium appellatur 100.

E.

Emancipati non ſunt de familia patris 72. *& ipſum nomen filiorum amittunt* ibid.
Emancipati nihil quærunt patri 109.
Emancipationes quæ à reis læſæ maieſtatis ſiue in filios ſiue in filias fuerint collatæ nullius ſint valoris fol. 3.
Emancipationis iure feudali nulla prorſus ratio habetur 72.
Epigramma vetus 286.
Excuſationes iuſtæ non detecti ſceleris interdum recipiuntur 147.
Exempla non faciunt ius 57.
Exemplum coniurationis memorabile in Hieronymũ Syracuſanorum regem factæ 208.
Exemplum ſingulare non facit ius 99.
Exhæredatio filio non adimit iura ſepulchrorum 54.
Exhæredatio damnato patre ex crimine læſæ maieſtatis nulla eſſe poteſt 73.

Ex-

Exhæredatio non tollit ius patriæ poteſtatis 72.
Exiſtimatio atq; fama in omnibus rebus plurimum valet 302, *de extranei hæredita te* 108.

F.

Factionem ſceleſtam iniiſſe tunc is dicitur, qui alio authore coniurauit, quam qui author coniurationis fuit 19.
Falcidia quid 101.
Famam quando violari exiſtiment homines 193
Felonia multum à crimine læſæ maieſtatis differt 10.
Feuda à Vaſallo perduelle amittuntur 63.
Feuda à Vaſallo perduellionis reo amiſſa cui adiudicentur, principi ne, in quem coniurauit, an domino feudi, an agnatis vaſalli, mirifice interpretes controuerſantur 63.
Fideicommiſſum fiſco non acquiritur, ſi reo, cui relictum eſt, non ſit facta ab hærede reſtitutio 50.
Filiæ de bonis maternis dotandæ an ſint 100.
Filii reorum læſæ maieſtatis à materna aut auita, omnium quoq; proximorum hæreditate atq; ſucceſsione alieni habeantur fol. 2.
Filii perduellium cur ad nullos prorſus honores, ad nulla Sacramenta ſint admittendi 87.
Filii emancipati an eadem conditione habendi ſint, qua filii retenti in poteſtate 106.
Filii perduellium, non priuantur iure & facultate acquirendi, & acquiſitis fruendi 81.
Filii reorum maieſtatis ſint pauperes, infames & perpetuo egere debeant, fol. 2. ad nullos honores & Sacramenta peruenire poſſint, ibid. hiſce ſit mors ſolatium, & vita ſupplicium ibid.

Filii iſti reorum maieſtatis, in quibus paterni ſeu hæreditarii criminis exempla metuuntur, ſupplicio paterno perire debent fol. 2.

Filii reorum maieſtatis è teſtamentis extraneorum nihil capere poſſunt fol. 2.

Filia in matrimonio mortua licet dos profectitia ad patrem redeat, non ideo tamen poſt damnationem patris mortua filia dos ad fiſcum redit, ſed apud virum manet 113.

Filiorum nomen ſæpe in iure pro nepotibus aliiſq; vlterioribus accipitur 71.

Filius patris pœna effectus eſt ſui iuris 54.

Filius viuo patre in legitimam nullum ius habet 52.

Filius patre perduellionis damnato poſt mortem eius deſinit ſuus hæres eſſe 54. *adeo vt nec iura ſepulchrorum habeat* ibid.

Filius in poteſtate retentus an cognitione pendente de perduellione patris poſſit eſſe hæres 108.

Filius rei perduellionis an vllam poſſit hæreditatem ſibi quærere 107.

Fiſco idem tribuendum, quod illi qui loco hæredis eſt 51.

Fiſcus ſuccedit indignis 48.

Fiſcus ſucceſſor ſemper tenetur creditoribus eius, cui ſucceſſit, ſatiſfacere 112.

Fiſcus in vſufructu an ſuccedat patri damnato 54.

Fiſcus licet in multis ſimilis ſit hæredi, iure tamen hæredis non ſuccedit, ſed quodam proprio, vel regalium 51.

Fœmi-

Fœminæ coniuratorum, ſi coniurauerint, an vt mares puniri debeant 105.

Fœminæ in perduellionis crimine incidere poſſunt 97.

Fortunas & famam ſubditorum Princeps ne lædat 193.

G.

Genero an detur in rem actio 102. *& quatenus ibid.*

Gentium omnium aduerſus imperium maximè occidentale imperium 264.

Græci nomen, quo perduellionem exprimant, non habent 45.

H.

Hæredi nomine an filiæ exuantur 102.

Hæredis nomen cur honorificentius habeatur, quam aliud vllum, puta legatarii, fideicommiſſarii? &c. 103.

Hæreditas non poteſt dici filio delata eſſe, priuſquam pater eius naturaliter moriatur 59. *Ratio ibid.*

Hæreditas filiofamilias & hæredi ſuo ipſo iure acquiritur, ſine vlla aditione, ſine vlla etiam ſcientia 108. *Imo etiamſi ignorans mortem patris deceſſerit, nihilominus hæreditatem paternam tranſmittit ad hæredes ſuos* ibid.

Hæreditas ante aditionem non acquiritur 50.

Hæreditas indigno delata non rectè & propriè dicitur caduca, ſed potius ereptitia 48.

Hæreditas, etiam non repudiata, hæredis non eſt, niſi eam adeat 50. *neque inter bona eius nu-*

numerari poteſt ibid.
Hæres defuncti perſonam repræſentat 103.
Hæres idem ſignificat quod dominus 103. *& aliquem dominum hæreditatis inſtituere, eſt hæredem facere* ibid.
Hieron nullo modo puniuit eos qui præſenti & audienti ei multa tetra ſpurcaq; ei obiecerant, inter q; ea etiam olentem oris ſpiritum, 292. *vxorem quod ſe de vitio oris non admonuiſſet incuſat* ibid.
Hiſpanus quidam Fernando Hiſpaniæ Regi cultrum in collum defigit 195.
Homilia Iohannis Chryſoſtomi 182.
Hoſtis hoſti proditores eius ſi indicat, non ſolum laudi, ſed maximæ laudi ac gloriæ tribuitur 151.

I.

Imperatorem Romanum nihil melius commendat, quam clementia 341.
Imperatoria lenitas filiis reorum maieſtatis vitam ſpecialiter concedit fol. 2.
Indicibus omnibus coniurationum in veteri Repub. dabatur ſeruo libertas, ingenuo centena millia æris, &c. 153
Indici & nominatori coniurationis præmia & honores præmittuntur, ſi in ipſo ſtatim initio coniurationem detexerit 146. *Limitatur* ibid.
Indignis quæ eripiuntur, an omnia adiudicentur fiſco 80.
Indignus & is qui capere non poteſt multum à ſe inuicem diſtant 48.
Infamia quam multis generibus inuri perduellibus iam mortuis conſueuerit 83.

Inſi-

Inſidias nemo ferre principibus ſtruit, niſi vt principatum ipſe inuadat 313.
Intellectus legis, res vxoris, C. *de donation. inter vir. & vxor.* 134.
Iudas in cœna Domini *quomodo depingatur* 87.
Iudex eccleſiaſticus de bonis eccleſiaſticis ſolus iudicare valet 62.
Iulius Bellantius *cur aduerſus ſocerum ſuum coniurauerit,* 193. *& quam methodum ſibi praeſcripſerit* 212.
Iura patronatus perduellium filiis adimuntur 42.
Iura acquirendi in fiſcum non tranſeunt 47.
Iura acquirendi in patrem vel dominum non tranſeunt 47.
Iura inter immobilia connumerantur 63.
Iura voluntatem ſceleris eadem ſeueritate, qua effectum puniri volunt fol.1.
Iura humana & diuina violat, qui tranſactionem à ſe iureiurando ſancitam reſcindere conatur 7.
Ius gentium nunquam punit voluntatem imo nec conſilium quidem atq; conatum pro facto 33.
Ius conditionale eſt ius futurum 51.
Ius ſuum mulieri eripi non debet 112
Ius patronatus alicuius eccleſiae damnato laico, qui id habebat in fiſcum non tranſit 63. *Quamuis in haeredem extraneum tranſeat ibid.* *Contra* Iuſtinum *&* Theodericum *coniurationes* 268.

K.

Καθοσίωσιν *an perduellionem an vero maieſtatis crimen verti debeat* 43.

L.

Legatus

Legatus, ſi is in Principem, ad quem miſſus eſt, coniuret, aut atrox aliquid moliatur, an crimen laſæ maieſtatis committat 13.

Legem qui tulit, & rationem ipſius nouit 7.

Leges nouæ & corrigentes extendendæ non ſunt, ſed coercendæ potius interpretatione 122.

Legis ſi quis maior ratio euidens 7.

Legis Iuliæ maieſtatis vulgo duo capita faciunt 45. *Sed rectius eſt tria capita vel tres gradus facere* ibid.

Legitima quæ filiofamilias perduellionis reo debetur, an fiſco cedat 52.

Liberi perduellium à materna vel auita omnium etiam proximorum hæreditate ac ſucceſſione habeantur alieni 78.

Libertatis ea eſt conditio & is fauor vt bona fide data non debeat reuocari 129.

Lites tranſactione finitas non reſuſcitari Reipub. intereſt 7.

L.3.ff.de bon. dam. loquitur de matrefamilias, non de filiafamilias 101.

Lex generalis, quæ ius antiquum corrigit, non eſt perducenda ad caſus ſpeciales, qui in veteri iure recipiebant à regula 91.

Locus inſignis optimi oratoris Calui in Vatinium corrigitur 18.

M.

Magiſtratus etiam priuatorum appellatione comprehenditur 15.

Maledicos nihil adeo mordet, frenatq; , quam illata contu-

contumeliæ contemptus 299.
Manumiſsio eſt quædam velut donatio 129.
Marcia Ant. Caracallæ concubina coniurauit in principis necem 97.
Maritus ſi vxori donauit, & mortem ſibi ob ſceleris conſcientiam conſciuit, reuocatur donatio 116. quamuis ea quæ alias donauit, valeant, niſi mortis cauſa donata ſint ibid.
Marte aperto cum principe pauci dimicare poſſunt 191.
Mater Iulii Gemini necata eſt ob lachrimas fuſas in cæde filii 315.
Matrimonium filiifamilias invito patre diſtrahere non poſſunt 61.
Memoria mortui priuatim etiam colitur 86.
Memoriam alicuius damnari quid ſit 84.
Metus pœnæ ad damnationem quatenus ſufficiat 124.
Metus vlterius non progreditur quam reperitur delictum 91.
Milites priuatis hominibus opponi in iure non eſt infrequens 13. Frequentius tamen paganis ibid. Et de ratione ibid.
Militum alii nobiles, alii plebei vel vrbici nominantur 14.
Minæ plus nocent principibus, & vehementiores excitant coniurationes contra ipſos, quam iniuriæ ipſæ 193. & 206.
Mores parentum non vltra tertiam generationẽ propagantur 70.
Multitudo ſociorum criminis impunitatem non

non facit 145. *Pœnam tamen ſolet minuere* ibid.

N.

Nemo vſq; adeo fortunis nudari poteſt, quin illi cultellus ad vindicandum remaneat 193.

Nouatio quæ fit litis conteſtatione non perimit actionem in Numerianum coniuratio 262.

O.

Odium aduerſum Principem ciues ſæpenumero concipiunt, offenſi eius vita aut moribus 290.

Officiis colere, non iurgiis exaſperare oportet poteſtatem 94.

Origenis memoria poſt ducentos annos damnatur opera Theophili Epiſcopi Alex. 84.

P.

Papiniano ad rectam iuſtamq; aditionem hæreditatis paternæ eiuſdemq; adquiſitionem, ſufficit ſi filio liqueat de innocentia patris 108.

Particula etiam indicat prius dicta ad Principis perſonam referenda eſſe 21.

Pater qua ratione fiſco filioq; præferendus 59.

Patre damnato ad mortem, vel memoria patris damnata, fiſcus hæreditatem, vtpote nunquam filio delatam vindicat 108.

Parricidis ſiue maieſtatis reis quæ pœna irroganda 39.

Patria Philipp. Melanch. certum genus celebrandæ memoriæ defunctorum abrogauit 86.

Peculium dupliciter diſtinguitur 52.

Peculium profectitium totum patris eſt 53.

Peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe totum eſt filii in eoq; paterfamilias habetur ibid.

Per-

Perduellio eſt de coniurationibus fol.5.

Perduellio quid ſecundum Vlpianum fol.5.

Perduellio criminis laſæ maieſtatis omnium grauiſſimum atq; atrociſſimum genus eſt 5. *in perduellionis crimine nullum ius libertorum relictum eſt perduellis liberis* 43.

De perduellione in earum etiam ciuitatum ciues quæri poteſt, quæ alias liberæ ea lege in ſocietatem venerunt, vt maieſtatem populi Romani comiter ſeruarent 9. *Imo & animaduerti in eos poteſt & ſolet damnatos qui ex fœderatis ciuitatibus apud nos rei facti ſunt* 9.

Peregrinus nec vllo modo ſubditus principi, in cuius ditione verſatur, quatenus vere crimen laſæ maieſtatis non committat 9. *& an coniurationem aliorum, ſibi notam detegere teneatur* ibid.

Perſonæ iſtæ ſine venia ſint notabiles qui pro reis & eorum filiis nunquam apud Cæſarem vel Principem interuenire tentent fol.2.

Perſuaſio plus poteſt, quam vis & metus 315. *in Philippos coniuratio* 262.

Piſcarius ſubditus an magis obligatus ſit obedire Cæſari, qui ob inueſtituram ab eccleſia acceptam habet vtile regni dominium, an Pontifici, qui vt potè ſupremus dominus regni directum dominium habet 10.

Pœna ſcientis & reticentis coniurationem quæ ſit 142.

Pœnæ debent authores ſuos tenere 64.

Populo Principem in cuius caput facta eſt coniuratio, amante, maximum vindictæ periculum imminet

Aa con-

coniuratis 213.
Poſſeſſio in quam gladio inducimur diuturna non eſt 318.
Poſthumi in parentes eſſe ingrati non potuerunt 69.
Præmium delatorum vulgare, quarta dictum, ad quos delatores pertineat 154. *aduerſus Principem qui coniurant rariſſime, imo vero nunquam ſe excuſare poſſunt* 219. & *ſeqq.*
Principibus ad euitandas coniurationes ii vel maxime metuendi, in quos plurima beneficia contulerunt 197.
Priuati *diſtinguuntur in nobiles atq; ignobiles* 14.
Priuato omnes iniuriæ perſequendæ 316. & *cur ib.*
Priuilegium filiorum ad alienam iniuriam extendi non debet 61. *in Probum coniuratio* 262.
Prodendi vocabulum medium eſt, & inter honeſtiſſima quoq; refertur 151.
Pſittacus Leonem Philoſophum, inſidiarum in patrē Baſilium Imp. falſo delatum, à ſua calamitate liberauit 96.
Publicatio bonorum non trahitur ad iura futura 51. *Imo nec ad bona futura, vel poſtea acquiſita* ib.

Q.

Quarta bonorum mariti an in perduellionis crimine vxori debeatur 135.
Quas res cauere vel curare Principes debeant, ne ſubditos ſuos offendant 223.
Qui ſemel deſperauerunt, ii neq; honoris, neq; facultatum, neq; ſalutis ſuæ, neq; alterius rei rationē ducunt 293.
Qui delinquit, ſciens ei delicto pœnam conſtitutam *eſſe,*

eſſe, quodammodo ſua mente punitur 132.
Qui de coniuratione poſt multum tempus quam inita eſt cognouit, & ſtatim ac cognouit indicat præmia & honores conſequitur 147.
Quintilianus nihil crudelius eſſe, quam homines honeſtis parentibus aut maioribus natos à Rep. ſum moueri, ſcripſit 87.
Quiſquis cum militibus, priuatis, vel barbaris ſceleſtam factionem inierit, aut eius factionis ſacramentum ſuſceperit vel dederit, morte perire dicitur fol.1.
Quotieſcunq; in plures quam in vnum coniuratur, conſilia coniurationis perfecte exequi non licet 209.

R.

Ratio quod in Principis conſiliarios crimen læſæ maieſtatis committatur, quæ vulgo reddatur 22.
Ratio ſubeſt legibus fol.6. quamuis non appareat, vel reddi à nobis poſſit ibid.
Ratio, cur liberi perduellium egeſtate laborare debeant, quæ ſit 82.
Reges non omnes leges ferunt vtiliter 7. & ibid.
Regium ſi non eſt ſalſe in ſe ab aliis dicta ferre, ne ſalſe quidem dicta in alium iacere regium eſt 501.
Regum ſententiis vbiq; ſeruimus 7. & ſi quid præterquam quod illis videtur, facimus invalidum & inutile redditur ibid.
Rei criminum capitalium non manumittuntur 129.
Res naturæ vt pro noſtra ſententia diſponatur, non penitus domini ſumus 7.
Res principum aliter quam priuatorum incedunt 227.

227.
Res mobiles ſunt in dote 136.
Reus læſa maieſtatis amittit omne ius 47.
Reus non tenetur fiſco acquirere 50.
Reus violatæ legis habetur, qui contra legem id auſus fuit ſperare quod non licet 66.
Reus læſæ maieſtatis manumittere an poßit 131.
Romani populi exemplum ad imitandum proponitur 217.
Romanorum proprium eſt inſtitutum voluntatem pro ſcelere ducere ac punire 34.

S.

Sacramenta pertinent ad rem militarem 88.
Sacramentum & religio rei honeſtæ nullo ſcelere ſolui dicitur 19. *Sacramento ſcelus nullum adſtringitur* 19.
Salyceti diſtinctio, & de verbis, capiant & habeantur alieni, opinio videtur 80.
de Satellitibus 139.
Satellitum vocabulo Socrates ait Imperatorem vocare domeſticos miniſtros 139.
Scelera parentum filiorum pœnis lui, acerbum eſt 77.
Scipionis Gentilis oratio pro C. Cæſare 264. *Item de maledictis in Principem* 287.
Senatores quatenus pars corporis Principis appellentur 24.
Sententia voluntatem pro ſcelere puniri, duobus modis temperatur 34. *& ſeqq.*
Sententia Vlpiani ſcrupuloſa declaratur 119.
Serui à militia repelluntur 88.

Ser-

Seruus pœnæ an poßit eſſe Cæſaris ſeu fiſci ſeruus 40.
Societas pro coniuratione 138.
Subſtitutus ſiue fideicommiſſarius fiſco potior eſt 47.
Suſpitiones plurimum poſſunt 211.

T.

Teſtamentum ſi quod pater fecit ante reatum, eius damnatione irritum fit 73. *& per conſequens nec exhæredatio valet* ibid.
Theophilus inſtitutionum paraphraſtes doctiſſ. contra ius gentium eſſe quod fures morte aut alia quam pecuniaria pœna mulctentur, ſcripſit 33.
Tullius qua ratione motus, vt proſcriptorum liberos, quorum cauſam non improbabat, à Repub. ſummouendos cenſeret 87.

V.

ſub Valentiniano, & Valente, & Theodoſio coniurationes 264.
Vaſallus an conſtitutione de crimine læſæ maieſtatis teneat 10.
Et diſtinguitur ibid. & ſeq.
Vaſallus ſi non ſolum ratione domicilii ſit principi, in quem deliquit, ſubditus, & feuda etiam ab alio habeat, an hac ob perduellionem amittat, & offenſo Principi adiudicentur 65.
Verba, ſint perpetuo egentes & pauperes non ad finalem, ſed ad impulſiuam pertinent cauſam 81.
Virginem triumuirali ſupplicio affici inauditum olim erat 104.
Viro ſupplicio adfecto, aut in exilium eiecto vxori quo velit vagari licet 137.
Virorum illuſtrium nomine ſolum conſiliarii Princi-

piuintelliguntur 21.
Vlpianus cum Papiniano confertur 117.
Vnicus coniurare non dicitur 194.
Voluntas tenuiorum hominum, qui aliquando contra tyrannum coniuraſſe deprehenduntur magis eſt laudabilis quam prudentia. 196.
Vſusfructus cur publicetur 55.
Vxor eſt inter creditores mariti 112.
Vxor ſi auxilium marito præſtitit ſciens læſæ maieſtatis crimine 137.
Vxor ad ſecundas nuptias tranſiens non amittit à marito donata, ſi nulli liberi ex eo ſuſcepti extent 122. Quod ſi extent liberi vſumfructum donatorum habet, proprietate filiis ſeruata, vel fiſco, ſi maritus damnatus perduellionis 122.
Vxores perduellium nullas pœnas patiuntur 133. Etiam quæ ipſarum ſunt recuperant omnia ac vindicant velut manu iniecta ibid.
Vxor in donatione antenuptiali omnibus liberis præfertur 134.

FINIS.

Aφ1 4455224

Digitized by Google

B
10:

XXVI
C 12